Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic liber est Martini Gurpegui.

Martinus Gurpeguius Cler. S.

Aristoteles Peripateticorum Philosophorum primagis fuit, quod clarae lucis non indiget, si eius ducto singula recensentur. Nam is ita Dialecticos omnes perspexit, ut iure Princeps appellatus. Itaque audaciter magis quam vere dici videantur, omnia vobis obtuero sua tam subtilem ingenij descriptarum, tantae doctrinam, et perfectarum artium cognitionem scientiis Omnibus ordine Dei admirationi spectamus esse adductos. Vale ergo Stler Amb. publicam cognitionem separatam bene Vale et nos amare consuetudini. Datum Gurpegui decimo Septimo Calendas Iunij Anni millesimi D.

Martin de Gurpegui

Stler Vale

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS
Logica, ab eruditiſsimis ho-
MINIBVS CONVERSA.

Porphyrij inſtitutiones ad Chryſaorium.	
Ariſtotelis Categoriæ, ſeu prædicamenta.	
Περὶ ἑρμηνείας, id eſt, de interpretatione,	*Liber.*
Priorum analyticorum.	*Libri II.*
Poſteriorum analyticorum,	*Libri II.*
Topicorum,	*Libri VIII.*
De reprehenſionibus ſophiſtarum,	*Liber.*

D. Comē mium ſic pono,
gr. ii. perdizē nolo.
ſignis meum, zogoſua redathea

D. Carterus Turpegnanus

46626

Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolensis S.I.

PARISIIS,
Ex officina Gabriëlis Buon, in clauſo Brunello, ſub ſigno D. Claudij.
1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

GVL. GVERENTAEI
ad Nicolaum Gruchium.

Exibit tandem, pulsóque erumpet in auras
Inuidiæ fumo clarus Aristoteles.
Protagoráſque ſua rediuiuos pellet ab arce:
Et tumida illorum ſub pede colla premet.
Qui tamen exertis vibrabunt ſibila linguis:
Et flatu inficient proxima quæque ſuo.
Sed ſpirent quod adhuc reſtat, ſpargántque venenum:
Iam fraudis pœnas, ſtultitiæque dabunt.
Agnoſcent iuuenes vanæ mendacia linguæ:
Verbáque iam fuco non bene tecta ſuo.
Tum tibi debebunt, Gruchi, quod ſoluere nunquam
Aut ipſi, aut poſt hos ſecula longa queant.

GVL. GVERENTAEVS LECTORI.

QVod diu multúmque ab omnibus philoſophiæ ſtudioſis efflagitatum eſt, vt quæ Ariſtoteles de ratione diſſerendi Græcè ſcripſit, ea nos Latinè reddita, non modò verbis elegantibus, ſed etiam propriis, & ad authorem explicandum accommodatis ſententiis legere poſſemus: id iam Nicolai Gruchij ſingulari induſtria perfectum eſſe confido: ac ſtudiis doctorum ita ab eo ſatisfactum, vt nihil ſit, quod in eo genere amplius poſſit deſiderari. Quod etſi dictu magnum eſt, de re præſertim tam ardua, in tam multiplici hominum iudicio: tamen eam eſſe eius viri ingenij vim & facultatem exploratum habeo, vt doctos oneis exiſtimaturos non dubitem, nullũ eſſe inter tot Ariſtotelis interpretes, qui cum eo vel elegantia ſermonis, vel perſpicuitate interpretationis, vel rei ipſius cognitione ſit conferendus. Inter quos magna laus eſt Ioachimi Perionii viri doctiſſimi: qui primus philoſophiam à barbarie tanquã acerbiſſima ſeruitute vindicauit, & præclariſſimi ad omnem poſteritatis memoriam facti, cum magna nominis ſui gloria, auctor extitit, qui philoſophiam antea balbutientem, vel, ſi verum fatẽdum eſt, ineptiſſimè garrientem, ita emendauit, vt iam elegantia ſermonis poſſit cum reliquis artibus cõtendere. Sed quod iis ſolet contingere, quorum operæ ac induſtriæ nouæ, ſucceſſus plus æquo conſilio inſtitutóque reſpondet: ac maturitatem iudicij, præceps hominum commendatio præuertit: vt eo hominum de ſe iudicio, veluti vento quodam ſecundo, facilè ſe auferri patiantur, ac vltrò ab omnibus oblatam laudẽ, ingenita quadam nobis erga nos indulgentia libenter arripiant: id, ni fallor, Perionio contigit. Qui poſtquam iis, quæ primùm ex Ariſtotele in Latinum verterat, mirum in modum ſtudia hominum erexit: ac incredibilem ſui opinionem expectationémque concitauit, cùm eam maximè labore, diligẽtiáque tueri debuiſſet: cœpit aliquanto ſecurius in id ſtudium incumbere: & perinde ac ſi nihil ipſum in eo genere poſſet fallere, aut eadem eſſet omnium Ariſtotelis librorum ratio, ita in reliquis edẽdis ſe gerere, vt de ſua exiſtimatione, aut hominum iudicio, non admodũ metuere videretur. Hinc factum eſt, vt ea emiſerit, quæ in feruentiſſimo illo omnium ſtudio pauci animaduerterunt: vbi deferbuit, eruditi viri non omnino probauerunt. Res tam nota eſt, tam ſermone omnium peruulgata, vt non mihi cuiuſquam odium timendum ſit, ſi quid etiam paulò liberius dixero. Quid, ꝙ nonnulli nouas poſt eum interpretationes ediderunt, ſuáque opera

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſplendori illius tenebras offundere conati ſunt? Id autem Nic. Gruchius impium ac nephārium ratus, cuiuſuis hominis famam imminuere, nedum clariſſimi viri ſummā gloriam labefactare: hanc ſuam editionem ita temperauit, vt expectationi deſiderióque doctorū ſatisfecerit, nec vllo modo gloriam Perionii minuerit. Nam cùm paucis abhinc annis in Luſitania philoſophiam in regio gymnaſio cū ſumma laude & admiratione omnium profiteretur: libros Ariſtotelis, quos nondum Perionius verterat, ipſe tranſtulit: in aliis id fecit, quod malo in cogitatione, iudicióque aliorum relinquere, quàm in oratione mea ponere. quod ipſius factum quò magis ab omnibus deſiderabatur, eò minus reprehenſionē debet meruere: niſi fortè id aliquis reprehendendum putat, quod negligi non potuit ſine ſummo Reipublicæ incommodo. Nam quòd Perionii interpretationem emēdare maluerit, quàm nouam edere, tantum abeſt vt hoc illi vitio vertendum ſit, vt magnam eo facto modeſtiæ & humanitatis commendationem apud æquos iudices eum conſecuturū ſperem: qui ſi diligenter perſpexerint, quid ipſe in eo genere poſſit, ac in iis, quæ tranſtulit, non aliam cuiuſquam operam requiri, modeſtiſſimè ab eo factum iudicabunt, quòd gloriam Ariſtotelicæ interpretationis, quam in ſe totam transferre poterat, ita ſibi cum aliis communem eſſe voluerit, vt maiorem partem ipſis relinqueret. Itaque lætor quidem ipſi Gruchio viro doctiſſimo & mihi amiciſſimo occaſionem quærendi nominis in re tam illuſtri oblatam eſſe: ſed multò magis ſtudioſis philoſophiæ adoleſcentibus gratulor, quòd habituri ſint ſermonis elegantiam coniunctam cum vera & certa ratione diſſerendi: longè aliter, quàm noſtro tempore à quibuſdam fieri videmus, qui neglecto Ariſtotele, omnis memoriæ ſapientiſſimo diſſerendi artifice, ſuas ineptias adoleſcentibus inculcant, &, quod dici ſolet, pro theſauro carbones indicant. quod aliquando oprimi adoleſcentes intelligent, & moniti meliora ſequentur. Vale.

INSTITVTIONES PORPHYRII IOACHIMO Perionio interprete: per Nicolaum Gruchium correctæ & emendatæ.

QVia neceſſaria eſt, Chryſaori, ad Categoriarum rationē, quæ ab Ariſtotele tradita eſt, generis, differentiæ, ſpeciei, proprij, accidentiſque cognitio, earúmque rerum tractatio & ad definiēdum, & ad diuidendi ac demonſtrandi rationem magnum affert adiumentum: tibi quidem inſtitui breuiter, & vt inſtitutionis ratio poſtulat, quæ à maioribus didici, exponere. In quo ego prætermiſſis obſcurioribus quæſtionibus, eas interim tractabo, quæ ad ſenſum popularem accommodantur. Ac primùm ne longè ab eam, de generibus ac formis, cohæreántne ipſa per ſeſe, an in ſolis animis ſint: etſi cohæreant per ſe, vtrum corporea ſint, ánne corporis expertia: & nũ auulſa ſint & diſtracta ab iis quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, an in iis ipſis hæreant ac nitãtur: hæc, inquam, prætermittam omnia, præſertim cum hoc arduum ſit, ſubtilioreq; egeat diſputatione. Quo autē pacto de his ipſis illiſque quæ diximus, cùm veteres omnes, tum vel maximè Peripatetici probabiliter diſſeruerint, quídque ſenſerint, docebo.

De genere. I.

Genus & ſpecies non vno modo dicũtur. Nam genus dicitur aliquórum, & qui ad vnũ quiddam, & qui inter ſeſe quodammodo affecti ſunt, & cognatione quadã coniuncti,

Universidad de Deusto
Biblioteca

multitudo. Qua quidem significatione, Herculeorum genus ex vnius Herculis collatione appellatum est, multorúmque hominum inter se affectione, qui inter se coniuncti sunt ea societate, quæ ab illo ducta est, qua appellatione ab aliis generibus distinguitur. Dicitur etiam alio modo genus, vnde alicui ortus principum est, siue ab eo qui genuit, siue ab eo loco in quo quisque ortus est. Sic enim & Orestẽ à Tantalo, & Hylum ab Hercule duxisse genus dicimus, itemq; Pindarum Thebanũ genere, Platonem Athenienſem. Dat enim vt pater, sic patria ortus cuique initium. Quæ mihi quidem prima videtur occurrere significatio. Nam & Herculei dicuntur ij, qui ab Hercule genus habuerunt: & Cecropidæ ij qui à Cecrope, itemq; his finitimi. primumq; certè vocatum id genus est, quod cuique dat ortus causam & initium: deinde multitudo eorum, qui ab vno principio, vt ab Hercule, quasi quodam capite manarunt. Quam quidem multitudinem definiuimus, seiunxiq; úsque à cæteris, cùm vniuersam multitudinẽ quæ ab Hercule fluxisset, Herculeorum genus nominaremus. Iam alio etiam modo genus appellatur, id cui subiicitur species: quæ ex illis ducta videtur appellatio. Nã & initium est genus id formarum, quæ ei subiectæ sunt, & videtur vniuersam multitudinẽ quæ ipsi subiecta est, continere. Sed cùm his tribus modis genus notetur, tamẽ de tertio apud philosophos tantùm oratio est. Idque hoc modo definiunt: Quod de multis, specie autem differentibus dicitur, cùm quid quicque sit quæritur, vt animal. Eorũ enim quæ dicuntur, partim de vno tantummodo dicuntur, velut individua, cuiusmodi est Socrates, hic homo, hæc res: partim de multis, vt genera, vt species, vt differentiæ, vt propria, vt ac-

cidentia ea quæ communiter in multis, non propriè in vno insunt. Est autem genus, vt animal: species, vt homo: differentia, vt rationis particeps: proprium, vt aptum ad risum: accidens, vt id quod album est, quódque nigrum, & sedere. Genera autem ab iis differunt, quæ in vno solùm dicuntur, quòd in multis ipsa dicũtur. Ab iis item quæ in multis sunt hoc modo: à specie quidẽ, quòd species etsi de multis illa quidem dicatur, sed tamen specie minus differẽtibus, verùm numero. Homo enim cum species sit, de Socrate & Platone dicitur: qui non specie, sed numero solùm inter se differunt. At verò animal cùm nomen generis obtineat, de homine, boue, equóque dicitur: qui specie etiã, non solùm numero differunt. Porrò autẽ inter genus & proprium hoc interest, quòd proprium de vna modò specie, cuius proprium est, dicitur, iisque indiuiduis quæ species continet: vt ridens de solo homine, singulisque hominibus dicitur. Genus autem nõ solùm de vna specie dicitur, sed de multis, iisque differẽtibus. Postremò genus & differentia, cõmuniáque accidentia hoc inter se differunt, quòd etsi de multis etiã specie differentibus & differentia dicantur, & cõmunia accidentia, non tamen in quæstione dicuntur ea, qua quid quicque sit, sed in ea, qua quale quicque sit, quæritur. Si qui enim rogent, quidnam sit illud tandem, quo de hæc dicãtur omnia, genus respondemus, differentias & accidentia non respõdemus: quippe cùm hæc de re dicantur, non in quæstione qua quid quicque sit, sed quale quicque sit, quæritur. Nam & cùm qualis sit homo quærit aliquis, rationis eũ participem: & cùm rogamur, qualis sit coruus, nigrum esse respõdemus. Quorum rationis particeps differentia est: niger autem, accidens. At cùm interrogamur

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid sit homo, animal respondemus, quod genus est. Quamobrem genus hoc ipso quod in multis dicitur, ab iis separatur omnibus, quæ de vno tantummodo dicuntur: quòd de specie differentibus, ab aliis quæ vt species dicuntur & propria. Quod verò in quæstione dicitur, qua rei natura indagatur, & à differentiis secernitur, & ab accidentibus communibus, quæ non in quæstione qua vis & natura rei, sed qua qualitas aut modus inuestigatur, dicuntur omnia de iis, de quibus quicque dicitur. Nihil igitur redundans, nihil parum explicatum continet, quæ generis notioni constituta est definitio.

De specie. II.

Species autem in vniuscuiusque forma dicitur. Ex quo illud, Primùm quidem species est digna quæ imperet. Vocatur etiam id species, quod subest generi. Hinc soliti sumus dicere, hominem speciem esse animalis, quod genus est, & candorem colori speciem, & triangulum figuræ. Quòd si speciei fecimus mentionem, cùm generis vim definiendo explicaremus, hoc modo, Quod de multis, specie autem differentibus, in rei natura quærenda dicitur: & generis, cùm speciem definiremus his verbis, Species est quod subest generi, nemo reprehendat. Illud enim intelligendum est, quoniam genus alicuius genus est, & species alicuius species, vtendum fuisse necessariò vtroque nomine, cùm vis & natura vtriusque definiendo aperiretur à nobis. Speciem etiam definiunt hoc modo: Species id est, quod generi subiicitur, & de qua genus in quæstione qua quid quicque sit quæritur, dicitur. Rursus etiã hoc modo, species est quod de multis numero differentibus dicitur in quæstione qua rei natura exquiritur.

Quanquam speciei vltimæ, quæque tantummodo species est, non etiam genus, hæc propria definitio est: aliæ ad eas etiam omnes pertinent, quæ non sunt vltimæ. Quod hinc sciri potest, quia in quaque categoria quiddã primum est, & quiddam vltimum: inter quæ duo, alia interiecta sunt, quæ eadem & genera sunt & species. Est autem primum genus, supra quod aliud genus esse nunquam potest: vltimum verò, species, quam nulla alia species sequitur. Inter primũ autem & vltimum alia interiecta sunt, quæ eadem & genera sunt & species, sed si cum alio alióque conferantur: Idque in vna categoria perspici potest. Substantia enim genus est illa quidem, quæ corpus complectitur: & corpus, corpus animatũ: corpus animatũ, animal: animal, animal rationis particeps: animal rationis particeps, hominem: homo, Socratem, Platonem, & singulos homines: ita tamen, vt eorum omnium primum genus sit substantia, solúmque genus: homo verò species vltima, & modò species: corpus autem & substantiæ species, & animãti corporis sit genus, itémque animatum corpus, species corporis est, genúsque animãtis. Rursum animal species est animati corporis, genus ratione vtẽtis animantis: & animal ratione vtens, species animalis est, & genus hominis. At verò homo animalis ratione vtentis est ille quidem species, sed hominum singulorum est species tantummodo, non etiam genus. Ita quicquid ante indiuidua proximè dicitur, id omne non generis, sed modo speciei nomen obtinet. Vt igitur substantia quæ in summo posita est, propterea summũ genus habetur, quod genus est nullũ ea antiquius: sic homo quia species est, qua nulla sit posterior, & quia non est natura quæ in species & formas diuidi queat, sed in sola in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuidua(indiuiduũ enim eſt Socrates,itémque Plato,& hoc quod album eſt)ob eam cauſam in ſpeciei numero modò, & vltimæ,atque,vt diximus,infimæ,nõ etiã generis, habetur. At verò quæ in medio locata ſunt,ſuperiorum ſpecies & formæ,poſteriorum genera dicuntur.Itaque duæ ex his cõparationes affectionéſque dicũcur : vna,qua ad ſuperiora affecta ſunt,ex qua eorum formæ ſpeciéſque appellãtur.altera, qua ad inferiora,ex qua eorum genera nominãtur.Summa autem & extrema vno modo ſolùm comparãtur.Genus enim principale,cùm ſit ſummum ommium.ad ea affectũ eſt quæ complectitur.ad ea autem quæ eo antiquiora ſunt,quoniam ſummum eſt,primúmque principiũ, atque id, vt diximus, cuius nullum eſſe genus vllo modo poteſt,ad ea,inquam,nullo modo affectum eſt. Atque etiam infima ſpecies vnam comparationẽ habet, eam qua ſuperiora & priora reſpicit, quorum ſpecies eſt:itémque eam,qua cum inferioribus confertur,non diuerſam,ſiquidẽ indiuiduorũ etiam ſpecies nominatur.Sed indiuiduorum propterea ſpecies dicitur, quòd ea complectitur : eorũ autem quæ ſuperiora ſunt ſpecies etiã dicitur,ſed quòd eam illa continent.Primum quidem genus definiunt hoc modo,Quod cùm genus ſit,nõ eſt ſpecies.Item hoc modo,Cuius genus aliud eſſe nullum poteſt.Speciem autem vltimam hoc modo, Quod ſit ſpecies eſt,vt non etiã genus ſit. Item, Quod ita ſpecies eſt,vt in ſpecies diuidi nullo modo queat.Item hoc modo,Quod de multis, iíſque numero differentibus dicitur, cùm rei natura quærendo inueſtigatur. Quæ autem inter extrema interiecta ſunt, ὑπαλλήλα genera ac ſpecies nominant, vnumquodque eorum ponunt eſſe genus & ſpeciem, ſed ſi ad aliud & aliud comparetur.

Nam ea omnia quæ ſuperiora ſunt & antiquiora vltima ſpecie, aſcendendo vſque ad ſummũ genus,ὑπαλλήλα genera & ſpecies vocantur. Vt Agamemnon, Atrides, Pelopides, Tantalides,& extremum Iouis. At in ortus quidem & familiarum deſcriptione ad vnũ ferè initium & quaſi caput, verbi gratia,ad Iouem cetera referunt.Generum autem & formarum non eſt eadem ratio : propterea quòd id quod eſt, non eſt commune genus omnium : nec omnia quæ ſunt, vt placet Ariſtoteli, ad vnum primum genus capútque referuntur, ſed ponenda ſunt,vt ipſe in Categoriis docet, decem prima genera, quaſi decem initia & capita rerum. Nam ſi quis omnia eſſe dicat,ambiguè,inquit,non vna ratione appellabit.Si enim id quod eſt, commune genus eſſet omnium rerum, vna ratione ac modo eſſe dicerentur. Cùm verò ſint decem prima,nominis eſt ſolum,non etiam rationis quæ nomini conſtituta eſt, ſocietas & communio. Ac prima quidem decem ſunt:formarum autem infimarum certus eſt numerus, non infinitus : indiuiduorum,quæ formas vltimas ſequuntur, infinitior. Quocirca iubebat Plato eos qui à ſummis generibus ad infimas ſpecies deſcendiſſent,inſiſtere: deſcendere autem per media iis differentiis quæ ſpeciem complent,diuidendo:indiuidua verò omittere omnino,quòd ſcientia comprehendi nullo modo poſſent. Ac eos quidem qui deſcendunt ad infimas ſpecies, neceſſe eſt multitudinem diſpertiendo decurrere: qui autem ad ſumma nituntur genera, in vnum multitudinem concludant neceſſe eſt. Nam cùm ſpecies, tum genus vel multò etiam magis,multa in vnam naturam colligit. Singulæ autem res contrà, vnũ in multa partiuntur.Nam & ſpeciei cõmunione ac ſo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cietate vnum efficitur ex multis, & singulorum natura ex vna & communi re, multæ fiunt. Vt enim res singulæ diuidendi, sic quod commune est, vim comprehendendi efficiendique vnum habet. Sed cùm quid genus esset, quid species, explicatum sit à nobis, cumque vnum genus sit, species multæ (semper enim in multas partes genus diuiditur) genus quidē semper de specie dicitur, & superiora omnia de inferioribus: species autē neque de genere proximo, neque de superioribus vllis dicitur, quòd non reciprocetur. Aut enim paria de paribus dici oportet, vt quod ad hinniendum aptum est, de equo: aut maiora de minoribus, vt de homine animal. at minora de maioribus dici non conuenit. Neque enim vt hominē esse animal dicis, sic animal esse hominem rectè possis dicere. In quibus autem species dicitur, in iis etiam speciei genus, & generis genus ad primum vsque dicetur necessarió. Si enim verè dicitur Socrates esse homo, & homo animal, animálque substătia: verè etiā Socrates dicetur esse animal & substantia. Quando enim superiora de inferioribus dicuntur, & species de indiuiduo, & genus de specie indiuiduóque dicetur. Summam etiam genus tum de genere dicitur, aut de generibus, si multa sunt media: tū de specie, tum de indiuiduo. Nam & summum genus de omnibus generibus, formis, indiuiduísque, quæ ei subiecta sunt, dicitur: & genus quod infima specie prius antiquiúsque est, de omnibus formis infimis & indiuiduis, Quæ autem species est modò, de indiuiduis omnibus, & indiuiduū de vno solùm singulorū: indiuiduū autem Socrates dicitur, & hoc quod album est, & hic qui accedit Sophroniſci filius, si modò Socratem solū filium habeat. Quæ indiuidua nominantur ex eo, quòd

ex proprietatibus suis quicque constat, quæ omnes in alio eædem esse nullo modo possunt. Socratis enim proprietates nunquam in alio eædem esse possunt: at hominis cōmunis & vniuersi proprietates, eædem esse possunt in multis, aut potius in omnibus singulis, quia homines sunt. Quare & indiuiduū à specie, & species à genere cōtinetur: quippe cū genus quiddam totum sit, pars indiuiduū, species partim pars, partim totum: ita tamen vt pars sit alterius, totum non alterius, sed in aliis sit. Siquidem totum in partibus inest. Ac de genere quidem & specie, quídque sit summum genus, quid infima species, quæque eadem genera sint & species, quæ indiuidua, quótque modis genus & species dicantur, diximus.

De differentia. III.

Differentia autem cōmuniter, propriè, & maximè propriè dicitur. Aliud enim ab alio differre cōmuniter dicitur, quod sumpto vndecunque discrimine vel à se differt, vel ab altero. Nam inter Socratem & Platonem interest aliquid: & à se ipse differt Socrates, cùm puer est, & cùm in media ætate: cùm quid agit, & cùm nihil. Idq; genus differentiæ semper in discriminibus spectatur iis, in quibus rei modus & affectio consistit. Propriè autē inter aliqua interest, cùm alia affectio vel accidens, id quod elui funditus non potest, dissimilitudinem facit. Est autem affectio quæ separari nō potest, qualis est cæcitas oculorū, nasi aduncitas aut cicatrix quæ ex vulnere quasi callum obduruit. Ea autem maximè propriè inter se differunt, quæ differentia distant ea quæ specici est efficiens. velut, hoc homo equo præstat, quòd est rationis particeps. Omnino igitur differentia omnia eum in quo sit, diuersum ab altero facit. Sed hoc interest, quòd cō-

Universidad de Deusto
Biblioteca

munis & propria dissimilem: ea autem quæ est propria maximè, omnino alium eum in quo insit, efficit: ita fit, vt quæ alium efficiunt eum, in quo sitæ sunt, eæ speciei efficientes appellentur: quæ autem dissimilem, omnino differentiæ. Nam & rationis particeps, si ad animal addatur, id ad aliud genus transferet, speciémque animalis conficiet: at motus tantummodo ei dissimilem facit qui non mouetur. Ita differentia illa ad aliud genus animal transtulit, hæc modò dissimiles inter se res facit. Ac iis quidem differentiis quæ aliud genus efficiunt, & genera in partes diuiduntur, & conficiuntur definitiones, quoniam ex generibus & differentiis omnis constat cõficitúrque definitio. Ex iis autem quæ dissimiles modò efficiunt, varietates solùm & commutationes oriũtur. Ergo vt paulò altius repetã, illud quidem iam perspicuum est, differẽtias alias separari posse ab eo in quo sint, alias non posse: quandoquidẽ moueri, stare, ægrotare, valere, & cætera eiusdẽ generis separari possunt: aduncitas autem nasi, & narium, vt ita dicam, simitas, & particeps expérsque rationis, euelli distrahíque non possunt. Sed earum quæ seiungi non possunt, aliqua distinctio est. Aliæ enim ex se & vi sua conueniunt rebus, aliæ casu & fortuitò. Nam homini per se cõuenit rationis particeps & mortalis, & quod aptum animum habet ad participiendam scientiam: adũcæ autem & simæ nares, temerè & casu, non vi sua. Quocirca quæ per se insunt, eæ in definitione qua rei vis & natura explicatur, adhibentur, iísque res alia efficitur: at quæ fortè temerè, nec ad definitionem eius generis adduntur, nec aliam rem faciunt, sed modò dissimilem. Deinde quæ vi sua & per se rei cocueniunt, nec amplificari, nec minui possunt: quæ

casu, etiam si separari non possunt, tamen & contentionem capiũt & remissionem. Nam nec genus de formis suis cùm dicitur, illas magis & minus sibi adiungi patitur, nec differentiæ generis, quibus diuiditur in partes: cùm præsertim ex his definitio cuiusque perficiatur, & rei nullus vis & natura, quæ vna eademq; est, imminui possit: nec amplificari. At verò aduncis simísque naribus magis & minus esse, & colore aliquo quis leuiter vel multũ infici imbuíque potest. Iam ergo tria differentiarum genera esse perspicimus, & alias quæ abesse possunt, alias quæ non possunt: rursúmque earum quæ abesse non possunt, quædam quæ vi naturáque sua adsunt, nõnulla quæ casu & fortuitó. Rursus ex iis differentiis quæ per se inhærent, aliæ sunt, quibus genera in partes & formas diuidimus: aliæ, quæ speciem efficiant. Velut quoniam animalis per se differentiæ hæ sunt, animatum, sensus compos, rationis particeps, & expers rationis, mortale & immortale: hæ quidem duæ differentiæ, animatum & sensus particeps, animalis vim naturámque ac speciem absoluunt: (est enim animal nihil aliud, quàm natura animata, sensus compos) hæ autẽ, mortale & immortale, rationis particeps & rationis expers, genus in partes diuidũt: his enim in formas & species genera partimur. Sed quæ genera dispertiũt, eædẽ formas speciésque complent, cùm præsertim his differẽtiis, particeps rationis, & expers rationis, mortale & immortale, animal distribuatur in partes: ita tamen vt particeps rationis & mortale, hominis: particeps rationis & immortale, deorum: expers rationis & mortale, belluarum genus compleant. Eadémque ratione cùm summæ substantiæ differẽtiæ diuidentes hæ sint, animatum, in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

animum, ſenſus particeps, ſenſus expers: ex his duæ illæ animatum & ſenſus particeps, ad ſubſtãtiam additæ, animal complent: hæ autem, animatum & ſenſus expers, plantam. Quoniam igitur hæ omnes vno modo ſumptæ & intellectæ efficientes ſunt formarum, alio modo generum diuidentes. factum eſt vt procreatrices formarum omnes ſint appellatæ: quarum quidem in generum diuiſionibus, rerúmque naturis definiendo explanandis vſus eſt maximus. at earum quæ vt caſu & fortuitò conueniant, ſeparari non poſſunt, non item: ac earum multò etiam minor, quæ abeſſe poſſunt. Has autem definiunt hoc modo, Differentia eſt qua forma & ſpecies genus ſuperat. Homo enim ratione & mortalitate vincit animal. nam animal nullam omnino earum continere, non eſt verum: vnde enim formæ differentias haberent? neque verò omnes habet cõtrarias, quoniam iſto pacto eadem res ſimul contrarias formas haberet: ſed vi ſua in ſe differentias quæ eis ſubiectæ ſunt, genera complectuntur, reuera & actu nullam. Ita fit, vt nec quippiam ex iis quæ nulla ſunt, fiat: nec in eodem ſint ſimul formæ contrariæ. Atque etiam hoc modo eam definiunt, Differentia eſt quæ de multis, ſpecie autem differentibus, in quæſtione qua quale quid ſit indagatur, dicitur. Nam rationis particeps, & mortale de homine dicuntur, ſed in quæſtione qua quale quicque ſit, non in ea qua quid quicque ſit, quæritur. Cùm enim quid ſit homo interrogamur, aptè reſpondemus, animal: cùm verò quale ſit animal rogamur, particeps rationis & mortale rectè reſpondeamus. Nam res omnes ex materia & ſpecie conſtant, aut ex iis quæ proportione materiæ & ſpeciei dicuntur. Vt enim ſtatua ex aëris materia fit, & ex figura

tanquam ex ſpecie: ſic homo & cõmunis & ſub ratione ſpeciei, ex genere proportione materiæ, & ex differentia proportione ſpeciei efficitur. Atque vt illic totum quiddam eſt ſtatua, ſic hîc animal rationis particeps mortale, homo. Definiunt eam etiam hoc modo, Differentia, id eſt, quod vim habet ad ea ſecernenda quæ ſubiecta ſunt ſub idem genus. Rationis enim particeps, & expers rationis, hominem equúmque qui eidem generi quod eſt animal, ſubiecti ſunt, inter ſe diſtinguit & ſeparat. Et hoc modo, Differentia eſt, quo quicque diſtinguitur. Neque enim genere inter ſe homo & equus differunt, quòd & nos & equi ſumus animantes: ſed particeps rationis cùm acceſſit, nos ab illis ſeparauit. Item rationis participes ſumus nos quidem & angeli: ſed cùm additũ fuit mortale, non ab illis diſtinxit. Sed illud intelligi par eſt, eos qui accuratius & ſubtilius differentiæ perſpiciunt ac perſequuntur rationem, non quiduis eorum quæ ſeparant, omnia quæ eidem generi tributa ſunt, in differẽtiarum numero habere, ſed quod ad rem eiúſque vim & naturam aperiendam pertineat, quódque ſit pars rei. Non enim aptum eſſe ad nauigandum differentia hominis eſt, etiam ſi hominis ſit proprium. Dicamus enim licet, animantium alios aptos eſſe ad nauigandum, alios non eſſe, hominem ab aliis ſeparantes: tamen aptum eſſe ad nauigandum, non explet naturam hominis, nec eius pars eſt, verùm conſequens naturæ vis quædam: quòd non ſit differentia talis, quales ſunt eæ quas efficientes formarum appellauimus. Quamobrem differentiæ procreatices ſpecierum ſunt omnes quæ ſpecies inter ſe diſtinguunt, quæque in rei natura explananda adhibentur. Ac de differentia quidem ſatis ſerè dictum eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De proprio. 4.

Proprium autem diuidunt quadripartitó. Nam & quod vni soli speciei, neque toti conuenit, vt homini mederi, vel geometræ fungi munere, proprium appellant: & quod toti speciei, etsi non soli, velut homini bipedem esse: & quod in sola totáque specie, ídque interdum reperitur, vt omni homini in senectute canescere: & quartum id, in quod hæc omnia concurrunt & cõueniunt, quod in sola totáque specie, ídque semper intelligitur, vt in homine, natũ esse ad risum. Quanquam enim non ridet semper, tamen ridens dicitur: non quòd semper rideat, sed quòd semper insitam habeat ridendi facultatem. Quod ei æquè naturale est, atque equo aptum esse ad hinnitum. Atque hæc illi propria maximè appellant, quòd reciprocentur. Si enim equus sit, etiam aptus erit ad hinniendum: & si quid aptum sit ad hinniendum, continuò equus sit necesse est.

De accidente. 5.

Accidens verò est, quod adest & abest sine eius rei, in qua situm est, interitu. Cuius genera duo sunt: alterum, quod separari potest: alterum, quod non potest. Ac dormire quidem in iis est quæ separari possunt: nigror sic in coruo & AEthiope inest, vt separari non possit. Potest enim & coruus albus & AEthiops intelligi mutato colore, sine interitu rei cui inhæret. Definiunt illud etiam hoc modo, Accidens est quod & inesse in eadem re, & non inesse potest. Item, Quod nec genus est, nec differẽtia, nec species, nec proprium, semperque in subiecta re inhæret. Expositis omnibus his quæ nobis proposita erant ad dicendum, velut quid genus esset, quid species, quid differentia, proprium & accidens: iam quid commune inter

se habeant, quid proprium, differamus.

De communitatibus & differentiis quinque vocum. 6.

Commune est quidem omnium, vt dixi, de multis dici: sed ita tamen, vt genus ac differentia de formis & indiuiduis, quæ sunt eis subiecta, dicantur: species autem, de suis indiuiduis: proprium, de specie cuius sit propriũ, & de indiuiduis quæ speciei subiecta sint: accidens, & de formis, & de indiuiduis. Nam animal de equo & boue, quæ species sunt, & de hoc equo & hoc boue, quæ sunt indiuidua, dicitur. Rationis autem expers tum de equo ac boue, tum de singulis dicitur. Sed species, qualis est homo, de singulis hominibus modò dicitur. At proprium & de specie cuius est proprium, & de indiuiduis illi speciei subiectis dicitur. Vt quod aptum est ad risum, de homine & de hominibus singulis. Quod verò nigrum est, de specie coruorum, & de singulis coruis, quoniam accidens est quod separari non potest, dicitur: & moueri, quod accidens est, quod potest separari, de homine equóque dicitur sed ita, vt primùm de indiuiduis, secundo autem loco de iis etiam quæ indiuidua continent.

De communitatibus & differentiis generis & differentiæ. 7.

Communis est autem generi cum differentia, formarum complexio. Differentia enim species complectitur, etsi non omnes quas genus. Particeps enim rationis etsi non continet ea quæ sunt expertia rationis, vt animal: ac certè hominem & angelum qui species sunt, continet. Quæque de genere, quia genus sit, dicuntur, omnia de formis iis quæ illi subiectæ sunt, dicantur necesse est. Sicut quæ de diffe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentia vt differentia est, dicuntur, eadem etiã de specie quam illa efficit, dicuntur. Nam quoniam animal genus est, de eo quasi genere dicetur essentia, & quod animatum est, & quod sensum habet. Quinetiam de formis omnibus quæ animali subiectæ sunt, hæc ipsa vsque ad indiuidua dicentur. Quoniámque particeps rationis differentia est, de eo differẽtiæ nomine dicetur id quod ratione vtitur: nec de eo solùm quod est particeps rationis, sed de iis etiam formis quas id quod rationis est particeps, complectitur. Hoc etiam cõmune illorum est, quòd generibus differentiísque sublatis, tollũtur vnà ea omnia quæ illis subiecta sunt. Vt enim si nullum sit animal, nec equus est, nec homo: sic si nihil sit rationis particeps, animal quod ratione vtatur, cõstare nullo modo potest. Proprium autem generis est, in pluribus dici, quàm differẽtiam, quàm speciem, quàm proprium, quàm accidens. Cùm enim animal in homine, equo, aue, & angue dicatur, tamen quadrupes de iis tantùm quæ quatuor pedes habẽt, & homo in solis indiuiduis, quod ad hinnitũ natum est, in solo equo, & singulis. Itémque accidens in paucioribus dicitur. Sumendæ autem sunt differentiæ, quibus genera in partes diuiduntur, non quæ generis vim naturámque complent. Deinde differentiam genus vi sua continet, quandoquidem animalium aliud rationis particeps, aliud expers: differẽtia autem non continet genus. Tũ antiquiora prioráq; sunt genera iis differẽtiis, quæ illis subiectæ sunt. Itaque si tollũtur, tollũt differentias, nec ab illis vnà tollũtur. Sublatis enim animãtibus, rationis cõpotibus & expertib⁹ nihil loci relinquitur. At verò genera non tollunt differentiæ. vt enim omnes tollãtur, tamen substantia animata, sensus cõpos, quod animal

est, mente & cogitatione intelligetur. Præterea genus in quæstione qua natura rei inuestigatur, dicitur: differẽtia in quæstione, vt dixi, qualitatis. Genus etiam in quaque forma & specie vnũ est, vt in homine genus est animal, differẽtiæ multæ, vt quod rationis est particeps, quod mortale, quod ad mẽtem & scientiam percipiendam natum est, quibus à cæteris animantibus distinguitur. Postremò genus materiæ simile est, formæ differẽtia. Multa sunt præterea quæ generis differentiæq; propria sunt & cõmunia, sed hæc satis multa sunt.

De communitatibus & differentiis generis & speciei. 8.

Genus quidem & species cõmunem habent eam dicendi rationem, qua in multis, vt dixi, reperiuntur. In quo speciem illam intellectam volo: quæ species modò est, nõ etiam genus, cùm accidit, speciem atque genus esse. Hoc etiam illorũ commune est, quòd priora sunt iis de quibus dicuntur, & quòd vtrunque quiddam totum est. Sed hoc differunt, quòd genus species complectitur: species continentur, nec genera continent: quippe cùm in pluribus genus, quàm forma dicatur. Præterea genera præponi oportet, quæ differẽtiis iis, quas efficientes formarum diximus, quasi efformata, species compleant & absoluant. Itaque priora sunt naturæ ordine genera, tollúntque, neque tollũtur. Si enim sit species, genus etiam omnino est: at si genus sit, non continuò species est. Genera etiam vna ratione de omnibus formis quæci subiectæ sunt, dicuntur, formæ de generibus non item. Iam hoc superãt formas genera, quòd formas complectuntur: formæ autem genera quòd proprias differentias. Præterea nec species summum, nec genus infirmum locum obtinere potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De communitatibus & differentiis generis & proprij. 9.

Generi cum proprio hoc commune est, quod species sequuntur. Vt enim si quid sit homo, idem animal: sic si quid sit homo, continuò ad risum aptum sit necesse est. Illud etiam quod æquè genus de formis dicitur, atque proprium de iis in diuiduis quæ ipsum participant. Aequè enim homo & bos animantes sunt, & Anytus & Melitus æquè apti ad risum. Atque etiam illud commune est, quòd vna ratione & genus de suis formis, & proprium de iis quorum proprium est, dicitur. Inter ea autem interest, quòd genus prius est, posterius proprium. Primùm enim animal esse debet, deinde differentiis propriisque distingui ac diuidi. Et genus quidem de multis formis dicitur, proprium autem de vna aliqua forma, cuius sit proprium. Præterea proprium vicissim commeat retro, cùm de eo dicitur, cuius est proprium: at genus de nullo vicissim dicitur. Non enim si quid sit animal, id continuò sit homo: neque si quid animal, idcirco aptum sit ad risum: sin aliquid sit homo, continuò etiam aptum animum ad risum habeat, homo. Præterea inest proprium in tota specie cuius proprium est, & in sola ea, idque semper: genus vero etsi in tota specie cuius genus est, & semper, attamen non in sola ea reperitur. Præterea si propria tollantur, non etiam genera secum vnà tollunt: cùm interim sublatis generibus, formæ eæ, quarum sint propria, constare nullo modo possunt: ita sublatis iis, quorum sunt propria, ipsa etiam tollantur necesse est.

De communitatibus & differentiis generis & accidentis.

Communis est generi cum accidente, de multis, vt dixi, dicendi ratio, siue in iis sit accidentibus quæ separari possunt, siue in iis quæ non possunt. Nam & moueri in multis dicitur, & quod nigrum est, in coruis & Aethiopibus, aliisque nonnullis quæ sine animis sunt. Hoc autem inter genus accidénsque interest, quòd genus formis prius sit & antiquius, accidentia posteriora formis. Vt enim accidens statuatur id quod abesse non potest, certè id accidente prius est, cui inhæret: hoc etiam, quòd æquè genere participãt ea, quæ illo participant, accidens non æquè. Contentionem enim remissionémque capit accidentium communio, generum non item. Item, quòd primùm in indiuiduis accidentia inhærent, genera & species naturæ ordine priora sunt indiuiduis substantiis. Et quòd genera in quæstione naturæ de iis, quæ illis subiecta sunt, dicuntur: accidentia verò in quæstione qualitatis vel modis cuiusuis rei. Si enim rogatus fueris qualis sit Aethiops, nigrum esse respondebis: aut quomodo affectus sit Socrates, ægrotare eum, vel valere dices. At genus quidem quid à cæteris quatuor differat, diximus. Vnumquodque autem eorum à quatuor cæteris etiam differre videbitur. Ita cùm quinque sint, & vnumquodque à cæteris quatuor distet, effici videtur, vt quater quinque ducta, viginti differentias omnes expleant. Non ita est: sed quoniam semper enumerantur deinceps, ex duobúsque vna differentia, quia iam sumpta est, relinquitur, ex tribus duæ, ex quatuor tres, ex quinque quatuor: profectò ex quatuor, tribus, duabus, & vna, decem sunt & colliguntur differentiæ. Nam quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam quid genus à differentia, quid à ſpecie, quid à proprio & accidente differret, dictum eſt, idcirco quatuor hinc oriuntur differentiæ. Quid autem differentia à genere differret, tum dixi, cùm quid ab ea differret genus oſtendi. Reliquum eſt igitur, vt quid à ſpecie, proprio & accidente differat, doceamus, ex quo res naſcuntur. Rurſum quid ſpecies à differentia intereſſet, dixi, cùm quid differentia à ſpecie diſtaret, dicerem. quid etiam differret à genere ſpecies docui, cùm quid genus à ſpecie differret, docerem. Ita reſtat, vt quid ſpecies à proprio & accidente differat, differamus: quæ duæ ſient differentiæ. Illud tandem ad diſputãdum relinquetur, quid inter proprium interſit & accidens: quandoquidẽ quid à ſpecie, quid à differentia & genere differret, antè docui, cùm eorum inter ſe differentiam traderem. Si ergo quatuor generis, differentiæ tres, ſpeciei duæ diſtinctiones in vnum conferantur, ſi denique proprij ab accidente vna, certè ex omnibus decem fient: quarum quidem quatuor generis & cæterorum iam oſtendimus.

De communitatibus & differentiis ſpeciei & differentiæ. 11.

Communis igitur differentiæ cum forma, par æquáque communio eſt. Singuli enim homines æquè participes ſunt hominis differentiæque rationis, ex qua participes rationis nominantur. Hoc etiam iis commune eſt, quod ſemper adſunt iis, quibus ipſorum conuenit communicatio. Semper enim Socrates & rationis eſt particeps & homo. Proprium autem differentiæ eſt, in quæſtione dici qua quale quicque ſit, ſpeciei verò in ea qua quid quicque ſit, quæritur. Nam ſi homo qualitate aliqua affectus ſumatur & intelligatur, nõ

omnino qualis ſit, ſed quia differentiæ generi accommodatæ eum talem fecerint. Iam in multis formis ſæpe differentia cernitur, velut quadrupes in pluribus animantibus ſpecie differentibus: ſpecies autẽ ſola indiuidua quæ ſub ſpecie ſubiecta ſunt, complectitur. præterea prior eſt differentia ea ſpecie quæ ex ipſa nominatur. quandoquidem ſublato eo quod rationis eſt particeps, homo conſtare nullo poteſt: at homine ſublato, quod rationis eſt particeps, minimè tollitur, cùm angelus cohæreat. Præterea coniungitur differentia cum alia differentia. Siquidem quod rationis eſt particeps, quódque mortale, in vim naturámque hominis concluduntur. Species autem cum ſpecie non copulatur, vt aliud inde genus oriatur. Equam enim quandam ſi certus aſinus contrectet, inde mula naſcitur: at ſi omnino equam aſinus contrectet, nunquam mulam poſſit gignere.

De communitatibus & differentiis differentiæ & proprij. 12.

Differentiæ autem cum proprio hoc commune eſt, quòd æquè illis participant ea, quibuſcum cõmunicantur. Æquè enim id omne quod particeps eſt rationis, eſt compos rationis: & quæ nata ſunt ad riſum, æquè nata ſunt omnia. Illud etiam iis commune eſt, & ſemper conuenire & omnibus quæ continent. Quanuis enim animal bipes debilitatum quid habeat, ad id certè ad quod natum eſt, ſemper accommodabitur. Et id quod ad riſum natum eſt, etiamſi non rideat ſemper, tamen ex eo, ad quod natum eſt, ſemper intelligetur. Differentiæ autem proprium eſt, plerunque in multis formis contineri, vt rationis particeps in angelo & homine dicitur. Proprium autem in vna ſpecie cuius eſt pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prium. Et differentia quidem ex iis consequens est, quorum differentia, etsi id vicissim retrò non commeet. Proprium autem vicissim etiam retrò cõmeat, quòd reciprocetur ipsum, & ea quorum proprium est.

De communitatibus & differentiis differentiæ & accidentis. 13.

Hoc differentiæ cum accidenti commune est, quòd in multis dicuntur. Cum eo etiam quod separari non potest, illud commune est differẽtiæ, quòd semper & omnibus quæ complectuntur, conueniunt. Nam bipes semper homini conuenit, & nigror coruis omnibus. Sed hoc differũt, quòd formas differentia continet, nec continetur: (nam & angelum & hominẽ particeps rationis complectitur) accidens verò quodammodo complectitur, quia sit in multis: quodammodo continetur, quòd non vnum aliquod accidens, sed multa recipiant ea, quibus inhærere solent. Præterea nec intendi differentia, nec remitti potest: at accidentia & intentionem capiunt & remissionem. Cúmque contrariæ differentiæ misceri iungíque inter se non possint, tamen contraria sæpe accidentia coniunguntur. Ac differentiæ quidem & aliorum hæ sunt communitates ac proprietates. Species autem quid à genere differret, & differentia, dictum est tum, cùm quid genus & differentia à cæteris distaret, ostendimus. Restat vt quid à proprio & accidente intersit dicamus.

De communitatibus & differentiis speciei & proprij. 14.

Hoc igitur speciei cum proprio commune est, quòd inter se reciprocantur. Nam si quid homo sit, etiam aptum ad risum erit: & si quid aptũ ad risum sit, homo. Nam sæpe diximus,

quod aptum est ad risum, ex eo, quod natum sit ad risum, intelligendum esse. Atque etiam illud commune est, quòd æquè conueniũt. Æquè enim & species insunt in iis, quibus cum communicantur, & propria in iis quorum sunt propria. Hoc verò differunt, quòd species, aliorum esse genus potest, proprium aliorum proprium esse non potest: quódque species antè cohæret, quàm proprium, proprium speciei innascitur. Sit enim homo necesse est, vt sit aptus ad risum. Cúmque species semper in subiecta re insit reipsa, proprium interdum potentia inest, atque interdum sólùm adesse potest. Homo enim semper est Socrates, non semper ridet, quanquam semper ad risum aptum animum habeat. Præterea quorum definitiones diuersæ sunt, ea inter se differunt. Cùm denique speciei sit subesse generi, de multísque dici in quæstione qua rei natura quæritur, quæq; sunt eiusdem generis: proprij est, vni alicui, eique omni sempérque conuenire.

De communitatibus & differentiis speciei & accidentis. 15.

Hoc autem commune speciei cum accidente est, quòd in multis dicuntur. Raræ autem sunt aliæ cõmunitates, quòd id quod accidit, & id cui quid accidit, distent inter se plurimum. Proprium autẽ speciei est, in quæstione qua quid quicque sit quæritur, de iis dici, quorum est species: accidentis autem in ea quæ quale quid sit, aut quomodo affectum sit. Illud etiam speciei proprium est, quòd vniuscuiusque rei natura vnius est formæ particeps: multorum verò accidentium, & eorum quæ separari possunt, & eorum quæ nõ possunt. Præterea species antè intelliguntur, quàm accidentia, etiam si non possint seiungi, (rem enim subiici oportet, vt ei quid ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cidat)accidentia verò posterius nascuntur,habéntque naturam suam omnem in subſtãtia cohærentẽ. Speciei etiã æqua est párque cõmunio,accidentium, etiam eorum quæ ſeiungi non possunt,non item. Quoniam AEthiops alius alio colore nigro potest magis minúsve imbuí & infici : nunc supereſt vt de proprio & accidẽte disseramus. Quid enim proprium à ſpecie,quid à differentia & genere differret,diximus.

De communitatibus & differentiis proprij & accidentis. 16.

Commune est illud proprio cum accidenti indiſcreto,quòd illa in quibus cernuntur, constare sine ipſis nullo modo possunt.Vt enim constare homo sine eo non potest,quod ad riſum aptum ſit:ſic eſſe ſine nigro colore AEthiops nullo pacto potest. Et quemadmodum in iis omnibus,quorũ est propriũ, & ſemper ineſt proprium:ita accidens quod ſeiungi non potest.Hoc verò differunt,quòd proprium vni modò ſpeciei cõuenit, velut homini id quod ad riſum aptum eſt : accidens autem quod ſeiungi non poteſt,velut niger non ſolùm AEthiopi conuenit,ſed coruo etiam,& carboni,& ebeno,aliiſque nonnullis.Iam proprium,& id cuius eſt proprium,reciprocantur,in omnibúſque æquè ineſt proprium: accidẽs autem id quod ſeparari non poteſt,non reciprocatur.Propriorũ etiam æqua eſt párque communio, accidentium alia maior, alia minor. Sunt præterea aliæ multæ cõmunitates & proprietates eorum omnium quæ adhuc commemorauimus,ſed hæ ſatis multæ ſunt ad ea diſcernenda, eorúmque inter ſe comprobandas communitates.

F I N I S.

ARISTOTELIS
Categoriæ,

Ioachimo Perionio interprete, per N. Grouchium correctæ & emendatæ.

PARISIIS,

Ex officina Gabriëlis Buon, in clauſo Brunello,ſub ſigno D. Claudij.

1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aristotelis Stagiritæ Categoriæ,

INTERPRETE IOACHIMO

Perionio Benedicto Cormæriaceno.

Μόνυμα dicũtur quorum nomen ſolum commune eſt, definitio autem naturæ, nomini congruens, alia atque alia: vt, animal, id quod homo eſt, & depictum animal. Hæc enim nominis tantummodo ſocietate coniuncta, definitione ea quæ naturam eorum, vimque nominis explicat, differunt. Si quis enim quæ ſit vtriuſque eorum natura, quia animalia ſint, dicat, vtriuſque propriam conſtituet definitionem.

Synonyma autem dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & eadem nomini attributa naturæ definitio, vt animal, id quod homo eſt, & id quod eſt bos. Nam & animal communi nomine eorum vtrunque appellatur, & eadem eſt quæ naturam explicat, definitio. Etenim ſi quis reddat definitionem quæ quid ſit vtrunque, quatenus animalia ſunt, explicet, certè eandem attribuet vtrique. Paronyma autem vocantur ea, quæ orta ab vno variè cõmutantur, vt à grammatica grammaticus, fortis à fortitudine.

Eorum quæ dicuntur partim coniuncta ſint, partim ſimplicia. Ac coniuncta quidem, vt homo currit, homo vincit. ſimplicia ſunt, homo, bos, currit, vincit.

Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, nec in ſubiecto inſunt vllo, vt homo: de ſubiecto enim dicitur quopiam homine, in ſubiecto autem nullo ineſt. Alia in ſubiecto ſunt illa quidem, ſed de ſubiecto nullo dicuntur. In ſubiecta autem re eſſe dico id, quod in re aliqua ineſt, non tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam pars, nec ab eo cui ineſt ſeiungi ſepararique poteſt. Veluti grammatica aliqua in ſubiecto ineſt animo, ſed de ſubiecto nullo dicitur. Eodémque modo hic vel ille candor, eſt ille quidem in ſubiecto corpore (eſt enim in corpore color omnis) attamen de nullo ſubiecto dicitur. Quædam & de ſubiecto dicuntur, & ſunt in ſubiecto, vt ſcientia in ſubiecto animo ineſt, ac de ſubiecta grammatica dicitur. Nonnulla nec in ſubiecto ſita ſunt, nec de ſubiecto dicuntur vllo, vt ſinguli homines, vt ſinguli equi. Nihil enim eius generis neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto vllo dicitur. Omnino autem & individua & res ſingulæ de ſubiecto nullo illa quidem dicuntur, ſed eorum nonnulla in ſubiecto eſſe nihil prohibet. Nam grammaticæ ſingulis ſunt in iis, quæ in ſubiecto inſunt, nec de ſubiecto vllo dicuntur. Cùm alterum de altero tanquam de ſubiecto dicitur, quicquid de prædicato dicitur, id omne de ſubiecto quoque dicetur. Veluti quia homo de quopiam homine dicitur, & animal de homine: ob eam etiã cauſam animal de ſingulis hominibus dicetur. Singuli enim homines & homines ſunt & animalia. Quando genera diuerſa ſunt, nec vnum ab altero continetur, eorum etiam differentiæ ſpecie differunt, vt animalis & ſcientiæ. Animalis enim differentiæ ſunt, terrenum & bipes, & volucre, & aquatile: at verò harum nulla ſcientia eſt. quoniam inter ſcientiam & ſcientiam hoc ipſo quòd bipes ſit, nihil intereſt. Eorum autem generum, quorum vnum altero continetur, nihil prohibet eaſdem eſſe differẽtias. Nam ſuperiora genera de iis quæ eis ſubiecta ſunt generibus dicuntur. Ita fit, vt omnes quæ ſunt prædicati, ſubiecti etiam ſint futuræ differentiæ. Quæ autem ſimplicia ſunt, ea vel ſubſtantiam ſignificãt,

vel quantitatem, vel qualitatem, vel quæ cum aliquo comparantur, vel locum, vel tempus, vel ſitum, vel habere, vel facere, vel pati. Eſt autem ſubſtantia, vt populariter dicam, vt homo, vt equus. Quantitas, vt quod duorum cubitorum eſt, quódque trium. Qualitas, vt candor, grammatica. Quæ cum aliquo comparantur, vt duplum, vt ſimplum, vt maius. In loco, vt in foro, in Lycio. In tempore, vt cras, anno ſuperiore. Situm eſſe, vt iacere, vt ſedere. Habere, vt armatum eſſe, veſtitum eſſe. Facere, vt ſecare, vrere. Pati, vt ſecari, vri. Nihil autem eorum quæ enumerata ſunt, per ſe affirmationem aut negationem faciunt: ſed ex eorum mutua quadam coniunctione omnis & affirmatio & negatio naſcitur. Nam & omnis affirmatio & negatio aut vera eſt, aut falſa: & nihil eorum quæ ſimplicia ſunt, non coniuncta, verum eſt aut falſum, vt homo, vt candor, vt currit, vt vincit.

De ſubſtantia.

SVBSTANTIA autem, quæ & propriè & primum, & maximè appellatur, ea eſt, quæ nec de ſubiecto vllo dicitur, nec in ſubiecto vllo ineſt, vt quidam homo, quidam equus. Secundo autem loco ſubſtantiæ vocantur ſpecies eæ, in quibus quæ primæ nominantur naturæ, inſunt. Itémque earum formarum genera, velut quiſpiam homo, ſpecie quidem hominis continetur: ſpeciei autem genus eſt animal. Hæ igitur ſecundæ naturæ ſubſtantiæque nominantur, vt homo, vt animal. Perſpicuum eſt autem ex iis quæ dicta ſunt, eorum quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſſe, & nomen de ſubiecto dici, & definitionem: vt homo de ſubiecto quopiam homine dicitur, & nomen etiam dicitur. Siquidem quempiam hominem tu hominem rectè appellabis. Atque etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominis de aliquo homine dicetur definitio. Homo enim quispiam, & homo est, & animal rationis particeps, mortale. Ergo & nomen de subiecto dicetur, & definitio. At verò eorum quæ in subiecto cõtinentur, permulta sunt, quorum neque nomen neque definitio de re subiecta dicitur: nonnullorum nomen nihil prohibeat dici de subiecto interdũ, etiam si non possit definitio. Veluti cãdidum cum sit in subiecto corpore, de subiecto dicitur. Candidum enim corpus dicitur. At candidi definitio nunquam de corpore dicetur. Cætera verò omnia vel de primis substantiis subiectis dicuntur, vel in iis subiectis continentur. Quod perspici exemplis potest, veluti animal de homine dicitur, de quopiam igitur etiam homine dicetur. Si enim de singulorum hominum nemine, ne de homine quidem dicetur omnino. Rursum inest color in corpore, ergo & in aliquo corpore. Nam si in nullo est singulorum corporum, neque in vniuerso corpore. Ergo hoc iam apparet, reliqua omnia aut de subiectis primis substantiis dici, aut in eis inesse subiectis. Quocirca sublatis primis naturis atque substantiis, nihil loci relinquitur cæteris omnibus. Porrò secundarum substantiarum species magis substantia est quàm genus, quoniam ad primam naturam propius accedit. Si enim quid sit prima essentia quispiam explicet, planius id & aptius faciat vsus specie, quàm si genus adhibuisset: veluti apertius cuiusdam hominis naturam explicabit, qui hominem esse dicet, quàm qui animal. Est enim magis propria species cuiuspiam hominis, at genus communius. Item si quis quid sit aliqua arborum singularum aperiat, apertius docebit, si arborem dicat esse quàm si plantam. Iam primæ substantiæ, quia cæteris omnibus subiectæ sunt, reliquáque omnia de eis dicuntur, aut in eis sunt, idcirco maximè substantiæ naturæque nominantur. Quam autem habent rationem ad cætera omnia primæ essentiæ, eandem habet species ad genus. Subiicitur enim generi species, quippe cum de speciebus genera dicantur, nec species generibus ex hac parte respondeant. Ita fit etiam ex his, vt species magis quàm genus nomen obtineat substantiæ. At verò species nulla earum quæ genera non sunt, magis quàm altera substantia est. Nemo enim cuiquam singulorum hominum, nomen hominis adhibebit aptius, quàm bouis, cuipiam boum singulorum. Similitérque in primis essentiis ac naturis nihil magis aliud alio substantia est. Neque enim quisquam singulorum hominum verius essentia est, quàm bos aliquis. Iure autem post primas essentias species solæ ac genera essentiæ secundæ nominantur. Hæc enim sola eorum quæ dicuntur, quæ vis sit primæ substantiæ explicant atque declarant. Nam si quis velit explicare quæ vis sit & natura cuiuspiam hominis, ísque vel speciem afferat vel genus, aptè ille quidem fecerit, licet planius si hominem esse dicat, quàm si animal, fecisse videatur. At siquid cæterorum omnium afferat, alienum id futurum est, & ad eam rem minimè accommodatum: vt si candidum eum dicat, vel currere, aut aliud quiduis generis eiusdem. Quapropter ex reliquis rebus omnibus hæ solæ meritò substantiæ vocantur. Præterea quoniam cæteris omnibus primæ substantiæ subiectæ sunt, quoniámque reliqua de eis omnia dicuntur, vel insunt in ipsis, ob eam causam principales dicuntur substantiæ. Quod autem sunt ad cætera omnia primæ substãtiæ, hoc & genera sunt & species primarum substantiarum ad re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

liqua omnia. De his enim cætera omnia dicuntur. Vt enim quempiam hominem grammaticum dices, sic & hominem grammaticum & animal: similitérque in cæteris omnibus. Hoc autem omni substantiæ commune est, non inesse in subiecto. Nam nec in subiecto prima substantia est, nec de subiecto vllo dicitur. De secundis etiam id perspicuum est, eas in nullo esse subiecto. homo enim etsi de subiecto quopiam homine dicitur, tamen in nullo subiecto inest. Neque enim in quodam homine homo inest. Itémque animal de subiecto quopiam homine dicitur, cùm interim animal in aliquo homine non insit. Iam verò eorum quæ in subiecto insunt, nihil impedit quo minus nomen illud quidem interdum de subiecto dicatur, sed tamen nunquam definitio potest. At secundarum substantiarum & definitio de subiecto & nomen dicitur. Hominis enim alicui homini conuenire dicas definitionem, itémque animalis. Non igitur in iis quæ in subiecto insunt, esse substãtia nllo modo potest. Sed non est substantiæ hoc proprium: quin etiam sunt in iis, quæ non sunt in subiecto, differentiæ. Nam gradiens & bipes de subiecto aliquo homine dicuntur, nec sunt in subiecto vllo. Neque enim in homine bipes inest, neque gradiens. Atque etiam de eo differentiæ definitio, cuius est differentia, dicitur: vt si gradiens de homine dicatur, dicetur etiam de homine gradientis definitio. Est enim homo gradiens. Nec verò conturbare nos debent substantiarum partes, quasi insint in totis vt in subiectis, ne quando eas substantias negare cogamur. Ea enim in subiecto esse negauimus, quæ vt partes inessent. Hoc autem essentiis ipsis & differentiis tributum est, vt de quibus ipsa dicuntur, συνωνύμως dicantur. Omnes enim quæ ex

illis ducuntur dicēdi rationes, aut de indiuiduis, aut de formis dicuntur. Ex prima enim substantia, quoniam de subiecto nullo dicitur, nulla dicendi ducitur ratio. At secundarum substantiarum formæ de indiuiduis dicuntur: genus autem & de speciebus & de indiuiduis. Itémque differentiæ de formis indiuiduísque dicuntur. Atque etiam primæ substantiæ, & formarum sibi vendicant & generum definitionem, & species illam generis. Quæ enim de prædicato dicuntur, de subiecto quoque dicuntur omnia. Eodémque modo differentiarum definitio formis & indiuiduis accommodanda est. Synonyma autem definita sunt ea, quorum nomen commune est, eadémque definitio. Omnia igitur quæ à substantiis & differentiis proficiscuntur, συνωνύμως dicuntur. Omnis etiam substantia quiddam hoc vel illud significat. Ac in primis quidem essentiis non est id dubium, sed verum est eas hoc quiddam significare, vel illud, præsertim cum indiuiduum, quódque vnum numero est, declaretur illis & exprimatur: secundæ autem videntur illæ quidē similiter, figura appellationis, hoc quippiam significare, cum dicitur homo vel animal, non tamen id verum est, sed qualitatem potius significant. Neque enim res vna subiecta est, vt in prima substantia: sed de multis homo animálque dicuntur, quanquam non omnino qualitatem significat, sicut album. Nomen enim albi, nisi qualitatem nihil significat omnino. At genus & species cum substantia qualitatem adsignificant: significant enim talem aliquam substantiam. Sed genere quàm specie plura explicantur: quoniam qui nomen animalis profert, plura quàm is qui hominis complectitur. Iam hoc etiam substantiis insitum est, vt ipsis nihil sit contra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rium. Nam primæ quidem ſubſtantiæ vt cuipiam homini vel cuipiam animali, quid contrarium eſſe poſsit? Nihil enim eis repugnat: ne homini quidem aut animali. Sed hoc proprium non eſt ſubſtantiæ, quin etiam in pleriſque aliis rebus hoc cernitur, veluti in quantitate. Neque enim rei duorum cubitorum aut trium quicquam contrarium eſt. neque decem, nec cuiquam rei eiuſdem generis: niſi fortè dicat aliquis multa paucis eſſe contraria, aut magna paruis: ſed illud profectò verum eſt, definitis quantitatibus nil aduerſari. Illud præterea ſubſtantiis conuenit, vt nec elationem nec ſummiſsionem ſuſcipere poſsint. Quod non ita dictum velim, quaſi ſubſtantia alia, alia nec magis nec minus ſubſtantiæ nomen obtineat: hoc enim conceſſum eſt: ſed hoc volo, nullam ſubſtantiam, id ipſum quod ſuapte natura eſt, nec magis nec minus ſibi vendicare. Veluti ſi homo ſubſtantia eſt, nec ipſe ſeipſo magis aut minus eſt, nec alter altero magis eſt aut minus homo. Neque enim alter altero nomen hominis magis obtinet, ſicuti res alba alia, alia albior eſt, & minus alba: & honeſtum aliud alio honeſtius eſt, & minus honeſtum. Quinetiam idem ſeipſum magnitudine aliqua & exiguitate ſuperare dicitur, vt corpus cum candidum ſit, hoc tempore quàm antea, albius vocatur: & quod calidum eſt, magis minúſque calidum. At verò eſſentia nec magis nec minus eſſentia nominatur. Neque enim homo nunc magis quàm antea nomen hominis obtinet, nec quicquam eorum quæ ſubſtantiæ appellantur. Quare non patitur ſubſtantia illud magis aut minus ſibi tribui. Sed hoc ſubſtantiæ eſt proprium maxime, vna eadémque cum ſit numero, vim habere accipiendi contraria: ita

vt cæterorum omnium quæ non ſint ſubſtantiæ, nihil quiſquam afferre poſsit, quod vnum idémque manens contraria poſsit accipere. Vt color cum ſit vnus & idem numero, niger non dicitur, & albus: neque eadem actio, vitioſa & recta. Eadem eſt cæterorum omnium ratio, quæ ſubſtantiæ non vocantur. At ſubſtantia cùm vna ſit eadémque numero, vim habet accipiendi contraria: veluti vnus idémque homo aliàs albus, aliàs eſt niger: interdum calidus, interdum frigidus: nonnunquam bonus, nonnunquam improbus: quod in cæteris omnibus non reperitur. Niſi forte aliquis occurrat, confirmans contraria accipere & orationem poſſe & opinionem: videtur enim eadem vera & falſa oratio: vt ſi vera eſt oratio, ſedere aliquem, cùm is ſurrexerit, hæc ipſa oratio falſa erit. Eadémque eſt ratio opinionis. Si quis enim verè ſedere aliquem ſentiat, cum ſurrexit male exiſtimabit, ſi eandem de eo habeat opinionem. Quòd ſi cui hæc probabuntur, attamen ratione quadam magna eſt diſsimilitudo. Nam ſubſtantiæ ipſæ mutatæ, vim habent accipiendi contraria: cum enim ex calido quippiam fit frigidum, ipſum immutari ſolet, quoniam & quod nigrum fit ex albo commutatur, & bonum ex malo. Itémque cætera omnia commutatione accedente contraria accipiunt. At verò oratio & opinio, manent ipſæ quidem immobiles omni ex parte, ſed re ea quæ ſubiecta eſt immutata, in eis contraria naſcuntur. Manet enim hæc eadem oratio, ſedere aliquem: re verò mutata, interdũ vera, interdum falſa eſt. Eadem eſt ratio opinionis. Quapropter hoc quidem pacto proprium erit ſubſtantiæ, immutatione ſui ipſius accipere poſſe contraria. Quanquam autem quis oratio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem & opinionem contraria accipere comprobet, profectò non ita est. Neque enim ex eo quòd aliquid acceperint, contraria susciperè dicũtur oratio & opinio: sed quia in re alia, aliqua affectio nata est. Nam quia res est aut non est, idcirco vera est aut falsa oratio, non quia possit ea accipere in se contraria. Omnino enim à nemine nec oratio mutatur nec opinio. Nunquam igitur contraria accipient nisi in eis aliqua affectio gignatur. At substantia quòd contraria in ea sunt, ex eo vim habere dicitur accipiendi contraria. Nam & morbus in ea esse & valetudo potest, & candor & nigror: quæ cùm omnia in se accipit, vim habere accipiendi contraria dicitur. Quare naturæ ac essentiæ hoc proprium est, vim habere accipiendi contraria, immutatione sui, cum vnum & idem numero maneat. Ac de substantia quidem hactenus.

De quantitate.

Quantorum autem aliud deiunctum est, aliud coniunctum: & partim ex partibus constant, quæ situm quendam inter se habent, partim ex iis quæ non habent. Est autem deiunctum, vt numerus, vt oratio: Continuum, vt linea, extremitas, corpus, & præterea locus & tempus. Nam numeri partium terminus cõmunis nullus est, quo eius partes coniũgantur. Velut si quinque sint partes decem, nullo communi termino quinque & quinque coniuncta sunt, sed separata: neque tribus & septem vllus communis terminus accommodatur. Nec possis omnino in numero communem vllum partium terminum reperire, sed semper secretæ sunt ac separatæ. Ita numerus in eis est quæ secreta sunt. Similis est ratio orationis. Nam quantam esse orationem ex hoc perspici potest, quòd syllaba breui longáque põderatur. Id quod de vocis oratione intellectum volo. Partes enim eius, nullo communi termino & fine coaptantur: quoniam terminus communis nullus est, quo syllabæ cohæreant, verùm per se quæque secreta est. Linea autem continuata est. Licet enim communem sumere terminum, punctum videlicet, quo eius partes coniungantur, & extremitatis lineam. Nam extremitatis partes ad certum communem terminum omnes pertinent. Item in corpore potes reperire communem terminum, lineam, vel extremitatem, qua conuunctæ sint partes corporis. Atque etiam locus & tempus sunt generis eiusdẽ. Nam & id tempus quod adest quódque præsens est, cum præterito & futuro copulatur: & locum certum corporis partes occupant, quæ aliquo communi termino coaptantur. Loci ergo partes quæ singulas corporis partes continent, eodem termino quo corporis partes copulantur. Ita in continuatis est locus, quandoquidem ad certum communem terminum eius partes pertinent. Præterea alia ex partibus constant, quæ habent situm inter se: alia ex iis quæ non habent, veluti lineæ partes situm certum tenent, quoniam vnaquæque alicubi sita est: potésque vbi quæque sita sit in plano, explicare, quáque cum parte reliquarum omnium coaptetur. Itémque plani partes situm certum obtinent. AEque enim doceri potest, vbi singulæ sita sint, & quæ inter se aptæ. Eadem est ratio solidi corporis & loci partium. At verò in numero, quem eius partes inter se situm habeant, aut vbi sitæ sint, aut quæ inter se vinctæ atque aptæ, docere nemo potest. Ne temporis quidem. Pars enim nulla manet temporis. Quod autem non manet, quî situm certum habeat? quin potius

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinem certum id obtinere poßis dicere, quia temporiss pars alia prior, alia posterior est. Similitérque in numero, quòd vnum prius quàm duo. & duo antè quàm tria numerantur. Ita ordinem quèdam certum obtinent, situm autem eorum nunquã certè poßis reperire. Eadem est ratio orationis. Nulla enim eius pars manet, sed prolata & missa vox, iam reuocari nullo modo potest. Non igitur situs vllus erit eius partium, siquidem nulla manet. Alia igitur ex partibus constant, quæ ipsæ certo quodam situ constant. Alia ex iis quæ non constant. Sed propriè quanta nominantur ea quæ diximus, impropriè & casu cætera omnia. Hæc enim spectantes & intuẽtes, cætera quanta appellamus: veluti multum album aliquid dicimus, quòd extremitas magna sit: actionem & motionẽ diuturnam, quòd multum interiectum sit temporis. Neque enim quicquam eorum per se quantũ dicitur, vt si quis doceat quanta sit actio, eam tempore explicabit, anni vnius, aut sic quodammodo. Et qui res quàm sit alba exprimet, extremitatis ratione explicabit. Nã quàm longa est extremitas, tam album aliquid esse cõfirmauerit. Ita fit, vt sola ea quæ enumerata sunt, propriè quanta dicantur, reliqua omnia non per se illà quidẽ, sed casu & fortuito. Iam quantis nihil contrarium est. Nam certis ac definitis perspicuum est nihil repugnare, vt rei trium aut duorum cubitorum, vel extremitati, neque vlli eorum quæ sunt generis eiusdem. Nihil enim eis contrariũ est. Nisi fortè dicat aliquis & multa paucis, & magna paruis esse cõtraria. Atqui non sunt hæc in quantis, sed in iis quæ cum aliquo comparantur. Nihil enim per se magnum aut paruum dicitur, sed quod cum alio comparatur. Vt mõs paruus, milium

magnum: quia hoc maius sit omnibus iis quæ sunt eiusdem generis: ille, quia minor aliis eiusdem generis. Fit igitur cum altero collatio. Nam si per se magna aut parua dicerentur, nunquam certè mons paruus, nec milium magnum vocaretur. Præterea in vico multos esse, Athenis paucos, cum sint multo plures, dicimus: & domi multos, in theatro paucos, cum sit multo maior numerus. Iam res duorũ & res trium cubitorum, cæteráque eiusdem generis, quantum sit aliquid significant: magna autem & parua non quantum sit significant, sed potius comparationem. Nam ex altero spectatur quod magnum est & quod paruum. Perspicuum est igitur, ea in iis esse quæ cum aliquo comparantur. Præterea siue quis hæc ponat in quantis, siue non ponat, tamen nihil eis est contrarium. Quod enim non potest per se intelligi, cum aliquóque comparatur, quî potest ei quicquã esse contrarium? Præterea si magna paruis contraria sunt, in eodẽ simul contraria erunt, & idẽ sibiipsi aduersum. Accidit enim, vt res eadem vt simul magna & parua. Est enim ad hanc parua, eadem magna ad alterã. Eadem igitur res eodem tẽporẽ & parua est & magna. Ita simul cõtraria accipit. Nihil autem simul cõtraria accipit: vt in substãtia perspici potest, in qua cum esse cõtraria possint, tamẽ nulla simul in morbo est, & valet, nec alba & nigra simul est: nec aliud quicquam est in quo simul contraria esse possint. Atque etiam eadem res sibi ipsa aduersa erit. Si enim res magna paruæ contraria est, eadem etiam simul & magna & parua, certè eadem res sibi erit contraria. At fieri non potest, vt aliquid sibi sit contrarium. Non igitur sunt parua magnis contraria, nec multa paucis. Ex quibus efficitur, vt etiam si quis hæc non dicat

Universidad de Deusto
Biblioteca

in iis esse quæ cum aliquo comparantur, sed in quantis, tamen eis nihil sit contrarium futurum. Sed quatorum repugnantia in loco apparet maximé. Summum enim locum infimo contrarium ponũt, mediam regionem infimum locum appellantes, quòd inter medium & mundi terminos longissimum interiectum sit interuallum. Atque etiam ex his ducta videtur cæterorum contrariorum definitio. Contraria enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimum differũt. Nec verò illud magis aut minus, in quantis reperitur. Vt res duorum cubitorum non asciscit alia magis rei huius naturam atque rationem. Quod eodem modo iudicandum est de numero, veluti tria non magis quàm quinque numeri nomen obtinent, nec quinque potius quàm tria: ne tempus quidem aliud alio magis aut minus temporis appellatur nomine. Quanta igitur nec magis nec minus dicuntur. At quantorum maximè proprium est, paria & imparia nominari: quanta enim quæ diximus, omnia vel paria vel imparia vocantur, vt corpus par vel impar dicitur. Itémque numerus & tempus, par & impar. Similitérque singula quæ dicta sunt, vel æqua vel non æqua dicuntur. Cætera verò quæ non sunt in quantis, non admodum æqualia, vel inæqualia nominantur. Vt commutatio non admodum dicitur æqua vel non æqua, sed potius similis vel dissimilis: & res alba non ferè æqua vel non æqua, sed similis vel dissimilis. Est igitur hoc quantorum maxime proprium, vt paria vel imparia dicantur.

De iis quæ cum aliquo conferuntur.

EA autem cum aliquo conferuntur, quæ id quod sunt, aliorum esse dicũtur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur. Veluti maius quicquid ipsum est, id omne alteri tribuit, aliquò enim maius dicitur: & duplum, id ipsum quod est, ad alterum refertur. quoniam alicuius rei duplum est, itémque cætera omnia eiusdem generis. Sunt etiam hæc in iis quæ cum aliquo conferuntur, vt habitus, vt dispositio, vt scientia, vt situs. Hæc enim omnia quicquid sunt, aliorũ sunt, aut quomodocunque aliter cum altero conferuntur, ac nihil præterea. Nam & habitus, alicuius habitus dicitur: & scientia, alicuius scientia: & situs, rei cuiuspiam situs. Eadem est cæterorum omnium ratio. Sunt igitur quæ cum aliquo conferuntur ea, quæ id quod sunt alterius esse dicuntur, vel quoquo modo ad alterum referuntur, vt mons ad alterum magnus dicitur, quippe cum ad aliquid mons magnus nominetur. Quod simile est, alicui etiam simile dicitur, cæteráque omnia generis eiusdem eodem modo cum aliquo conferuntur. Sunt autem quædam situs genera, accubatio, status, sessio: situs autem in iis est, quæ cum aliquo conferuntur. Sed iacere, stare, sedere, non sunt ipsa quidem situs, ab iis autem generibus situs quæ diximus, orta sunt. Reperitur etiam in iis quæ cum aliquo conferuntur repugnantia, vt virtus vitio est contraria, cum vtrunque in iis sit quæ cum aliquo comparantur, & ignorationi scientia. Nec verò omnibus data sunt contraria. Duplo enim nihil aduersatur, nihil triplo, nec vlli eiusdem generis. Illud autem magis & minus in iis reperitur quæ cum aliquo conferuntur. Nam & quod simile ac dissimile est, similius dissimiliúsque dicitur: & quod par & dispar est, aliud alio magis par & dispar, cum vtrunque in numerum eorum veniat, quæ cum aliquo conferuntur. Quod enim simile est, cupiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

simile: & quod par est, alicui par esse dicitur. Quanquam non omnia quæ cum aliquo cõparantur, illud magis aut minus admittunt. Neque enim duplum magis aut minus duplum, quàm aliud habetur, nec quicquam eiusdem generis.

Omnia verò quæ in hoc genere sunt, reciprocantur: velut seruus, domini seruus: vicißímque dominus, serui dominus esse dicitur. Et vt duplum simpli, sic vicißim simplum dupli simplum habendum est. Itémque & maius minore maius, & minus maiore minus dicitur. Eadem est ratio cæterorum, nisi quòd interdum casus dißimilitudo rationem dicendi commutabit. Quanquam enim scientia, rei quæ sub scientiam cadit, dicatur: tamen res quæ scientiæ subiecta est, scientiæ non dicitur, sed sub scientiam cadere dicitur. Et sensus, rei quæ sub sensum cadit sensus est: vicißímque res subiecta sensui, non dicitur sensus, sed sub sensum cadere. At enim reciprocari nonnunquam ista non videbuntur: quoties non accommodatum ad id quod dicitur, verbum exprimit is qui rem declarat. Vt si quis pennam auis esse dixerit, non vicißim dicat auem pennæ esse: cum præsertim primum quod dedit, non esset verbum proprium, cum scilicet dixit pennam auis esse pennam. Non enim hoc ipso quia auis sit, penna eius propria est, sed quia pennigera sit: Siquidem pleriſque aliis pennæ attributæ sunt, quæ in numero auium non habentur. Ergo si aptè & accommodatè ad rationem dicendi verbum exprimatur, continuo reciprocantur. Velut penna pennigeri penna, vicißímque penniger pennæ penniger. Atque etiam hoc loco interdum sanè si nullum accommodatum sit rebus nomen impositum, nomina facienda sunt necessariò. Vt si gubernaculum dicatur nauis esse gubernaculum, haud probè fiat. Neque enim hoc ipso quòd nauis sit, eius gubernaculum esse dicitur, cum naues sint quæ nulla gubernacula habeant. Itaque nou est hoc loco reciprocatio. Nauis enim non solet dici gubernaculi nauis: aptiórque ratio dicendi fiat, si gubernaculum rei gubernaculo instructæ esse dicatur, quandoquidem res instructa gubernaculo ob id dicitur, quòd gubernaculũ habeat. Similis est ratio cæterorum, vt caput aptius capitati, quàm animalis: quippe cùm non quia animal sit, caput habeat: carent enim capite multa animalia. Sed ita facillimè nomina imponentur rebus, quarum nulla sunt propria, si à primis, eorum etiam declinatione quadam deducantur nomina, quibus cum ipsa prima comparantur. Id quod in iis perſpici potest de quibus modò diximus, vt à pennã pennigerum, à gubernaculo quod gubernaculo regitur. Quare quæ cum aliquo conferuntur, si aptè & accommodatè dicantur, reciprocantur omnia. Nam si cum alio aliquo conferantur quàm quod propriè ac per se reſpiciant, non reciprocantur. Dico autem ne ea quidem vicißim inter se respondere posse, quæ omnium consensu reciprocantur, etiam si imposita eis sint nomina: siquidem ad aliquid eorum quæ accidunt, non ad id ad quod propriè affecta sunt, accommodabuntur. Veluti seruus si non domini, sed hominis aut bipedis, aut cuiußpiam eius generis seruus dicatur, certè nulla futura est inter eos reciprocatio. Neque enim homo esse serui homo dici potest, propterea quòd non est ea apta & propria dicendi ratio. Quòd si aptè & accommodatè ad id ad quod refertur, verbum exprimatur, apta ad ipsum illud semper erit dictio, etiam si omnia quæ aduentitia sunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

detrahantur, iis solis remanentibus, cum quibus conferuntur. Vt seruus si cum domino conferatur, profectò sublatis detractisque omnibus, quæ domino ascititia & aduentitia sunt, velut eum bipedem esse, & natum ad scientiam & cognitionem, & hominem, relicto illo solo, eum herum esse, tamem semper ad ipsum referetur. Siquidem seruus, domini seruus nominatur. Nam si parum accommodatum ad id cum quo confertur, nomen reddatur, separatis cæteris omnibus, relicto autem eo vno cui adiunctum erat, minimè cum eo conferetur. Accommodetur enim, exempli gratia, seruus ad hominem, & penna ad auem, seiungatúrque ab homine heri appellatio, iam seruus cum homine non comparabitur: itémque ab aue separetur pennigeri ratio, non iam penna veniet in numerum eorum, quæ cum aliquo conferuntur. Sublato enim pennigero, nullius certè penna est futura. Quapropter verbum accipiendum est cum quo alterum ritè conferatur. Quòd si nomen sit impositum, facilis est verbi accommodatio: sin nullum sit, profectò faciendum nouum necessariò est. Quæ si hoc pacto omnia tribuantur, perspicuum est, quæ cum aliquo conferentur, reciprocatũ iri omnia. Iam quæ sunt in hoc genere, simul sunt naturæ ordine. Ac in plerisque id verum est, in aliis non item. Simul enim atque duplum est, & simplum est: & si simplum sit, duplum quoque est: & si dominus sit, seruus sit necesse est: & si seruus sit, & dominus. Similis est ratio cæterorum. Atque etiam tollunt hæc inter se omnia. Neque enim sublato duplo, esse simplum vllo pacto potest, aut simplo sublato, duplo loci aliquid relinquitur. Eadem est aliorũ ratio, quæ sunt eiusdem generis. At non in omnibus iis quæ cum aliquo conferentur, id verè di-

citur, ea simul esse ordine naturæ. Nam res ea quæ scientiæ subiecta est, prior est naturæ ordine scientia: quòd ferè res postquam iam sunt, scientia comprehendamus. In paucis enim, aut in nullis potius, scientiam simul esse cum re quæ sub scientiam illam cadit, perspici potest. Præterea sublata re quæ sub scientiam cadit, scientia quoque tollitur. At sublata scientia, id quod cadit sub scientiam non tollitur. Siquidem si nulla sit res subiecta scientiæ, non est scientia, quoniam nullius erit rei scientia. At verò sublata scientia, nihil prohibet rem esse eam quæ sub scientiam cadat. Vt de orbis quadratura (si scientia comprehendi possit) necdum scientia est, cum interim cadere possit sub scientiam. Iam verò sublato animante nullus locus scientiæ relinquitur, cum interim res multæ comprehendi possint scientia. Similis etiam ratio eorum est, quæ in sensibus cernimus. Res enim subiecta sensui, sensu antiquior est. Sublata enim re quæ cadit sub sensum, sensus tollatur necesse est: sensu verò sublato, non tollitur quod sensu percipi potest. Nam sensus & in corpore sunt, & circa corpora versantur. Atqui sublata re quæ sensus mouet, etiam corpus, quoniam in ius quæ sensus mouentia sunt habetur, tollitur. Et si nullum sit corpus, nullus futurus est sensus. Re igitur quæ subiecta est sensui sublata, sensus vnà tollitur: sensus autem si subtrahantur, sensus mouẽtia quæ sunt, minimè tolluntur. Sublato enim animali, sensus quidem tollitur: corpus autem quod cadat sub sensum, remanet: vt calida, dulcia, amara, cæteraq; omnia quæ sensum mouent. Postremò sensus vnà cũ eo quod vim habet sentiendi existit: quandoquidem vnà cum animali sensus oritur. Res autem subiecta sensibus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

animali & ſenſu antiquior eſt. Nam & ignis & aqua, & cætera eius generis ex quibus conſtant animantes, animalibus & ſenſibus omnibus antecedunt. Senſu igitur id quod ſenſus mouet, eſt antiquius. Sed hoc loco quæſtio quædam exiſtit, nullane ſit eſſentia, id quod videtur in iis quæ cum aliquo conferuntur, an id fieri poſſit in nonnullis ſecundis ſubſtantiis. Nam id quidem verum eſt de primis ſubſtantiis, quippe cùm nec totæ nec partes primarum naturarum ad aliqua referantur. Neque enim aliquis homo, cuiuſpiam homo dicitur: neque hic vel ille bos, alicuius certus bos. Similis eſt ratio partium. Manus enim aliqua, non appellatur alicuius certa manus, ſed alicuius manus: & caput quoddam non cuiuſpiam quoddam caput, ſed alicuius caput vocatur. Quod idem in pleriſque ſecundis eſſentiis contingit. Vt homo cuiuſpiam homo non dicitur, nec bos, bos alicuius, nec lignum, alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſio. Atque id quidem perſpicuum eſt, hæc talia omnia in iis non eſſe quæ cum aliquo conferuntur. De quibuſdam autem ſecundis eſſentiis quæſtio eſt. Veluti caput, alicuius caput: & manus, cuiuſpiam manus dicitur, itémque cætera generis eiuſdem. Videntur igitur hæc in iis eſſe quæ cum aliquo conferuntur. Ac ſi ſatis explicata perfectéque tradita eorum eſt definitio quæ cum aliquo conferuntur, profectò aut magni negotij eſt ſubſtantiam nullam in hoc genere eſſe docere, aut certè id fieri non poteſt. Sin ſecus, ſuntque ea demum in iis quæ cum aliquo conferuntur, quorum vis omnis & natura in eo poſita eſt, vt ad aliquid affecta ſint, certè aliquid quod contra hæc valeat, afferatur. Et quanquam prior definitio in omnia ea valeat, quæ cum aliquo conferun

tur: tamen non idem eſt, rem aliquam id ipſum quod eſt alterius dici, & rem aliquam id modò eſſe quod cum aliquo comparatur. Ex quo perſpicuum eſt, eum qui certo ſciat aliquid eorum quæ in hoc genere ſunt, etiam illud cum quo confertur, probè intellecturum: quod etiam hinc intelligi poteſt. Nam ſi quis quippiam in iis eſſe quæ cum aliquo conferuntur ſciat (eſt autem vis & natura eorum quæ ſunt in hoc genere, ad aliquid certo quodam modo affecta eſſe) illud etiam ſciat neceſſe eſt, quam ad rem id ipſum quoquo pacto ſit affectum. Nam ſi quam ad rem illud affectum ſit quoquo modo prorſus ignorat, ne illud quidem intelliget an ad aliquid affectum ſit quoquo modo. Atque id in rebus ſingulis perſpici poteſt. Vt ſi quis hoc vel illud certò ſciat duplum eſſe, is continuo cuius id ſit duplum probè nouerit. Si enim nullius eorum quæ certa ſunt & definita, duplum ipſum nouerit, ne illud quidem an ſit duplum prorſus intelliget. Itémque ſi certò ſciat quiſpiam hoc vel illud eſſe melius, idem quo illud ſit melius ſtatim probè intelligat neceſſe eſt: ob id autem quo deteriore ſit præſtantius, non incertè cognoſcet: opinio enim hæc eſt, non ſcientia. Neque enim adhuc certò ſciet, deteriore melius eſſe: quoniam ſi res ita ferat, nihil eo ſit deterius. Quapropter illud quidem perſpicuum eſt, ſi quis probe norit aliquid eorum quæ cum aliquo conferantur, eum neceſſe eſſe illud etiam probè noſſe, cum quo conferatur. At verò caput, manum, & cætera eiuſdem generis, quæ ſunt in eſſentiis, ea quidem quicquid ſunt, quiſpiam certò ſciat neceſſe eſt: id verò cum quo conferantur, non neceſſe eſt. Cuius enim hoc caput ſit, cuiúſque hæc manus, cognito capite cognitáque

Universidad de Deusto
Biblioteca

manu, certò sciri non potest. Non sunt igitur hæc in iis quæ cum aliquo conferuntur. Quòd si hæc non sunt in iis quæ cum aliquo conferuntur, certè verè dicitur, substãtiam nullam in numerum eorum venire, quæ cum aliquo conferantur. Quanquam autem difficile est, aliquem qui in his non sit multum diúque versatus, de his talibus certum aliquid affirmare, tamen singulatim de his quæstionem ponere magnæ vtilitatis est.

De qualitate.

Qualitatem autem voco, ex qua quales nominamur. Qualitatis autem genera sunt plura. Vnum, habitus & affectio. Sed habitus hoc differt ab affectione, quòd habitus longinquior est & permanentior, quales sint scientia, atque virtutes. Scientia enim in iis est, quæ permanent diuturnáque sunt, etiam si scientia aliquis sit mediocriter instructus, nisi vi morbi aut alicuius eiusdem generis, permagna inciderit mutatio. Eadem est ratio virtutis. Vt iustitia, vt temperantia, & cætera eiusdem generis, non facile euelli mutaríque possunt. At verò affectiones facile commutari, celeritérque euelli possunt & distrahi: vi calor, vt frigus, vt morbus, vt bona valetudo, omniáque quæ sunt generis eiusdem. Nam & his homo quodã modo afficitur, & celeriter ex calore in frigus commutatur, & ex bona valetudine in morbum. Quod idem in cæteris talibus contingit, nisi aliqua eorum longinquitate temporis in naturæ habitum sic transferantur, vt vel omnino tolli non possint, aut ægrè eiici, quæ tum habitus appellari licet. Illud autem perspicuum est, ex his in habitibus habenda esse ea, quæ diuturniora sunt, quæque permanentiora. Nam qui scientiã

aliquam particulam tenent, non firma memoria, sed exili, in iis habitum esse non solemus dicere, quanquam quodammodo affecti sunt scientia, aut in bonam, aut malam partem. Hoc igitur inter habitum & affectionẽ interest, quòd hæc facilè desistere potest, ille diuturnior est, difficultérque diuellitur. Habitus verò etiã affectiones sunt: affectiones autem non necesse est vicissim esse habitus. Nam & ij in quibus habitus insunt, iis etiam assiciũtur: & qui affecti sunt, ij non cõtinuo habitibus sunt præditi. Alterum genus qualitatis est, ex quo aliquos pugilum habitum gerere, & ad cursum valere: alios ad bonam valetudinem & ad morbos procliues esse dicimus, & omnino ea omnia quæ à vi naturali aut imbecillitate appellantur. Non enim ex eo hæc dicuntur, quòd affecti sint quodam certo genere, sed quia vim quandam aut imbecillitatem eis natura tribuit, qua aptos animos habent ad facile aliquid faciendum, nihilve patiendum. Vt pugilum & cursorum habitu esse dicuntur, non ex eo quòd affecti sunt quodammodo, sed quòd natura valent, aut non valent ad aliquid facilè obeundum. Valentes etiam appellantur, quòd vim habeãt naturalem, vt non facilè, nec leui da causa, de statu suæ valetudinis dimoueãtur. Imbecilli autem, quòd tam infirma sunt valetudine, vt statim quauis ex causa commoueantur. Similis est ratio durorum & mollium. Durum enim dicitur ex eo, quòd in eo vis insit quædam innata, impediens quominus facilè secari queat. Molle autem, quòd in eo vis ea non insit. Tertium qualitatis genus conficiunt patibiles qualitates ac perturbationes: in quo genere sunt dulcedo, amaror, acrimonia, quæque sunt eiusdem generis: itémque calor, frigus, candor,

Universidad de Deusto
Biblioteca

atror. Has autem esse qualitates hinc perspici potest, quòd ea in quibus insunt, qualia ex eis nominantur. Vt mel, quia dulcedine perfusum est, dulce appellatur: & candidum corpus, quòd candore præsiet. Quod idem in cæteris contingit: Sed patibiles qualitates vocantur, non quòd ea quæ eas receperunt, affecta sint aliqua ex parte. neque enim mel ex eo dulce dicitur, quòd affectum sit quippiam, nec quicquam tale. Itémque calor & frigus qualitates vocantur patibiles, non ob eam causam quòd ea in quibus insunt, passa sint aliquid: sed patibiles qualitates ex eo dicuntur, quòd in sensibus omnes hæ qualitates, quas modo nominaui, motũ quendam & affectionem efficiant. Nam & dulcedo quendam motum affert gustatui, & calor tactui, & cætera eiusdẽ generis. At verò candor & nigror aliíque colores non eodem modo quo ea quæ diximus, qualitates dicuntur, sed quòd à perturbationibus motionibúsque natæ sint. Nã cõmutationes multis colorum, ex perturbationibus oriri hinc intelligi potest, quòd quando quis pudore afficitur, ruber fit, & qui metuit, pallidus: itémq; cæteris eusdẽ generis. Quocirca si cui natura aliquã talem rationẽ tribuerit, verisimile est eũ simili fore colore. Quæ enim, cùm pudore aliquis affectus est, in corpore nascitur affectio, eadẽ à naturæ institutione existere potest, vt naturæ etiam similis color oriatur. At quæ qualitates ortum habent & originem ab affectionibus, quæ vix tolli possunt, ac permanent, patibiles nominantur. Siue enim à prima institutione naturæ pallor aut atror extitit, qualitas dicitur (quales enim ex eis appellamur) siue longo morbo aut ardore eædem comparatæ sunt qualitates, nec facile corrigi possunt, aut per omne tempus ætatis valent qualitates etiam hæ patibiles nominãtur, siquidem ex iis quales appellamur. Quæ autem ab iis quæ facilè euelli possunt oriuntur, motiones dicuntur, patibiles qualitates non item: quandoquidem non ex iis homines quales nominantur. Neque enim qui erubuit, ob id ipsum quòd pudore affectus est, ruber vocatur: nec qui metu expalluit pallidus, sed potius non nihil perturbatus fuisse dicitur. Ita perturbationes sunt hæc quidem omnia, qualitates non sunt. Similiter in animo & patibiles qualitates dicuntur & perturbationes. Quæ enim simulac orti sumus, ex motionibus quæ difficulter euelli possunt, oriuntur, eæ etiam qualitates nominantur. vt mentis è sua sede amotio, vt ira, & cætera eiusdem generis. Nam quales ex iis nominamur, vt amentes, vt iracundi. Itémque omnes mentis ex suo statu depulsiones, quæ non natura, sed temerè & fortuitò hominibus eueniunt, aut quæ vix euelli possunt, & si qua iis similia: quippe cùm ex iis quales nominemur. At quæ constant ex iis quæ facilè ac cito dissipari possunt, vocantur perturbationes, vt si quis ira commotus, fiat iracundior. Neque enim iracundus appellatur ex eo quòd in hac perturbatione iracundior existat, sed potius quòd aliquid acceperit, & quasi passus sit, dicimus. Perturbationes igitur hæ, non qualitates vocantur. Quarum qualitatis genus est figura, & ea quæ in quoque est forma, itémque rectitudo & obliquitas, & si quid aliud his simile est, nam ex his aliquid quale dicitur. Nam & triangulum & quadratum, & rectum & obliquum esse, quale quiddam nominatur. Atque etiam ex forma quale aliquid nominatur. Rara autem & crassa, aspera & læuia, quale quiddam illa quidem videntur significare, sed aliena sunt ab ea quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

qualitatis propria est, affectione. Situm enim potius verba talia declarant. Crassum enim quid dicitur, quòd eius partes inter se propè cohæreant. Rarum autem id, cuius partes inter se disiunctæ sunt. Læuia, quòd partes quodammodo in rectum sitæ sint. Aspera, quòd partes aliæ emineant, aliæ superentur. Alia etiam fortasse sunt genera qualitatis, sed hæc sunt ferè quæ maximè in omnium ore versantur. Ac qualitates quidem quid sint, qualésque, diximus. Qualia autem sunt ea, quæ ab eis sunt cognominata, aut quoquo alio modo deducta: pleraque enim, ac fere omnia, ab iis nomina duxerunt. vt à candore candidus, à grammatica grammaticus, à iustitia iustus, itémque cætera eiusdem generis. Sunt autem quidam, qui quoniam nomina nulla imposita sunt qualitati, nomina sua ab ea non trahant, velut cursor & pugilis qui ex vi innata nominatur, nomen non traxit ab vlla qualitate. Neque enim imposita sunt rebus iis nomina, ex quibus quales hi appellantur: perinde atque scitius, à quibus hi pugiles aut palæstrici nominãtur propter affectionẽ. Ars enim pugilum, & palæstra, eæ artes appellantur, à quibus quales ij nominis adiunctione & coniugatione appellãtur. Interdum impositum nomen est qualitati, cum interim id quòd quale ex ea dicitur, nomen non mutuatur ab ea, vt à virtute, virtute præditus. Virtute enim præditus dicitur aliquis, quòd virtutem habeat, nec est simplex à virtute cognominatum: idque in paucis contingit. Sunt igitur qualia ea, quæ nomina sua ab iis qualitatibus de quibus differui, sumpserunt, aut alio quodam modo ab iis orta sunt. Est autem qualitatibus inter ipsas repugnantia, vt iustitiæ iniustitia contraria est, & candor atrori, itémque cætera einsdem generis. Eadem est eorum ratio quæ ex iis qualia nominantur: velut iusta iniustis cõtraria sunt, & nigra candidis. Nec hoc in omnibus contingit: Rubris enim aut fusco, coloribúsve talibus nihil cõtrarium est, cum sint qualia. Illud etiam intelligendum est, si vnum aduersorum in qualibus est, alterum etiam in iis fore: quod singulatim cæteras categorias intuẽti perspicere licet. velut, Si iniustitiæ contraria sit iustitia, iustitia autem sit qualitas, qualitas iniustitia sit necesse est. Nulla enim categoria præter qualitatem iniustitiæ conuenit & accommodatur. Similis est ratio cæterorum omnium quæ in qualitate cõtraria sunt. Recipiunt etiam intentionem & remissionem qualia. Nam & albũ aliud alio albius dicitur, & aliud alio magis minúsve iustum. Atque etiam incrementum ipsa ad se comparata recipiunt: quod enim album est, fieri potest albius. Sed in plerisque id fit, non in qualibus omnibus. Nam iustitiáne alia, alia magis minúsve iustitia dicatur, quæstio est. Quod idem in cæteris affectionibus contingit. Nonnullis enim hæc in dubium veniunt. Iustitiam enim iustitia minorem maiorémve, aut valetudine valetudinem dici non putant oportere. Alium quidem alio & magis valere dicunt, & iustiorem: quod idem sit in grammatica cæterísque affectionibus omnibus. Sed ea quæ ex ipsis nominantur, sine vlla controuersia magis & minus sibi adiungunt. Nam & alio alius peritior grammaticus est, & valẽtior, & iustior. At verò triangulus & quadratum illud magis & minus non probant, neque vlla alia figura. Ea enim in quæ trianguli orbísque definitio valet, omnia æquè trianguli orbésque sunt. Eorum autem quæ trianguli orbísque non reci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

piunt definitionem, nihil aliud alio magis dicetur. Nam nihilo magis quadratum quàm altera parte longius, est circulus, quippe cum in neutrum valeat circuli definitio. Omnino autem, nisi vtraque rationem eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterum altero magis minúsve dicatur. Non igitur in omnibus qualibus illud magis minúsve dicitur. At eorum quidem quæ adhuc commemorata sunt, nihil est qualitatis propriũ. Similia autem aut dissimilia aliqua in solis qualitatibus reperiuntur: præsertim cum nihil simile aut dissimile dicatur alia re vlla, nisi ex qua illud quale appelletur. Est igitur qualitatis proprium, ab ea aliquid simile aut dissimile nominari. Sed nihil est quòd verear, ne quis nos dicat, cum de qualitate disputaremus, multa enumerasse eorũ quæ in iis esse dixerim, quæ cum aliquo conferantur. Et si enim habitus & affectiones ad ea retulimus, quæ cum aliquo conferuntur, in iisque sunt ferè qualitatis genera omnia, tamen res singulæ nullæ in iis reperiuntur. Nam & scientia quæ genus est, quicquid ipsa est, alterius esse dicitur (alicuius enim scientia vocatur) & res singulæ nullæ quicquid ipsæ sunt, ad aliud referunt. Vt grammatica non dicitur alicuius grammatica, nec musica alicuius musica: nisi fortè hæc ipsa propter genus, in iis sunt quæ cum aliquo conferantur. Velut grammatica, alicuius scientia dicitur, non alicuius grammatica: & musica alicuius scientia, non alicuius musica. Non sunt igitur res singulæ in iis quæ cum aliquo conferuntur. Quales autem ex singulis scientiis nominamur, quoniam ea sunt in nobis, & artifices ex eo dicuntur, quòd nonnulli singulis scientiis præditi sint. Quare singulæ scientiæ etiam qualitates erunt, ex quibus quales appellamur, nec in iis sunt quæ cum aliquo conferuntur. Postremo si idem sit & in qualitatibus & in iis quæ cum aliquo conferuntur, non alienum est id ipsum in vtroque genere collocare.

Agere & Pati.

Atque etiam agere patique, & repugnantiam recipiũt, & magis ac minus. Calfacere enim & refrigerare sunt inter se contraria, & calescere & frigere, & gaudere ac dolere. Reperitur igitur in his repugnantia. Item magis & minus. Nam & calfacere magis ac minus licet, & minus calescere & magis, & maiorem minorémque percipere dolorem. Illa igitur agere & pati, cùm magis minúsque copulantur. Atque de his quidem hactenus. In iis quæ cum aliquo conferuntur, situm esse, à situ nomen habere diximus. De cæteris categoriis quæ sunt, quando, vbi, & habere, quoniam apertæ sunt & non obscuræ, nihil aliud trado nisi id quod initio dixi. Habere idem declarare quod vestitum esse & armatum esse: & Vbi, vt in Liceo, in foro, cæteráque omnia quæ de iis dicta sunt. Ac de generibus quidem quæ nobis proposuimus, satis multa dicta sunt.

De contrariis.

Nunc de contrariis, quot modis opponi soleant, differamus. Contrariorum autem genera sunt quatuor. Vnum eorum quæ cum aliquo conferuntur: alterum eorum quæ aduersa dicuntur, tertium eorum quæ priuantia: quartum eorum quorum alterum ait quid, alterum negat. Hæc autem omnia, vt simpliciter rem proponam, contraria

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, in iis quæ cum aliquo conferũtur, vel duplũ, simplum: in iis quæ aduersa dixi, vt bonum, malum: priuantia, vt cæcitas & aspectus: aientia & negantia, vt sedet, non sedet. Ac ea quidem contraria quæ cum aliquo conferuntur, quicquid ipsa sunt, contrarij esse dicuntur, aut quoquo modo aliter ad id affecta sunt. Vt duplũ simpli, quicquid ipsum est, alterius esse dicitur: Est enim alicuius duplum. Scientia etiam, & res quæ sub scientiam cadit, vt ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se contrario nomine opponuntur, quippe cum & scientia tota in re quæ ei est subiecta versetur, & res quæ subiecta est scientiæ, ad scientiam tota referatur. Res enim quæ scientia comprehenditur, alicui scientiæ subiecta est. Quæ igitur, vt ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se contrario nomine opponũtur, quicquid ipsa sunt, contrariis tribuunt, aut quoquo pacto inter se affecta sunt. At verò quæ vt aduersa, contraria sunt, neutiquam inter se ita affecta sunt, vt vim naturámque suam inter se referant, sed tamen inter se sunt contraria. Non enim bonum, mali bonum appellatur, sed contrariũ. Differunt igitur hæc inter se cõtrariorum genera. Quæ autem aduersa sunt eiusmodi, vt necesse sit alterum inesse in iis, quibus natura insunt, aut de quibus dicuntur, inter ea nulla media interiecta sunt. Quorum verò non est necesse inesse alterum, in medio eorum aliquid est collocatum. Vt morbus & bona valetudo in corpora nasci solent, & alterum necesse est vel morbum vel bonam valetudinem animantis corpori conuenire. Impar etiam & par in numero dicitur, alterutrúmque necesse est in numero reperiri: nec inter ægrotationem & valetudinem, par & impar quicquam medium inter-

iectum est. Quorum non est necesse alterutrum inesse, in medio eorum aliquid collocatum est. Veluti candor & atror in corpore natura nascuntur, & tamen non necessariò alterutrum inest in corpore, cum præsertim non omne corpus album sit aut nigrum. Item malum & bonum & in homine, & in aliis plerisque illa quidem dicuntur, sed tamen alterutrum non est necesse in iis inueniri de quibus dicuntur. Non enim vel mala sunt, vel proba omnia. Itaque his interiectum est aliquid, vt inter album colorem, & nigrum, fuscus & pallidus, & cæteri colores: & inter malum & bonum, quod neque malum est, neque bonum. Ac nonnullis quidem mediis rebus imposita sunt nomina: vt fuscus & pallidus inter album & nigrum medij sunt colores, & cæteri eiusdem generis. In aliis non est facile id quod medium est, nomine vno appellare & exprimere: definitur autem vtriusque extremi negatione, velut quod nec bonum est, nec malum, quod nec iustum est nec iniustum. Priuantia autem in eodem aliquo reperiuntur, vt in oculo cæcitas & aspectus. Atque vt rem in pauca conferam, in quo natura debet ac solet esse habitus, in eodem vtrunque dicitur existere. Priuari verò tum denique dicitur aliquid eorum quæ apta sunt ad percipiendam rem, cum in quo debet inesse, aut quando debet haberi, nequaquam inest. Edentulum enim appellamus quempiam, non quòd dentibus careat, & cæcum, non quòd careat oculis, sed quòd non habeat ea tum cùm natura apta sunt. Sunt enim quædam quæ à primo ortu oculis careant & dentibus, quæ tamen nec cæca nec edentula dicuntur. Priuari autem re, & habere rem, non idem est quod priuatio, & habitus: quoniam habitus est aspectus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

priuatio cæcitas: nec habere oculos est ipse aspectus, nec cæcum esse ipsa cæcitas. Nam & priuatio quidam cæcitas est, & cæcum esse, est priuatum esse, non priuatio. Deinde si idem esset cæcitas, quod cæcum esse, profectò de eodem vtrunque diceretur: nunc cæcus homo dicitur, cæcitas homo non dicitur. Videntúrque inter se opponi, priuari re & habere rem, more eorum quæ priuantia dicimus. Eadem est enim ratio repugnantiæ. Vt enim cæcitas aspectui repugnat: sic cæcum esse etiam & aspectum habere, inter se repugnant. Ne id quidem quod sub affirmationem & negationem cadit, idem quod affirmatio & negatio declarat. Nam & affirmans est oratio, affirmatio: & quod sub affirmationem & negationem cadit, res est, non oratio. Hæc autem inter se opponi vt assertio & negatio dicuntur, quoniam in iis eadem ratio repugnantiæ valet. Nam vt assertio & negatio inter se contrariæ sunt, veluti sedet & non sedet: sic res quæ vtroque eorum continentur, vt sedere aliquem & non sedere, contrario opponuntur nomine. Priuantia verò non opponi inter se more eorum quæ cum aliquo conferuntur, hinc intelligi potest, quòd vis eorum non ex mutua coniunctione intelligitur & pendet. Non enim aspectus, cæcitatis aspectus dicitur, neque vllo alio modo ad eam affectus est. Similiter ne cæcitas quidem, aspectus cæcitas appellatur: verùm oculorum priuatio cæcitas dicitur, oculorum cæcitas non dicitur. Præterea quæ cum aliquo conferuntur, reciprocantur omnia. Itaque si in iis cæcitas esset quæ cum aliquo conferuntur, certè illud etiam reciprocaretur quo cum iungeretur. At ei vicissim non respondet. Neque enim aspectus, cæcitatis aspectus nominatur. Atque

etiam ne more quidem eorum contrariorum quæ aduersa dixi, inter se contraria esse priuantia, hinc perspicitur. Nam contrariorum eorum inter quæ non est medium, alterutrum necesse est semper inesse iis quibus natura conueniunt, aut de quibus dicuntur. Inter ea enim nihil medium interiectum esse posuimus, quorum alterutrum in eo reperiretur necessario, quod vim ad id accipiendum haberet: veluti inter morbum & bonam valetudinem, inter parem numerum & imparem. Inter quæ autem medium est, nunquam necesse est alterutrum in vlla re inueniri. Neque enim necessariò album est aut nigrum, neque calidum aut frigidum id omne, quod vim habet hæc recipiendi: quippe cum nihil prohibeat aliquid eorum, quæ inter hæc ipsa media sunt interiecta, conuenire. Iam verè inter ea etiam medium aliquid est, quorum alterutrum in eo non reperitur necessariò, quod id recipere potest, nisi quibus natura alterum tributum sit; vt ignis natura calidus est, & nix alba. In his enim necessariò alterum reperitur, non alterutrum, vtrumuis occurrat. Neque enim fieri potest vt ignis frigidus sit, aut nix atra. Ergo non necesse est, alterum eorum in omni re inesse, quæ vim habet ad recipiendum, sed in ea sola cui alterum innatum est & insitum, atque ei alterum definitè conuenit, non alterutrum. At verò priuantium neutrum verè dicitur, præsertim cum non semper necesse sit in eo quod recipere illa potest, inesse alterum. Cui enim nondum natura conuenit aspectus, is neque cæcus esse, neque despicere dicitur. Ita nunquam hæc in iis esse possunt aduersis & contrariis, inter quæ non est medium. Nec in iis quidem, quibus medium interiectum est. Necesse est enim in omni re quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

vim habeat ad ea recipienda, ineſſe alterum: quoniam quod tempus à natura conſtitutum eſt ad deſpiciendum, in eo animans vel cæcus eſt vel deſpicit: atque eorum non præfinitè alterum dicitur, ſed alterutrum. At verò eorum contrariorum inter quæ medium eſt, nunquam alterum in omnibus quæ recipere poſſunt, ſed quibuſdam ſolùm, ídque præfinitè alterum, non alterutrum, ineſt neceſſariò. Quare perſpicuum eſt, neutro modo priuantia inter ſe contraria eſſe, quo contraria ſunt inter ſe ea quæ aduerſa nominauimus. Poſtremò contrariorum quandiu res ſubiecta eſt, fieri poteſt inter ipſa commutatio, niſi ſi cui alterum natura ſit tributum, vt igni calidum eſſe. Nam & valentes in morbum incidere poſſunt, & alba nigra fieri, & frigere quæ calefcunt: ex bono etiam improbus, & viciſſim ex malo probus effici poteſt. Prauus enim, ſi ad meliorem vſum rationémque ex mala deducatur, iam habeat ad virtutem progreſſionis aliquantulum. Cùm autem ſemel, vel parum in virtute proceſſerit, profectò aut perfectam ſapentiam mutatione morum conſequetur, aut certè magnam in virtute faciet progreſsionem. Semper enim aptiores animos habet ad virtutem, quamuis parum initio in ea proceſſerit, vt veriſimile ſit eum maiorem progreſſum eſſe facturum. Quòd ſi ſit ſempiternum, tandem certè aliquando, niſi tempus impediat, perfectam ſapientiam conſequetur. A priuantibus nulla inter ſe fieri mutatio poteſt. Etſi enim ex re in priuationem ſit progreſſus & commutatio, tamen regreſſus ex priuatione in rem quæ amiſſa eſt, fieri nullo modo poteſt. Neque enim qui oculis ſemel captus eſt, vnquam poſtea iterum deſpexit: nec caluus comam recepit, nec edentulus dentes.

Aientia autem & negantia non eſſe inter ſe contraria, vllo generum quæ cõmemorauimus, ex hoc intelligi poteſt, quòd in his ſolis neceſſe eſt verum vnũ eſſe, falſum alterum. Nam nec contrariorum neceſſe eſt ſemper alterum verum eſſe, alterum falſum: nec eorum quæ cum aliquo conferuntur, nec priuantium. Vt bona valetudo & ægrotatio aduerſa ſunt, neutrúmque nec verum eſt, neque falſum. Itémque duplum & ſimplum quæ cum aliquo conferuntur, cõtraria ſunt inter ſeſe, nec alterum verum eſt aut falſum. Ne priuantia quidem, vt aſpectus & cæcitas. Omninóque nihil quod in coniunctione non dicitur, verum eſſe aut falſum vllo modo poteſt. At quæ enumerata ſunt, ſimplicia, non coniuncta ſunt omnia. In iis etiã contrariis quæ coniuncta ſunt id non videtur contingere. Nam cum valere Socratem, & Socratem ægrotare contraria ſint, tamen non eſt ſemper horum alterum verum eſſe. falſum alterum. Etenim ſi in vita maneat Socrates, alterum verum, alterum erit falſum: Sin ex vita exceſſerit, vtrunque falſum. Si enim Socrates nullus ſit omnino, nec ægrotare eum verum eſt, nec valere. In priuantibus ſi omnino nullus ſit, neutrum verum eſt: ſin in vita ſit, non ſemper alterum verum, alterum falſum eſt. Cum enim deſpicere Socratem, & cæcum eſſe Socratem priuantia ſint, tamen non neceſſe eſt alterum verum eſſe vel falſum. Nam quo tempore nondum ei natura aptus eſt aſpectus, ambo falſa ſunt: quo autem tempore in vita non manet Socrates, vtrunque etiam falſum eſt, & deſpicere eum & cæcum eſſe. At aientium & negantium, ſiue Socrates in vita ſit, ſiue nullus ſit omnino, ſemper alterum falſum, alterum verum eſt futurum. Nam ægrotare Socratem, & non

Universidad de Deusto
Biblioteca

ægrotare, si is in vita maneat, perspicuum est alterum verum esse, alterum falsum. Itémque si discesserit è vita. Nam ægrum esse eum, cum nullus sit omnino, falsum est: non ægrũ esse, verum. Quare aientium & negantium proprium illud est, eorum alterum verum esse semper, falsúmque alterum. Bono autem malum contrarium est necessarió, idque ex inductione rerum singularum intelligi potest, vt bonæ valetudini morbus repugnat, iustitiæ iniustitia, fortitudinii ignauia, & cætera eiusdem generis. Malo verò aliàs bonum, aliàs malum contrarium est. Nam parum & nimium quæ sunt in malis, inter se sunt contraria: similitérque mediocritas, quæ vtrique contrario nomine opponitur in bonis est. Atque id quidem in paucis perspici licet, in compluribus semper bona malis sunt contraria. Deinde contrariorum, si alterum sit in rerum natura, non est necesse esse alterum, quandoquidem si omnes valentes sint, bona valetudo erit, morbus non erit. Itémque si albi omnes sint, cãdor erit, atror non item. Iam si Socratem valere & Socratem ægrumesse contraria sunt, non possunt autem simul ambo eidem inesse, certè si alterum sit, stare alterũ nullo modo necesse est. Nam si Socratem valere verum sit, non erit verum ægrotare Socratem. Atque etiam illud perspicuum est, in iis quæ sunt eiusdem speciei aut generis, existere solere contraria ea quæ aduersa diximus. Vt bona valetudo, & morbus in corpore animãtium, candor & atror omnino in corpore, iustitia & iniustitia in animo hominis sitæ sunt. Postremò omnia contraria quæ diximus aduersa, vel in eodem genere, vel in contrariis generibus sita sunt, vel ipsa genera sunt necessariò. Nam & candor ac atror in eodem genere, quia eorum genus cõlor est, sita sunt, & iustitia & iniustitia in generibus contrariis, illius enim virtus genus est, huius vitium, & bonum & malum non sunt vllius generis, sed ipsa sunt genera aliquorum.

De modis prioris.

Prius aliud alio quadrifariam dicitur. Primum genus est & aptissimum tempore, ex quo aliud alio antiquius appellatur. Antiquius enim quid dicitur ex eo quòd tempore antecedit. Alterum à quo non retro cõmeat consecutio: quo in genere vnum duobus prius est. Nam si duo sint, continuo sequitur vnum esse. Vnum autem si sit, non necesse est duo esse. Ita non vicissim retro commeat, consequens esse si vnum sit, vt duo sint. Prius igitur huius generis dicitur, à quo non commeat retro vicissim consequentia. Tertio, quodam ordine prius appellatur: id quod in artibus & orationibus videri licet. Nam in artibus iis quæ demonstrationes adhibent, aliquid prius ordine & posterius continetur: initia enim & elementa priora sunt ordine iis quæ describuntur: & in grammatica, elementa priora sunt syllabis. Eadem est ratio orationum: Principium enim prius est ordine narratione. Extra ea etiam quæ enumerata sunt genera, quod melius est, & in maiore pretio, id prius naturæ ordine videtur. Solent enim plerique eos qui apud ipsos sunt in nomine & gloria, quósque pluris faciunt, principes & antiquiores sibi dicere, quod genus ferè alienissimum omnium habetur. Atque hi sunt ferè prioris modi, qui feruntur. Est etiam præterea aliud eius genus. Eorum enim quæ vicissim retro commeant in argumentatione, quod causa est quomodocunque cur sit alterum, id recte prius naturæ ordine dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esse autem eius generis quædam, hinc intelligi potest, quòd esse hominem & vera de eo oratio, sic reciprocantur, vt si homo sit, vera sit oratio, esse hominem: & si esse hominem vera sit oratio, sit homo. Vera autem oratio minime causa est, cur res sit, résque potius causa est quodammodo, cur vera sit oratio. Nam quia res sit aut non sit, idcirco vel vera vel falsa oratio dicitur. Quinque ergo modis alterum altero prius habetur.

De modis simul.

Simul autem sunt ea omnino & propriè, quorum ortus in eodem tempore est. Neutrum enim horum nec prius nec posterius esse potest. Hæc autem simul in tempore dicuntur. Natura verò simul sunt ea, quæ reciprocantur illa quidem in argumentatione, qua si vnum sit, alterum esse concluditur, sed neutiquam alterum causa est ortus alteri: quod in duplo & simplo cernere licet, quæ sic reciprocãtur, vt si duplum sit, etiam simplum sit: & si simplum sit, sit duplum, & neutrum causam alteri ortus afferat. Atque etiam ea quæ ex eodem genere quasi ex altera parte diuidendo respondent, simul natura esse dicuntur. Ea autem ex altera parte cum diuiduntur inter se respondent, quæ ex eadem sunt diuisione: vt pennigerum, terrenum & aquatile, in quæ animal diuiditur. Atque horum neutrum altero prius est, sed simul natura sunt. Quæ eadem in species secari possunt, vt dicamus pennigerum aliud gradiens, aliud aquatile. Sunt igitur illa etiam simul natura, quæ cum sint ex eodem genere, eadem diuisione continentur. Genera autem formis antiquiora sunt semper. Neque enim vicissim retro cõmeant, cum esse vnum si sit, alterum conficitur: vt si sit aquatile, sit

animans: at si sit animans, non sit necessariò aquatile. Sunt igitur simul natura, & quæ reciprocantur, cum neutrum causa sit ortus & status alteri, & quæ inter se ex eodem genere diuiduntur. Sed ea omnino simul sunt, quorum ortus eodem est tempore.

De motus generibus.

Motus autem sex sunt genera, vt ortus, vt interitus, vt accessio, decessio, commutatio, & loci commutatio. Ac cæteras quidem motiones inter se differre hinc perspici potest, quòd ortus non est interitus, nec incrementum imminutio, nec loci commutatio. Eadem est ratio cæterarum. In commutatione autem hoc dubium est, sitne necesse id quod commutatur, ex aliqua superiori motione mutari. Quod non ita est. Accidere enim potest, vt omnibus perturbationibus, aut certè permultis agitemur, cum interim nulla cæterarum motionum in huius veniat societatem. Neque enim aut crescere, aut imminui necesse est id quod ex perturbatione mutatur. Similis est ratio cæterarum. Ita necesse est diuersam esse à cæteris motionibus commutationem. Etenim si eadem esset, profectò quod commutatur omne vel augeri oporteret, vel diminui, vel aliquem aliud motum consequi. At non est necesse. Similitérque id quod crescit, aut alio motu agitatum est, commutaretur necessariò. Atqui sunt quædam quæ cum crescant, eadem tamen nulla consequitur commutatio. Velut quadratum circunjecto gnomone crescit illud quidem, sed tamen nihil commutatur. Quod idem in cæteris sit eiusdem generis. Quare differunt inter se motiones. Motui autem omnino quies contraria est, singulísque singulæ. Nam & ortui contrarius est interitus, & ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceßioni abſceßio, & loci commutationi, in loco quies. Sed in loci mutatione maxima repugnantia dicitur? vt loci infimi mutationi, ſummi commutatio, & ſummi mutationi, infimi loci mutatio maximè aduerſatur. At verò reliquæ motionis non eſt facile explicare, quodnam ſit contrarium. Nec contrarium illius vllum eſt, niſi quis etiam in hac quietem quæad qualitatem pertineat, mutationi in contrariam qualitatem contrario nomine opponat: ſicut in loci mutatione, quietem in loco, aut in contrarium locum mutationem. Eſt enim commutatio nihil aliud, niſi in qualitate mutatio. Ita contraria eſt qualitatis mutationi quies quæ in qualitate ſpectatur, vel certè in contrariam qualitatem mutatio, vt album fieri & nigrum fieri, contraria ſunt: quippe cum commutatio ſequatur, quoties in contrarias qualitates fit mutatio.

Habendi etiam genera ſunt plurima. ~~Aut~~ enim habere vt habitum & affectionem dicitur, aut aliam aliquam qualitatem. Scientiam enim & virtutes habere dicimur. Vel vt quantitatem, vt qui certa eſt magnitudine, dicitur magnitudinem habere trium quatuórve cubitorum. ~~Vel~~ vt ea quæ corpus veſtiunt, aut veſtem aut tunicam habere dicitur quiſpiam. ~~Vel in~~ parte, vt in digito annulum. Vel ~~tanquam~~ partem, vt manum vel pedem. ~~Et tan~~quam in vaſe, vt modius habet & continet triticum, vel vinum amphora. Nam & amphora vinum, & modius triticum continet. Hæc enim omnia quia vt vas quoddam illa continent, illa ipſa habere dicuntur. ~~Habere~~ etiam aliquid vt poſſeßionem dicimus, veluti domum & agrum. ~~Atque~~ etiam vir mulierem habere, & virum mulier dicitur. Quæ ſignifi-

catio verbi habendi vna ex omnibus alieniſſima eſt: neque enim aliud habere mulierem iudicamus, niſi vna in domo habitare. Sunt alij quoque fortaſſe habēdi modi: nos quidem omnes ferè expoſuimus, qui crebris vſurpantur ſermonibus.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS
de interpretatione
Liber,

Ioachimo Perionio interprete, per N. Gruchium correctus & emendatus.

PARISIIS,

Ex officina Gabriëlis Buon, in clauso Brunello, sub signo D. Claudij.

1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CATALOGVS CAPITVM.

De nomine.	Caput I.
De verbo.	Caput II.
De oratione.	Caput III.
De subiectis & prædicatis enunciationum.	Caput IIII.
De futuris contingentibus infinitis.	Caput V.
De enunciationibus infinitis.	Caput VI.
De enunciationibus modorum.	Caput VII.

Aristotelis Stagiritæ De interpretatione liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormæriaceno interprete.

PRimùm constituendũ est, quid sit nomen, quid verbũ, tũ quid negatio & affirmatio, postremò quid enunciatio & oratio. Mentis quidẽ interpres est oratio, scripta orationis. Atq; vt non iisdẽ literis, sic nec vocibus quidẽ omnes iisdẽ vtuntur. At verò sensa animi, quorũ primùm verba notæ sunt, & res, quarum sensus animi speciem gerunt, idem apud omnes valent. Sed de his in literis de Animo diximus. Non enim ad institutum sermonem pertinent. Vt autem in animo interdum veri & falsi notitia expers est, interdum necesse est alterutrum intercesse: sic in oratione. Verum enim & falsum coniũctione & disiunctione rerum omne cõsistit. Quocirca perceptioni animi ei, quæ à vero & falso abest, nomina & verba respondent: vt homo, vt id quod albũ est, cùm nihil additur præterea. neque enim verum quicquam falsúmve enunciatur. Id quod hinc intelligi potest, quòd Tragelaphi verbum aliquid illud quidem significat, sed nondum quicquam verè vt falso dicitur, nisi aut esse, aut non esse omnino adiungatur, aut ad tempus accommodetur.

de tragelapho vide Plinium cap. 33. Li. 8.

De Nomine, Caput I.

Nomen igitur vox est ex instituto significans, omnis expers temporis, cuius pars nulla quicquã declarat sepa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratim. Nam in Republicæ verbo, publica nihil per se significat, vt in hac oratione, Res publica. Sed non est simplicium iunctorúmque nominum eadem ratio, propterea quòd in illis pars nullo modo significat, in his pars videtur illa quidem posse significare, sed tamen separatim in hoc toto sumpta nihil declarat omnino: velut in hoc verbo pronomen, nomen nihil per se significat. Ex instituto autem dixi, quod nullum nomẽ natura constat, sed cùm quasi nota quædam ad aliquid significandum erit impositũ. Nam sonꝝ ij qui nullis literis exprimũtur, quales sunt belluarum, aliquid illi quidem significant, attamen nullus eorum ad nomen pertinet. Non homo etiam nominis vim non obtinet, nec ei nomen vllum impositum est, quo appelletur: quandoquidem nec oratio est, nec negatio. Appelletur sanè nomen infinitum, quod æquè in quæuis re dicatur, tam quæ est, quàm quæ nulla est. Hæc verò, Ciceronis, Ciceroni, & cætera eiusdem generis, non nomina, sed casus nominis vocentur. Huius hæc ratio est, quòd cum alia omnia eis sint cum nomine communia, iuncta tamen verbo Est, aut Erit, nec verum nec falsum significant: quod in nomine sit semper, velut his orationibus, Philonis est, vel non est, nondum quicquam veré falsóve dicitur.

De Verbo, Cap. II.

Verbum autem id est, quod tempus adsignificat, cuius pars nulla significat separatim, semperq; ea declarat & indicat quæ de altero dicuntur. Tempus autem dico adsignificare: vt valetudo nomen est, curari verbum, quod

instans & præsens significat, & semper ea quæ de altero dicuntur indicat, qualia ea sunt, quæ de subiecto dicuntur, vel in subiecto insunt.

Non curatur autem, & non incidit, non appello verba: quanquam signeficatione sua tempus includunt, & in re aliqua semper cohærent. Et quoniam nomen eis nullum impositum est, verba infinita appellari licet. quandoquidem tam in eo quod est, quàm in eo quod non est, æquè dicuntur. Itémque curabitur & curatus est, non sunt habenda verba, sed casus verbi. Hoc autem à verbo differunt, quòd præsens tempus, verbum significat, illa id omne in quo interiectum præsens est. Ac verba si sola dicantur, nomina sunt, significántque aliquid. Nam & qui ea nunciat, intelligentiam imprimit in animo, & qui audit, quiescit: si autem nécne sit res, nondum exponit. Neque enim illud, esse aut non esse, rem declarat: nec si ipsum ens per se solum dicas, nudum est. Id enim nihil est, significat autem coniunctionem quandam, quæ intelligi sine iis quæ copulantur, non potest.

De oratione, Cap. III.

Oratio est vox quæ significat, cuius pars aliqua seiuncta separatáque vt nomen, non vt affirmatio aut negatio, significat, velut homo aliquid significat, non rem esse, aut non esse: cui tamen si quid adiunctum sit, vel affirmatio erit, vel negatio: non significat autem vocabuli hominis vna syllaba. Neque enim in hoc verbo sorex, illud rex quicquam declarat, sed vox est solum. In iunctis

autem significat illud quidē, vt dixi, sed non per se. Quanquam autem ex instituto, quemadmodum dixi, nō vt instrumentū, omnis significat oratio, non tamē omnis enunciat ac dicit, sed ea sola quæ vel verū, vel falsum complectitur. Neque enim omnes id complectuntur. velut precatio, oratio est illa quidem, sed nec vera, nec falsa. Ac cæteræ quidem quoniam artis rhetoricæ vel poëticæ propriæ sunt, ab hac arte omnes expelli ac repudiari debent: quæ autem quid de quodā dicit, ea sola retinenda est. Est autem primum enūciationis vnius genus, affirmatio, deinde negatio. cæteræ vna coniunctione fiunt. Sed omnis ex verbo aut casu verbi constet enunciatio necesse est. Etenim homenis definitio, nisi est, vel erat, vel erit, vel aliquid tale adiungatur, nondum quicquam enunciat: propterea quòd totum hoc, animal gradiens bipes, vnum quiddam est, non multa: neque enim vnam conficiunt orationem, propterea quòd continentur, ac sine vlla interspiratione pronunciantur hæc verba. Verùm id non est institutæ disputationis. Vna autem enunciatio est, quæ aut vnum aliquid declarat, aut quæ vna sit per coniunctionem. Multæ verò quæ vel multa, & non vnum aliquid significant, vel carent coniunctionibus. Ac nomen quidem & verbum vocabula sunt tantummodo: quandoquidem verè id dici non potest, eum qui sic aliquid voce exprimat, enunciare aliquid, siue rogetur, siue non rogetur, sed si quando quicquam vno verbo enunciatur, id eo tantum fit, quòd ita velit qui ita loquitur. Harum autem enunciationum simplex alia est, vt quæ aliquid de quodam dicit, vel aliquid cuidam inesse negat: Alia autem

quæ ex his constat, iam quasi coniuncta oratio est. Sed simplex pronunciatum, est oratio quæ aliquid de quodam dicit, vel negat, pro ratione temporum. Affirmatio est enunciatio, qua aliquid de quodam dicit. Negatio est enunciatio, qua aliquid inesse cupiam negamus. Quando autem quod in aliquo inest, negari potest inesse, & quod abest alicui, dici potest adesse, & quod adest, adesse confirmari potest, & quod abest, abesse, itémque in cæteris temporibus quicquid aliquis alteri tribuerit, id omne detrahere potest, & quod detraxerit, attribuere: profectò omni affirmationi negatio, omníque negationi contraria sit affirmatio necesse est. Sit autem contradictio, affirmatio negatióque contrariæ. Opponi autem contradictorio nomine dico, eam quæ eiusdem rei est & de eadem re dicit, de qua altera: non ὁμωνύμως cæterísque omnibus adiunctis, quæ contra Sophistarum molestas rationes adferre solemus.

De subiectis & prædicatis enunciationum, Caput IIII.

Quoniam autem res partim vniuersæ sunt, partim singulæ (vniuersas autem appello eas, quæ suapte natura dicuntur in multis: singulas, quæ non dicuntur: vt homo, in rebus vniuersis est: in singulis, Cállias) necesse est effari in esse aliquid, aut non inesse rerum vniuersarū cuipiam, aut singularum. Ac si quis aliquid vniuerse inesse, aut non inesse in quadam re vniuersa cōfirmet, contrariæ erunt enunciationes. Dico autem in re vniuersa vniuerse

Universidad de Deusto
Biblioteca

dici, velut in his, Omnis homo albus est, Nullus homo albus est. Sinautem de re vniuersa non vniuerse quid enuncietur, non sunt enuntiationes contrariæ. attamen fieri potest, vt quæ declarantur ac significantur, contraria sint. Appello autem non vniuersè aliquid de re vniuersa eloqui, quales hæ sunt enuntiationes, Homo est albus, Homo non est albus. Nã cum homo in rebus sit vniuersis, sine vniuersi generis nota accipitur enunciando. Verbum enim Omnis, non est res quædam vniuersa, sed vniuersi generis tantũ nota. In attributo autem vniuersali, si notam vniuersi generis addas, nunquam verè affirmabis. Neque enim vera esse vlla potest assertio, in qua cum vniuersale sit attributum, vniuersè enũciatur. Ex quo genere illa est enunciatio, Omnis homo omne animal est. Affirmatio igitur negationi contradictorio nomine opponitur, quæ rem vniuersam in eode inesse dicit, sed nõ omnino. vt, Omnis est homo albus: &, Nõ omnis homo est albus. Nullus homo albus est, Aliquis homo est albus. Contrario verò nomine opponitur rei vniuersæ affirmatio, rei vniuersæ negationi: quales hæ sunt, Omnis homo iustus est, Nullus homo iustus est. Quocirca esse hæ simul verè nullo modo possunt. At his cõtrariæ simul in eodẽ dici verè possunt: ut, Non omnis homo albus est, & Aliquis homo albus est. Quapropter quæ ex rebus vniuersis contradictoriæ constant, idq; cum vniuersi generis nota, earum necesse est alteram veram esse vel falsam. Itemq; earum quæ ex singulis constant: quales hæ sunt, Albus est Socrates, Nullus est albus Socrates. Quæ autẽ ex vniuersis rebus, nulla adiecta generis vniuersi nota constant, earũ non

semper vna vera est, falsa altera. Nam hæ simul verè dicuntur, Est homo albus, Non est homo albus. Et hæ. Est homo pulcher, Non est homo pulcher. Nam etsi quis turpis sit, non est formosius, & tum cum sit aliquid, id nõdum est. Sed hoc statim alienum videri potest, propterea quod hæc enunciatio, Non est homo albus, idem etiam quod illa simul, Nemo est albus, valere videatur. Sed nec idem valet, nec simul etiam illam declarat necessariõ. Vni autem negationi vnam affirmationem contradictorio nomine opponi hinc intelligi potest, quòd idem negari negatione oporteat, quod affirmatione confirmatum sit, & de eodem, vel eorum aliquo quæ sunt in rebus singulis, vel eorum quæ sunt in vniuersis, idque vel adiecta vniuersi generis nota, vel nulla apposita: vt Socrates albus est, Socrates albus non est. Sin autem aliquid aliud eidem inesse negatur, aut alij cuipiam, non opponetur hæc illi contrario nomine, sed altera. Huic enim enunciationi, Omnis homo est albus, hæc repugnat, Non omnis homo est albus. Et huic, Aliquis homo est albus, hæc, Nullus homo albus est. Item huic, Est homo albus, illa, Non est homo albus. Ac vnam quidem affirmationem vni negationi contradictorio nomine opponi, qualésque essent, dixi. Hoc etiam docui, alias esse contrarias & quales essent: contradictionemque non omnem veram esse aut falsam: quáque de causa, & quando vera esset aut falsa. Est autem vna affirmatio & negatio, quæ vnum aliquid de vno dicit, aut de toto genere, aut citra vllam notam: vt, Omnis homo albus est, Non omnis homo albus est: Est homo albus, Non est homo albus: Nemo albus est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aliquis homo albus est, si modò albi verbum vnum significet. Nam si duobus nomen vnum impositum sit, ex quibus constare non possit vnum: non ea vna & simplex affirmatio aut negatio est. Vt si quis equo, & homini nomen vestis imponat, itáque enunciet, Vestis alba est, hæc neque affirmatio simplex sit, neque negatio. Hæc enim idem valet ac si dicas, Homo est, & equus albus: nil autem hoc aliud est, quàm si diceres, est homo albus, & est equus albus. Quòd si hæ plures sunt, multáque declarant, certè prima vel multa declarat, vel nihil: quandoquidem nemo equus est. Quare ne in his quidem vna vera est, altera falsa necessarió.

De futuris contingentibus, Cap. V.

IN instantibus igitur ac præteritis affirmatio aut negatio vera sit vel falsa necesse est: in iisque, vt dixi, quæ cum rebus vniuersis vniuersi generis notam habent, semper altera vera est, altera falsa necessarió. Itémque in iis quæ sunt ex rebus singulis. In iis autem quæ sunt ex rebus vniuersis, non tamen de toto genere dicunt, non necesse est, de quibus etiam diximus. At verò in enunciationibus, quæ de rebus singulis & futuris dicunt, non ita est. Si enim omnis aut vera aut falsa enunciatio est, certè omnia sint, aut non sint necesse est. Nam si hic aliquid fore dicat, ille idem neget fore, profectò necesse est verè alterutrum dicere, si modo omnis enunciatio vera est aut falsa: quandoquidem in eodem simul vtrunque non intelligitur. Etenim, si verè dicitur, esse album aliquid aut non esse album, necesse est id esse album, aut non esse album. Et si est album, aut non est album, verè id dictum fuit vel negatum. Et si non inest, id falsum est: quòd si falsum, nec inest. Ita necesse est ex omni æternitate, vel affirmationem, vel negationem veram fuisse vel falsam. Nihil igitur euenit, neque sit fortè, temerè, casu: nihil in alterutram partem aut cadet, aut non cadet, sed ex necessitate omnia fiunt quæcunque fiunt, nilque est quod vtranque in partem habet æquabilem euentum. Nam aut is verè dixit, qui rem confirmauit fore, aut is qui negauit: si autem æquabile esset vtranque in partem, par ratio esset, vt aut fieret, aut non fieret. Quod enim vtranque in partem cadit, non hoc modo potius, quàm illo euenit, aut futurum est. Præterea si quid album sit hoc tempore, fuit verum, album in futurum esse. Ita ex æternitate fuit verum quicquid fit, id aut esse iam, aut futurum esse. Quód si ex æternitate fuit verum aliquid esse iam, aut futurum esse, certè id non potest non fieri, aut fore. Quod autem non potest non fieri, fieri non potest, vt non sit: quod autem vt non sit, fieri non potest, id necesse est fieri. Quicquid igitur futurum est, id fieri necesse est. Ita nihil in alterutram partem cadit, neque fortuitó. Si enim fortuitò, non ex necessitate. Sed ne illud quidem verè dici potest, neutram partem esse veram: hoc est, neque futurum quicquam, neque nō futurum esse. Primùm enim id eueniet: si falsa sit affirmatio, veram non esse negationem: & si hæc falsa sit, non esse veram affirmationem. Deinde si verum est album aliquid simul & magnum esse, duo illa sint necesse est. Et si cras futurum vtrunque verum sit, cras erit. Si autem nec futurum est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec minus futurum cras, exempli causa, bellum nauale, id certè non erit ex eorum numero, quæ pariter vtranque in partem cadere possunt. quoniam nec fieri nauale bellum necesse est, nec minus fieri. Atque hæc sunt incõmoda, & alia eiusdem generis, quæ suscipere cogimur, si necesse sit ex omni affirmatione & negatione, quæ contradictorio nomine opponantur, siue in iis quæ rebus vniuersis constant, siue quæ ex singulis, alteram veram esse, alteram falsam, nihil scilicet in alterutram partem casurum esse in iis quæ sunt, sed omnia esse, aut futura esse ex necessitate. Qua ratione omnis è vita tolletur & deliberatio & actio. quoniam si hoc faciamus, illud euenit: & si hoc minimè faciamus, non eueniet. Nihil enim prohibet, ad decem millia annorum hunc confirmare, hoc vel illud fore, alterum negare, vt ex necessitate eueniat, quod in alterutram partem tum ei licebat verè dicere. Neque verò interest vtrum pronunciarint ali qui contradictionem, nècne pronunciarint: quippe cùm perspicuum sit hoc: vel illo modo res euenire solere, etiam si nihil nec hic confirmet, nec ille neget futurum. Neque enim quia confirmatum est, aut negatum fore aliquid, idcirco id futurum est, aut non futurum, vel ad decem millia annorum, vel quouis tempore. Quare si ex omni æternitate ea vis & natura rerum fuit, vt vna vera esset, necesse fuit eam fieri. Ita omnium rerum ea vis fuit ex æternitate, vt ex necessitate fierent. Si quis enim verè dixerit fore aliquid, id non potest non fieri. Et quod factum est, id ex æternitate fuit verum futurum esse. Atqui si hæc sint, multa sequuntur incommoda. Videmus

enim rerum futurarum initium & consilio indagari, & actione. omninóque in iis quæ non semper agunt aliquid, cernimus illa duo, æquè agere ea posse & non posse, in quorum quidem potestate vtrunque situm sit, & vt res sit, & vt ne sit. Quare etiam vt fiat, & vt non fiat. Multáque adeò nobis nota sunt, quorum vis est talis. Velut vestis hæc frangi potest & discindi, nec frangetur, sed prius atteretur. Similitérque fieri potest, vt non discindatur. Non enim prius atteri posset, nisi fieri posset, vt ne discinderetur. Similis est ratio eorum omnium, in quibus eadem vis reperitur. ex quo perspicuum est, nec esse, nec fieri ex necessitate quæcunque fiant, sed alia in vtranque partem cadere posse: nec affirmationem in iis veram aut falsam potius, quàm negationem esse. alia esse in quibus alterum magis & plerunque fiat, ita tamen vt alterum euenire possit, alterum minime. Ac quicquid est in rerum natura, id sit quandiu stat: & quod non est, quandiu non stat, id non sit necesse est. Attamen nec quod est, id omne esse necesse est, nec quod non est, non esse. Neque enim ex necessitate esse quicquid est quia sit, idem valet quod omnino esse ex necessitate. Quod idem dicendum est in iis quæ non sunt. Eadem est etiam ratio contradictionis, in qua omne necesse est vel esse, vel non esse, fore vel non fore. Quanquam non est necesse eum, qui separatim accipiat verè alterum dicere, vt necesse est nauale bellum cras geri vel non geri, non tamen geri cras bellum nauale necesse est, aut non geri, etiam si illud, geri aut non geri sit necesse. Quoniam igitur eadem ratio est veritatis orationum & rerum, certè necesse est ea omnia, quorum ea vis

Universidad de Deusto
Biblioteca

& natura est, vt vtranque in partem inclinent, contrariáque recipiant, eadem ratione etiam contradictione contineri. Quod in iis etiam rebus sit, quæ non semper sunt, quæque non semper non sunt. Ex his enim necesse est alteram contradictionis partem veram esse, alteram falsam: non quidem hanc vel illam, sed alterutram. Et quanquam ad veritatem altera propius accedit, tamen non iam vera est, vel falsa. Ex quo efficitur, non necesse esse in enunciationibus contradictoriis alteram veram esse, alteram falsam. Non enim eadem ratio est eorum quæ sunt in rerum natura, & eorum quæ non sunt. esse autem vel non esse possunt, sed sicut diximus, ita res habet.

De enunciationibus infinitis.
Caput VI.

Quoniam autem affirmatio omnis quiddam de quodam dicit, idq; vel nomen est, vel vacat nomine: quod autem in affirmatione continetur, id & vnu esse & de vna re dici debet. quod autem de nomine & de eo, quod vacat nomine, modo dixi, ad id referendum est, quoniam nõ homio, non nomen, sed infinitum nomen appello. nam vnum quiddã significat quoda modo nomen infinitum: quemadmodum non valet non verbũ dico, sed infinitum: profectò omne effatũ aut ex nomine & verbo, aut ex infinito nomine verboque constet necesse est. Esse autem effatum sine verbo nullum potest. Nam verba illa, est, fuit, erit, fit, & cætera eiusdẽ generis, quoniam tempus adsignificãt, in iis sunt quæ verba esse suprà posuimus. Prima igitur erit affirmatio & negatio, Homo est, Homo non est. Deinde hæ, Non homo est, Non homo non est. Tum hæ, Omnis homo est, Non omnis homo est. Postremo hæ, Omnis non homo est, Non omnis non homo est. Eadem est ratio temporum, quæ præsens vtraque ex parte claudunt.

Cùm verò verbum, est, in oratione tertiũ dicitur, tum duo contrario nomine oppositarum pronunciationum genera nascuntur: quod autẽ dixi, hoc exemplo intelligi potest, Homo iustus est: hîc enim tertium, siue nomen, siue verbum est verbum est. Ob eámque causam hæc quatuor erunt, quorum duo affecta erunt eodem modo ad affirmationem & negationem, quo priuationes, alia duo non erunt. Quatuor autem fieri dixi, quoniam est, vel nomini iusti coniungi potest, vel non iusti. Quod idem sit in negatione. Sunt igitur quatuor. Sed quod dixi, ex hac descriptione intelligi licet.

A. Homo iustus est. } Huius negatio, { C. Homo non est iustus.
C. Nõ iust' nõ est homo. } { A. Non iustus est homo.

In his enim est, & non est nominibus iusti, & non iusti adiunguntur. Atque hæc quidem eo ordine disposita sunt, quem in Analyticis ostendimus. Nec diuersa erit ratio, si nominis fiat affirmatio, adiecta generis vniuersi nota.

A. Omnis hõ iustus est. } Cuius negatio est. { C. Non oĩs hõ iustus est.
C. Nõ oĩs hõ nõiustus est. } { A. Oĩs hõ est non iustus.

Nisi quòd non possunt æquè verè simul esse enunciationes eæ, quæ rectis lineis ex diametro inter se respondent. Sed tamen verè sunt interdum eodem tempore. Atque hæ quidem duæ contradictiones sunt. Aliæ autem duæ cum

hoc, Non homo subiectum est, eique aliquid attribuitur, Non homo iustus est, Non homo non est iustus, Non homo est non iustus. Nō homo nō est nō iustus.

His autem plures esse contradicentes nullo modo possunt: hæque ab illis, hoc ipso diuersæ erunt, quòd illud non homo, tanquam nomen, sibi adiungant. Atque in iis etiam omnibus, in quibus est verbum non accipitur, vt in illis verbis valere & ambulare, id idem efficit, si ita ponatur, ac si, est, coniungeretur. velut, Omnis homo valet, Non omnis homo valet. Et, omnis non homo valet, Non valet omnis non homo, Non enim non omnis homo, dicendum est, sed negatio ad hominis verbum addi debet, quoniam omnis non res vniuersa est, sed in toto genere rem accipi declarat. Quod ex his enunciatis omnibus perspici potest, Valet homo, Non valet homo: Valet non homo, Non valet non homo. Inter has enim & illas hoc interest, quòd in his nihil prorsus vniuerse & in totum dicitur: in illis dicitur. Ergo significat omnis & nullus aliud nihil, nisi nomen vniuerse, & in toto genere accipi in affirmatione aut negatione. Ita cætera eadem omnia conuenit adhiberi. Quando autem huic enunciationi, Omnis animans iustus est, illa contraria est quæ dicit: nullum esse iustum animantem, perspicuum est eas nunquam simul in eodem veras futuras esse: quæ autem his repugnant, possunt interdum: velut, Non omnis animans iustus est: &, Est aliquis animans iustus. mutuo autem se hæ enunciationes consequuntur: hæc quidem: Nemo est iustus, huic, Omnis homo est non iustus: & hæc, Est aliquis homo iustus, huic, Non omnis homo est

non iustus. quandoquidem sit aliquis iustus necesse est, si hoc sit. Illud etiam perspicuum est, si verè licet negare in singulis enunciationibus ei qui rogatus sit, verè etiam eundem posse affirmare: vt, Estne sapiens Socrates? Non: est igitur non sapiens Socrates. In vniuersis autem non est vera huic similis affirmatio, sed tantum negatio: vt, Non omnis homo sapiens est? Non: Omnis igitur homo non sapiens est. Hoc enim falsum est. at illud verum: Non omnis igitur homo est sapiens. Atque hæc quidem illi repugnans & contradicens est, illa contraria. Quæ verò ex nominibus & verbis infinitis inter se repugnantes & contradicentes sunt, qualia sunt hæc, non homo, & non iustus, ea sine nomine & verbo negationes videri possunt, sed tamen non ita est. Nam cùm necesse sit semper verum aliquid vel falsum negationem declarare, qui hoc totum, Non homo dixerit, nihilo magis atque adeò minus, quàm qui solum hominis verbum pronunciauerit, verè aliquid aut falsò dixerit, nisi quid adiungat. Nec verò pronunciatum hoc, Est omnis non homo iustus, idē quod superiorum vllum declarat: nec illud quod huic repugnans est & contradicens, Non est omnis non homo iustus. Atque hæc, Omnis non homo est non iustus, par illi est, Nullus est iustus non homo. At verò nomina & verba, si transponantur aut traiiciantur, idem semper significant, velut, Est albus homo, Est homo albus. Si enim secus sit, certè eidem affirmationi multæ sunt futuræ oppositæ negationes: At vnam vni esse oportere demonstrauimus. huius enim, Est albus homo, negatio est, Non est albus homo. Huius autem, Est homo albus, si idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod illa, Est albus homo, non declaret, negatio erit, vel hæc, Non est non homo albus, vel illa, Non est homo albus. Atqui hæc, Non est non homo albus, huius est negatio, Est non homo albus. Altera autem huius, Est albus homo. Duæ igitur sint vnius necesse est. Ex quo intelligitur, si nomen & verbum transponantur, traiiciantur q; in oratione, eandem omnino affirmationem & negationem futuram. Dicendo autem aut negando vnum aliquid de multis, aut multa de vno, nunquam vna & simplex affirmatio & negatio sit, nisi vnum quippiam ex multis illis declaretur. vnum autem appello, non si nomen vnum sit illi impositum, nec ex his vnum aliquid efficiatur: velut homo certè, & animal est, & bipes, & cicur, sed vnũ quiddam ex his constat: ex homine autem & albo & ambulatione non vnum efficitur. Quare si quis vnum quippiam de iis enunciet, non vna pronunciatio sit, sed multæ, etiam si vox vna esse videatur. Itemq; multæ sunt, si de vno quodam hæc dicantur omnia. Quocirca si dialectica interrogatio responsionis petitio est, vt vel ipsa propositio accipiatur, vel pars altera repugnantiæ & cõtradictionis, propositio autem vnius est pars repugnantiæ & contradictionis, profecto nunquam ad hæc vnum responsum adhiberi potest. quandoquidem ne si vera sit quidem, vna interrogatio est. Sed de his in Topicis diximus. Ex quo id etiam perspicuum est, quid est, non esse dialecticam interrogationem. Nam & optio danda est, vt ex interrogatione vtram velit partem contradictionis & repugnantiæ alter eligat, & qui interrogat antè, constituere definitionem debet, ac tum quærere, sit, nécne sit hoc

homo. Sed quoniam alia coniuncta & copulata sic dicuntur, vt vnum fiat attributum ex his quæ separatim dicuntur, alia non: quæ hoc loco distinctio & dissimilitudo est, quærat aliquis. Nam & animal de homine separatim verè dicitur, & bipes separatim, atque ea coniuncta vnum faciunt attributum. Item homo & albus, quæ eadem vnum sunt. At verò non si quis sutor sit, & bonus, continuò sutor bonus esse dicatur. Si enim quia vtrunque separatim verum sit, etiam coniuncta ambo vera semper esse debere credat quispiam, permulta incommoda suscipere cogetur. Nam hominis albique nomen de homine verè dicitur, ergo etiam totum: rursus autem albi nomen separatim dici potest: quare etiam coniunctim. Ita erit homo albus albus, atque ad exitum nunquam perueniet oratio. Itémque erit musicus albus ambulans, eadémque sæpe connexa & repetita, nihil in quo consistant, habebunt. Præterea si Socrates Socrates sit & homo: etiam Socrates Socrates homo sit necesse est. Et si homo ac bipes, sequitur vt sit etiam homo homo bipes. Illud igitur perspicuum est, absurda multa consecutura necessariò, si quis coniunctiones omnino contendat fieri oportere. Nunc quemadmodum hæc constituenda sint omnia, videamus. Eorum igitur quæ dicuntur, & eorum de quibus alia dicuntur, quæcunque per accidens ita dicuntur, vt aut de eodem aliquo subiecto dicãtur, vtraque aut alterum de altero, ea omnia non vnum efficiunt. Velut in hoc, Homo est albus & musicus, nec vnum ex albo sit & musico: siquidem vtrunque accidens est nec si quis albus idem & musicus sit, idcirco ex albo musico fit vnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fortè enim temerè aliquis muſicus & albus dicitur. Ita non vnum quiddam ex muſico & albo efficitur. Quocirca ne ſutor quidem bonus omnino dicendus eſt, ſed tantummodo animal bipes. hæc enim non per accidens, ſed per ſe vnum efficiunt. Atque etiam vnum quiddam non conſtat ex iis omnibus, quæ in altero poſita rurſus repetuntur. Itaque nec id quod album eſt, album eſt, nec homo, homo animal vel bipes: quod in homine & bipes & animal continentur. Verè autem de eo quod cum ſigno particulari accipitur, idem ipſum nomen citra vllum ſignum ſumptum dicitur, vt dicitur aliquis homo eſſe homo: aut quidam homo albus, albus homo eſſe. nec id verum eſt ſemper. Tùmque id falſum eſt denique, cùm id quod adiunctum eſt, aliquid repugnans continet, ex quo etiam repugnantia conſequantur. Vt ſi mortuus homo, homo eſſe dicatur. At ſi nihil tale copulatum reperiatur, totum verè dicitur. An ſi adſit tale aliquid, ſemper id verum non eſt? ſi non adſit, ne tum quidem ſemper verè dicitur? Velut Homerus aliquid eſt, vt poëta. Eſtne ille tamen, an potius non eſt? Nam caſu & fortuito de Homero illud, eſt, in hac enunciatione, Poëta eſt Homerus dicitur, non ſua vi atque natura. Quamobrem in quibus dicendi rationibus repugnantia eſt nulla, ſi pro nominibus definitiones adhibeantur, in quibuſque non caſu & fortuito, ſed per ſe ſuáque vi uerba enuncientur, in iis omnibus quod tale eſt aliquid, verè dicetur eſſe omnino, & citra vllam adiectionem tale. Nam quæ nulla ſunt, quia opinabilia ſunt, non verè aliquid eſſe dicuntur: quippe cùm ea non opinemur eſſe omnino, ſed

non eſſe in rerum natura.

De enunciationibus Modorum. Caput VII.

HIS autem expoſitis, nunc quemadmodum inter ſe affectæ ſint enunciationes, quæ de eo dicunt quod poſſit fieri, aut non poſſit, déque eo quod euenit, aut non euenit, de eo denique quod impoſsibile, quódque neceſſarium eſt, differamus. Quam enim vim habeant, magna quæſtio eſt. Si enim ex iis quæ inter ſe comparantur, eæinter ſe pugnant, & contradicunt quæ ex verbis eſt, & non eſt, conſtant: velut huius, Eſt homo, negatio eſt, Non eſt homo, non illa, Eſt non homo: Et huius, Eſt homo albus: hæc, Non eſt homo albus, non illa, Eſt homo non albus. (Nam ſi de omni re, vel quod ait, vel quod negat dicitur, certè verum erit, lignum hominem non album eſſe. Quod ſi ita eſt in omnibus iis, etiam in quibus, eſt, verbum non adiungitur, quod pro illo, eſt, dictum erit, idem valebit. vt huius effati, Homo ambulat, non hæc, Ambulat non homo, ſed illa, Non ambulat homo, futura negatio eſt. quoniam vtrum hominem dicamus ambulare, an ambulantem eſſe, nihil intereſt) ſi inquam ita res ſe habeat in omnibus: profecto huius, Fieri poteſt, hæc, Poteſt non fieri: non illa, Non poteſt fieri, negatio ſit neceſſe eſt. Atqui res & fieri & non fieri eadem poteſt. Quicquid enim diuidi & ambulare poteſt, id & non diuidi poteſt, & non ambulare. Cuius ratio eſt, quòd non ſemper id omnere ipſa eſt, quod hoc pacto fieri poteſt. Ita ei etiam conuenit negatio. Nam poteſt non ambulare quod vim

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad ambulandum habet : & non cerni, quod ſub aſpectum poteſt cadere. At fieri non poteſt, in eodem verè enunciationes repugnantes contradicentéſque dicantur. Non igitur huius pronunciati, Poteſt fieri, illa, Poteſt non fieri, repugnans contradicénſque eſt. nam ex his quæ dicta ſunt, horum alterum efficitur: vt aut idem de eodem dicamus ſimul, & negemus, aut certè, vt non ex verbis eſt, & non eſt, quæ adiunguntur omnibus, affirmationes naſcantur & negationes. Quòd ſi fieri illud non poteſt, hoc profectò ſequendum eſt. Ergo huius enunciationis, Poteſt fieri, negatio eſt non hæc, Poteſt non fieri, ſed illa, Non poteſt fieri. Eadem ratio eſt eius quod contingit. Etenim eius negatio eſt illud, Non cõtingit. Quod idem ſit in cæteris. cuiuſmodi ſunt, impoſsibile, neceſſarium. Vt enim in illis eſt, & non eſt, verba, additamenta ſunt, illa autem albus & homo res ſubiectæ: ſic in his, eſt & non eſt pro ſubiectis habentur: hæc autem, poteſt, & contingit, acceſsiones ſunt, quæ quidem in his enunciatis, Poteſt fieri, &, Non poteſt fieri, ita quid verum ſit, quidue falſum, vt in illis eſt & non eſt, definiunt & explicãt. Huius autem, Poteſt non fieri, negatio non eſt quæ ſequitur, Non poteſt fieri, ſed hæc, Non poteſt non fieri. Et huius, Poteſt fieri, non illud, Poteſt non fieri, ſed hoc, Non poteſt fieri. Quocirca quod fieri poteſt, & quod poteſt non fieri, alterum alteri conſequitur, quòd idem & fieri, & non fieri poteſt. Non enim pugnant ſecum & contradicunt, quod fieri poteſt, & quod poteſt non fieri: ſed, quod fieri poteſt, & quod fieri non poteſt, quoniam diſſident à ſeſe & contradicunt, nunquam in eodem verè dicun-

tur. Eodémque modo de his, Quod poteſt non fieri, & Quod non poteſt non fieri, iudicandum. Similitérque huius, Neceſſarium eſt, negatio eſt, non illud, Neceſſarium non eſt, ſed illud, Non neceſſarium eſt. Huius autem, Neceſſarium non eſt, illud, Non eſt non neceſſarium. Itémque huius, Impoſsibile eſt fieri, non illud, Impoſsibile eſt non fieri, ſed illud, Non impoſsibile eſt fieri. Huius verò Impoſsibile eſt non fieri, illud, Non impoſsibile eſt non fieri. In ſumma, eſt & non eſt poni, vt dixi, pro rebus ſubiectis debent: hæc autem quæ negationem & affirmationem efficiunt, ad illa ipſa verba eſt & non eſt, addenda ſunt. Atque eæ demum repugnantes & contradicentes exiſtimandæ ſunt enunciationes, in quibus poteſt & non poteſt, contingit, & non contingit, impoſsibile eſt, & non impoſsibile eſt, neceſſarium, & non neceſſarium, verum, & non verum collocantur. Atque conſequentia quæ hinc naſcuntur, diſponenda ſunt hoc modo. Ei enim quod fieri poteſt, illud quod contingit vt ſit, conſequitur, retróque id commeat viciſsim. Hæc etiam conſequuntur, quod non impoſsibile eſt fieri, & quod non neceſſe eſt fieri. Ex eo verò quod poteſt non fieri, & quod accidit vt non fiat, id quod non neceſſe eſt non fieri, & quod non impoſsibile eſt non fieri, conſequentia ſunt. Ex eo etiam quod fieri non poteſt vt ſit, & quod non accidit vt ſit, id quod neceſſe eſt non eſſe, & quod impoſsibile eſt eſſe ſequitur. Conſequentia etiam ſunt, & id quod neceſſe eſt eſſe, & quod impoſsibile eſt non eſſe, ex eo quod non poteſt non eſſe, & quod non accidit vt non ſit. Id quod ex hac deſcriptione intelligi poteſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fieri potest vt sit Accidit vt sit Non impossibile esse Non necessarium esse.	Quod fieri non potest Quod non accidit vt sit Quod impossibile Quod necesse est non esse
Fieri potest vt non sit Accidit vt non sit Non impossibile nõ esse Non necessarium non esse.	Quod non potest fieri quin sit Quod non accidit vt non sit Quod impossibile est quin sit Quod necesse est esse.

Quod igitur impossibile est vt sit, & quod non impossibile est esse, ex repugnantibus & contradicentibus eius quod accidit ut sit, & quod fieri potest vt sit, & quod non accidit vt sit, & quod non potest fieri vt sit, ita consequentia sunt, vt conuerso ordine affirmationes negationibus, non affirmationes affirmationibus conueniant. Ex eo enim quod potest fieri, eius quod impossibile est, consequens est negatio hæc, Nam impossibile est esse. Ex eo autem quod negat, id quod ait, quoniam ex eo quod non potest fieri vt sit, id quod impossibile est esse, efficitur. Hoc enim totum, Impossibile est esse, affirmatio est, illud negatio, Non impossibile est esse. Sed quã affectionem ad illa habeat id quod necesse est, videamus. Atque illud quidem perspicuum est in his non ita esse vt in illis, contrariásque hîc consequi: repugnantes autem quæ eædem contradicentes dicuntur, seorsum esse ab iis quæ consequuntur. Neque enim huius, Necesse est non esse illa, Non necesse est esse, negatio est. quandoquidem vtraque de eodem vera esse potest. Quod enim necesse est non esse, id est non necesse esse. Cur autem enunciationes quæ de eo quod necesse est dicunt, non eodem modo, quo superiores, ex illis consequuntur, hoc causæ est, quod ei quod necessarium est, id quod impossibile est

esse, idem valet, contrario nomine oppositum. Quod enim impossibile est vt sit, idem necesse est, non esse quidem, sed non esse. Quod autem impossibile est quin sit, id sit necesse est. Ita si illa eodem modo ex eo quod potest esse, & non potest esse concluduntur: certè in his contra fiat necesse est: quanquidem non idem valent quod necesse est esse, & quod impossibile est vt sit: sed contrario modo alterum cum altero consentit, vt dictum est. An autem fieri non possit, vt hoc modo constituantur repugnantiæ & contradictiones eius quod necesse est, quæstio est. Huic enim quod necesse est esse, consequitur id quod fieri potest vt sit. Sin minus, negatio erit consequens, quoniã necesse est de quacunque re vere aut affirmari, aut negari. Ergo si non possit esse, impossibile est esse. Quod igitur impossibile est vt sit, id necesse erit esse: quo nihil absurdius. Atqui ex eo quod potest esse, consequens id est, quod non impossibile est esse, ex quo id quod non necesse est esse. Ita fit vt quod necessarium est, id non sit, necesse esse. quod fieri non potest. Nec ex eo quidem quod potest esse id, quod necesse est esse, aut non esse concluditur. Nam illud vtranque in partem potest cadere: horum autem vtrumlibet verum sit, non iam illa vera sunt futura. Simul enim aliquid & esse, & non esse potest. Si verò necesse sit esse, aut non esse, iam amplius vtranque in partem cadere non poterit. Relinquitur ergo vt id quod non necesse est non esse, eius sit consequens, quod potest esse. Nam de eo etiam quod necessarium est, id verè dicitur: atque etiam hæc ipsa repugnat, & contradicit ei quæ ex eo concluditur, quod fieri non potest. Ex illo enim efficitur id quod impossibile

Universidad de Deusto
Biblioteca

est esse, & quod necesse est non esse: cuius hoc, Non necesse est non esse, negotio est. Consequuntur ergo hæ contradicentes altera alteri, quemadmodum dixi: quibus ita positis, nihil repugnans concluditur. Vtrum autem ex eo quod necesse est esse, id quod fieri potest vt sit, sit consequens quæstio est. Nam si non sit consequens, contrarium & contradicens erit consequens id, quod fieri non potest. Quòd si quis hoc contrarium aut contradicens esse neget, is necesse est fateatur id esse quod fieri potest vt non sit. sed & hoc & illud falsum est in eo quod necessarium est. At contrà idem videtur secari posse, & non secari, esse & non esse. Ita quod necessarium est, id poterit non esse quod falsum est. Illud igitur perspicuum est, non quicquid potest aut esse aut ambulare, posse etiam non esse aut ambulare: sed sunt de quibus id verè non dicatur: primúmque in iis quæ rationis expertia aliquid efficere possunt. Vt ignis vim habet ille quidem coloris, sed quæ rationis sit expers. Quæ igitur facultates ratione ad agendum impelluntur, eæ multa etiam contraria efficere possunt: rationis autem expertes, non omnes, cùm præsertim ignis calolem sua vi gignere, & non gignere non possit, nec ea omnia quæ semper agunt. Sunt tamen quædam facultatibus rationis expertibus prædita, quæ simul contraria recipere possint. Quod dixi, propterea quòd non omnis vis ad contraria accipienda apta est: ne eæ quidem, quæ sunt eiusdem generis. Sunt verò ipsæ facultates homonymæ. Quod enim possibile est, id non vno modo dicitur: aliúdque eo dicitur posse, quia iam re vera agat sic: Vt posse aliquam ambulare, quia iam ambulet, & vt semel dicam, posse esse, quod iam in actu ipso sit, id quod posse esse dicitur. Aliud quod futurum sit, vt agat aliquando: velut cùm aliquem posse ambulare dicimus, quod futurum sit vt ambulet. Atque hæc quidem vis in iis tantùmodo reperitur, quæ mutabilia sunt, illa etiam in iis quæ immutabilia sunt. Et vtrunque verè dicitur posse ambulare aut esse, & quod ambulat iam, atque in actu est, & quod vim habet ad ambandum. Ergo quod hoc modo potest, non verè omnino de re necessaria dici potest, alterum potest. Ita quoniam ex parte genus consequens est, certè ex eo quod necessarium est, id quod fieri potest, etiam si non omne, concludetur. Ac fortasse quod necessarium est, aut non necessarium, quasi fons est & causa, cur sint aut non sint omnia: vt cætera omnia ex eo spectari debeant, quomodo sint consequentia. Quapropter ex his quæ dicta sunt, apparet, in actu & re vera esse, quæcunque sunt necessarió. Si igitur priora sunt æterna, etiam actus vi & facultate prior est. Atque alia cùm vim nullam habeant, actus modò sunt, velut hæ substantiæ quas primas dicimus: alia simul vim habent cum actu, eáque naturæ ordine priora sunt, posteriora temporis. Alia nunquam in rerum natura sunt, sed solùm esse possunt.

VTRVM autẽ affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi contraria sit ea, quæ omnẽ hominem iustum esse dicit, illi, Nemo iustus est: an hæc, Omnis homo iustus est, illi, Omnis homo iniustus est, velut Callias iustus est, Callias iustus non est Callias iniustus est: quæ inquam ex his inter se sint contrariæ, magna-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæstio est. Si enim sensa animi imitamur oratio, illic autem contraria sententia de contrario est, vt hæc, Omnis homo iustus est, illi, Omnis homo iniustus est, certè in iis etiam enuntiationibus quæ voce exprimuntur, ita res habeat necesse est. Sin minus illic opinio & sententia de contrario contraria est, ne hîc quidem affirmatio affirmationi contraria erit, verùm negatio: vt dixi. Quæ igitur opinio & sententia falsa, veræ contraria sit, videamus, vtrúmne ea quæ negat, an quæ ait. Atque hinc nostra omnis manabit oratio. Est de bono sententia vera quæ id dicit bonum esse: alia falsa, id non esse bonum: tertia, id malum esse. Harum vtra veræ illi sententiæ contraria sit: & si vna sit, vtra sit contraria, quæstio est. Atque illud quidem falsum est, ex eo iudicari contrarias sententias esse, quia verbis constent contrariis. Nam illa de bono sententia, id bonum esse, & de malo, id esse malum, eadem fortassis atque adeò vera est, siue multæ sint, siue vna. sunt autem hæc contraria. At verò non quòd contrariorum sint, contraria sunt prolaquia, sed potius quòd contrario nomine opponantur. Quòd si vna sententia de bono est, id esse bonum, alia non esse bonum: & si est etiam quæ aliquid dicat, quod nec in bonum cadat, nec cadere possit, profectò nulla ex illis aliis statuenda contraria est, quæ cadere dicunt, quod non cadit in bonum & cadere negant quod cadit. (Vtræque enim hæ incertæ infinitæque sunt, & quibus ineſſe aliquid confirmamus, quod abest, & abesse quod adest negamus) sed ea demum statuendæ sunt contrariæ, in quibus animo concipiendis, prima inest erroris ac deceptionis

causa. Errores autem ac deceptiones iisdem continentur extremis, quibus rerum ortus. Atqui inter disparata extrema, omnes continentur rerum generationes. Ergo etiam fallaciæ. Si igitur bonum bonum est, & non malum: illúdque sua vi ac per se dicatur hoc casu & fortuito (accidit enim vt non sit malum) verior autem ea est de quaque re enunciatio, quæ sua vi ex se, & per se vera est: & pari ratione falsa magis, quæ suapte sponte, & per se falsa: fallax autem hæc opinio bonum non esse bonum, eam respicit quæ per se vera erat: altera autem fallax etiam, bonum esse malum eam respicit, quæ per accidens vera erat. Ex quo efficitur, vt magis falsa sit in bono ea sententia, quæ ex negatione est, quàm quæ est ex contrario. At is demum errat in quaque re vehementer, qui in diuersa & contraria sententia est. Si quidem contraria dicuntur ea, quæ in eodem genere plurimum differunt. Quòd si harum altera contraria est, magis autem ea est contraria quæ negat: certè hæc ipsa sit contraria necesse est. Illa autem altera, qua bonum in malis esse defenditur, cum ea coniuncta implicatáque est: propterea quòd eundem necesse est bonum non esse in bonis putare. Iam verò si in cæteris omnibus hoc modo sumi repugnantia debeat, etiam hic illud verè dictum est à nobis. Aut enim in omnibus ea quæ repugat, & contraria dicit contraria est, aut in nullis. Vbi autē verba contraria sunt nulla, in iis falsa ea sententia veræ opponitur, quæ vt disparatum quippiam alteri repugnat, vt is qui hominem non esse hominem putat, fallitur. Si igitur hic contrariæ sunt, negationes etiam in iis ea demum

Universidad de Deusto
Biblioteca

erunt contrariæ, quæ contradicentes erunt. Propterea eadem est ratio eius, quæ bonum in bonis ponit, & eius quæ non bonum in non bonis: & præterea eius quæ bona in non bonis, & eius quæ non bona in bonis collocat. Ei ergo sententiæ veræ, quæ non bona in non bonis putat, quæ tandem contraria erit? Non ea quidem quæ in malis non bona ducit, quandoquidem simul vera est interdum: & vera veræ esse contraria nullo modo certè potest. Aliquid enim quod est non bonum, est in malis. Ita veræ simul esse possunt. Nec verò ea contraria erit, quæ non bona in non malis numerat: siquidem hæc quoque vera est, & simul esse possunt. Relinquitur ergo, vt eius qua non bona in non bonis numerantur, illa contraria sit sententia, quæ non bona in bonis esse dicit, quoniam falsa est. Quia etiam huius, Bonum non est bonum, hæc, Bonum est bonum, contraria est. Perspicuum autem est, nihil interesse, vtrum verbum hoc Omnis, in affirmatione, nécne, collocemus. Nam contraria erit vniuersa negatio. Vt illi opinioni, Omne quod bonum est, est in bonis, hæc repugnat, Nihil quod bonum est, est in bonis. Et certè sententia ea qua ipsum bonum esse bonum putatur, si bonum vniuersale verbum sit, iedm valet quod hæc, Quod bonum est, id est in bonis. Inter hanc autem & illam, Quicquid bonum est, id est in bonis, nihil interest. Quod idem in eo quoque quod non est bonum, dicendum est. Quapropter si ita in iis quæ animo concipiuntur, vti diximus, res habet, & si intelligentiarum & notionum quæ in animis imprimuntur, interpres est oratio, qua aut affirmamus aut negamus: certè affirmationi contraria sit, necesse est ea demum negatio, qua idem aliquid quod affirmabatur, de toto genere negatur. veluti huic, Omne quod bonum est, in bonis est: vel, Omnis homo bonus est, ea in qua nullum vel, nemo contrario nomine opponitur. Contradictorio autem nomine ea opponitur, in qua non omne, vel non omnis, adhibetur. Illud etiam perspicuum est, veram enuntiationem vel sententiam, veræ contrariam esse non posse. Nam & ex oppositis & contrariis, contrariæ seu aduersæ constant, de quibus homo idem verè potest dicere: at contraria eidem simul conuenire non possunt.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS
Priorum Analyticorum, id
EST DE PRIMA RESOLVTIONE, LIBRI II.

Firmino Durio interprete, per N. Gruchium correcti & emendati.

PARISIIS,

Ex officina Gabrielis Buon, in clauso Brunello, sub signo D. Claudij.

1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS DE PRIMA RESOLVTIONE, LIB. I.

FIRMINO DVRIO INTERPRETE.

De principiis ratiocinationis. Cap. I.

INitio dicendũ videtur quid sit, in quo posita est instituta disputatio, quáque de re sit suscepta. Versatur autem in demonstratione, ac demonstrandi arte est instituta. Tum explicandum nobis est, quid sit propositio, quid extremũ, quid ratiocinatio, cuiusmodi sit tum quæ perfecta, tum quæ imperfecta dicitur. Demum quidnam sit quidpiã in toto aliquo esse, aut non esse: quídque appellemus aliquid de aliquo omni, aut nullo dici. ~~Est igitur propositio, oratio que~~ aliquid de aliquo affirmat aut negat: ídque aut in toto, aut in parte, aut indefinité. In toto autem dico, cùm quid aut omni, aut nulli inesse dicitur: cùm verò alicui, vel non alicui, vel non omni, id particulare appello. Quod si inesse aut non inesse dicitur absque vniuersali aut particulari nota, Indefinitum id voco. Cuiusmodi hæc sunt, Aduersa eadem arte continentur, Voluptas non est bona. ~~Eo autem differt demonstratiua propositio à dialectica, quòd illa est ex alientibus & negantibus vnius partis assumptio: quippe vt cõfessum sumit qui demonstrat, nihil rogat. Dialectica propositio, quæstio est vtrãque contradictionis partem complexa.~~ At quod attinet ad ratiocinationẽ ex vtrauis struẽdã, nul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum inter eas est discrimen. Nam & qui demonstrat & qui rogat, ita ratiocinatur vterque, vt quid cuique inesse, vel nõ inesse prius sumpserit. Ita propositio ratiocinationis, affirmatio est, vel negatio cuiusdã de alio: eo, quo diximus, modo. Demonstratiua autẽ tum demum est, cùm vera fuerit, & per prima initia confirmata & sumpta. Dialectica verò propositio, quod ad eum attinet qui rogat, quæstio est contradictionis: quod autem ad eum qui ratiocinatur, est assumptum quid apparens aut probabile: quemadmodum in Topicis exposuimus. Sint igitur hæc, quod ad rem præsentem attinet, de propositione satis, quid inquam illa sit, quo differat ea, quæ ratiocinationi adhibetur, à demonstratiua, & dialectica, hæ item inter se. Diligentius enim de his in progressu disseremus. Extremum verò id appello, in quod resoluitur propositio: cuiusmodi est, id quod de alio dicitur, idque de quo illud dicitur, seu adiiciatur, seu tollatur illud esse vel non esse. Ratiocinatio verò est oratio, in qua nonnulla ita ponuntur, vt diuersum quid ab eis necessario efficiatur, quia ea ita sint: quod postremũ indicat nullo extremo egere externo, vt necessaria sit consecutio. Perfectam verò ratiocinationem eam appello, quæ nulla alia re eget præterea, quæ in ea sumpta sunt, quo colligendi necessitas sit euidens ac perspicua. Imperfectam, quæ vna re, aut pluribus eget: quæ etiam si ad extrema concessa & substrata consequantur necessariò, non sunt tamen illæ in propositionibus expressæ. Est autem res eadem, quidpiam in aliquo toto esse, & quidpiã de alio omni dici: nempe cùm nullam subiecti partem reperias, in qua prædicatum non verè dicatur. Eodem pacto intelligendum est, de nullo aliquo dici.

De pronunciatorum reciprocatione. Cap. II.

AT verò cùm effatorum alia rem esse dicant, alia necessario eam esse, alia eam accidere: horúmque alia aiant, negent alia, idque in quauis enunciandi ratione: aientium rursus & negãtium, alia in toto sint, alia in parte, alia indistincta: hæc inquam cùm ita sint, in effato eo quod quidpiam vniuersim esse negat: necessario extrema reciprocantur: exẽpli causã, si nulla voluptas est bona, nihil quod bonum sit, est voluptas. In eo autẽ pronũciato quod ait quid, extrema retro commeant illa quidem: sed in parte tantùm, non vniuersim: vt, Si voluptas omnis est bona, quoddam bonũ voluptas sit necesse est. Ex particularibus verò affirmans in parte retro commeat necessario: nam si quædam voluptas est bona, quoddam bonum est voluptas. In negantibus id non ita est: vt enim quoddam animans non sit homo, non ex eo efficitur quendam hominem non esse animans. Principio igitur constituamus propositionem, in qua quippiam vniuersim negetur: sitq; hæc a, b: tum si nullum b, est a, ne vllum quidem a, erit b. Quòd si quis reluctetur, quoddam a esse b: designetur illud, sitq; c: non erit igitur tum vsquequaque verum, quod dicebamus nullum b esse a, cum c, pars sit aliqua ipsius b, eóque contineatur. Quòd si dicas, omne b esse a, hinc consequetur quoddam a esse b. quòd si nullum esse dicas, ne vllum quidem b erit a: cùm antea pro confesso id haberetur, omne b esse a. Est autem eadem ratio, si in parte fuerit proloquium: nã si quoddam b est a, necessario efficitur vt quoddam a sit b. Quòd si nullum a esse b dicas, hinc consequetur, ne vllum quidem b esse a. Quòd si dicas, quoddam b non esse a, non continuò

Universidad de Deusto
Biblioteca

efficitur, vt quoddam a non sit b. verbi causa, si b pro animante intelligatur, a verò pro homine, neque enim omne animans est homo, cùm omnis homo sit animans. Eadem erit reciprocationis via in pronunciatis necessariis: vniuersale enim negans in totum reciprocatur, affirmantium vtrunque in parte tantum. Si enim nullum b est a, idque necessario: nullum quoque a est b, eodem modo. Nam si ipsum b alicui a accidere cõtendas: a quoque cuidam b acciderit. At si omne vel aliquod b necessario sit a: sanè & quoddã a necessario est b. si enim id non sit necessariũ, neque etiam quoddam b necessario est a. Negatio verò in parte ob eam ipsam, quam antea exposui, causam non reciprocatur. At quod attinet ad accidentia, quia accidendi vocabulum varium est ac multiplex: quippe quo tum necessarium contineatur, tum non necessarium, denique & possibile: sanè in affirmantibus omnibus eadem est quæ prius, reciprocãdi ratio. Nam si a ipsi b vel in totum vel cuidam accidat, & b quoque ipsi a acciderit: nam si vt nulli conueniat necesse est, a quoque nulli b conuenire oportet: id quod paulò antè confirmauimus. In negantibus verò diuersa est ratio: quia quæ accidere dicuntur, aut quia necessario nõ insint, aut quia citra necessitatem absint, eodem modo commeant: vt si quis dicat homini accidere, vt non sit equus, aut albedinem nulli vestimento, quorum vnum non inest, idque necessario: alterum citra necessitatem. Et eodem prorsus modo retro commeat vtraque propositio, quo superiores: si enim accidat, vt nullus homo sit equus, accidat quoque, vt nullus equus sit homo. Et si in nullo vestimento albedo accidat, in nulla quoque albedine vestimentum

accidit. Quòd si in aliqua necessario sit, in quodam etiam indumento albedo reperietur necessario: id quod paulò antè confirmauimus. Illud idem de negante particulari iudicandum est. At priuantes illæ propositiones in quibus quid accidere dicitur, quia plurimũ fiat, & natura ita sic comparatum (quomodo accidentis vocabulo peculiariter vtimur) iam non eadem lege reciprocationis vtuntur: quin negatio vniuersalis retro non commeat: particularis autem maximé. Id quod perspicuum erit, vbi de accidente disseremus. In præsens id tantũ nobis præter ea quæ dicta sunt, confessum sit, quod accidere nulli, aut cuidam non inesse, speciem habet affirmationis: nam illud accidit, consimilem locum atque ordinem seruat, atque ipsum est. Hoc autem quibuscunque prædicatis adiiciatur, affirmationem quoque modo efficit, ac perpetuo. Cuiusmodi hæc sunt: Est non bonum, non album, & in vniuersum est, non hoc, aut non illud. Id autem in progressu confirmabimus. Hæ verò reciprocandi legem eandem sequuntur, quam & aliæ. His ita constitutis dicendum nobis est, quæ sint ea ex quibus struatur ratiocinatio quæuis. Quando ratiocinatio proba sit futura, quáque via ac ratione sit componenda. Posterius de demonstratione dicendũ nobis erit. Est enim ante demonstrationem de ratiocinatione differendum, eo quòd hæc latius patet: huius enim illa pars quædam est, hæc verò totum atque in pluribus.

Prima figura. A.B.C. Cap. III.

QVANDOCVNQVE ergo tria extrema ita inter se affecta fuerint, vt postremũ in medio toto contineatur, hoc autẽ in toto primo vel sit vel non sit, necessario hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca

efficitur extremorum perfecta complexio. Medium id appello, quod cùm in alio sit, aliud quoque in hoc continetur, & situm quoque medium seruat. Extrema verò ea dico, quorum alterum in alio est, in altero autẽ aliud cõtinetur. profectò si a de omni b affirmetur, & b de c quouis: necesse est vt a de quouis c affirmetur: præsertim cùm paulò antè explicatum sit, quid sit de aliquo toto dici. eadem est ratio, si a de nullo b dicatur: b verò in c toto sit. Nam a in nullo c reperietur. Quòd si primum extremum cuiuis medio sit consequens, & hoc nulli postremo insit, nulla erit extremorum complexio. nihil enim quicquam necessario hinc efficitur, quia ea ita se habeant: cùm fieri possit vt primum postremo, tum omni insit, tum nulli: vnde nec in parte, nec in toto necessarium quicquam efficitur. Quotiescunque autem nihil necessario colligitur, ex iis sanè ratiocinatio non fuerit. Extrema in quibus alterũ alteri toti insit, sint hæc, animans, homo, equus: in quibus nulli insit, illa, animans, homo, lapis. Ne ratiocinatio quidem fuerit, vbi primum in medio nullo reperietur: simul & hoc in postremo nullo. Extrema affirmãdi sint hæc, sciẽtia, linea, medicina: negãdi verò hæc, scientia, linea, vnitas. Hinc perspicuũ est, quãdo futura sit ratiocinatio: quando non item, vbi extrema vniuersalia fuerint. Illud etiam constat, quãdocunque fuerit ratiocinatio, extrema, eo quo diximus modo, affecta esse oportere: quòd si ita digesta sint, ratiocinationem ex iis effici. At vbi extremorum alterum ad aliud sit affectum in totum, alterũ in parte, cùm vniuersalis seu affirmatio, seu negatio maiori extremo coniuncta fuerit, minori verò affirmatio in parte, necesse est hinc nasci ratiocinationem

absolutam: vbi autem minori extremo additum fuerit vniuersale illud, aut quoquo alio modo extrema fuerint digesta, ratiocinatio fieri nullo modo potest. Maius extremũ id dico, in quo mediũ continetur. Minus verò id, quod medio substernitur, Sit enim hoc confessum, quoduis b esse a, quoddam item c esse b. hinc sanè efficitur necessario, vt quoddam c sit a, si de aliquo toto dici id sit, quod initio explicauimus. Quòd si nullum b sit a, quoddam verò c sit b, necesse est vt quoddam c non sit a. Cùm antea interpretati simus quid sit, quóque modo audiendum, de nullo aliquo dici. Erit igitur ad hunc modum ratiocinatio suis numeris absoluta. quod idem fiet, si b c affirmatio fuerit indistincta: quippe cùm eadem struatur ratiocinatio, seu particulare sumas pronũciatum, seu indefinitum: quòd si minori extremo iũgatur vniuersalis affirmatio, vel negatio, nulla hinc erit ratiocinatio, cum propositio aut in parte fuerit, aut indefinita, seu affirmet illa, seu neget. verbi gratia, si quoddam b sit a, vel non sit, c verò quoduis sit a: extrema consentanea sint hæc, bonum, habitus, prudentia. Disparata, bonum, habitus, insciti a. Rursus si nullũ c sit b: quoddam verò b, vel etiam non omne sit a, vel non sit: ne sic quidem erit ratiocinatio. extrema omnino consentanea sunt, album, equus, cygnus. Repugnantia planè, album, equus, coruus: quæ eadem vsurpanda sunt, si b, a propositio indistincta fuerit. Neque item ratiocinatio fuerit, vbi priori extremo addita vniuersalis affirmatio fuerit, vel negatio: posteriori verò negatio in parte, vel etiam indefinita: ceu si omne b sit a, quoddam verò c non sit b. Cùm ei, cui in parte medium non cohæret, prius extremum vniuersim modò

Universidad de Deusto
Biblioteca

consentaneum sit ac consequens, modò alienum ac repugnans: vt si proponãtur hi tres fines, animãs, homo, album: tum ex iis albis, de quibus homo asseuerari nõ possit, secernantur, olor & nix: sanè de altero horum animans vniuersim affirmatur, negatur planè de altero: ita ratiocinatio nullo modo fuerit. Rursus a in nullo b reperiatur, nec itẽ b in aliquo c: extrema verò sint inanimatũ, homo, album, atque tũ assumantur ea alba, de quibus homo non dicitur, olor & nix: nam inanimum de altero quidem omni affirmabitur, de altero nullo dicetur. Ad hæc, cùm incerta sit huius pronunciati veritas, quoddam c non est b (quod quidem verum est, seu nullum planè sit, seu omne) cùm autem eo modo sumpta fuerint extrema, vt alterum in altero nullo reperiatur, inde nõ struetur ratiocinatio. id quod paulò antè cõfirmauimus: perspicuum est ex hac extremorum structura ac dispositione ratiocinationem non effici: alioqui ex illa quoque efficeretur: eadem autem probãdi ratio erit, vbi negatio in toto fuerit. Quòd si ambæ intercapedines in parte aiant quid, aut negent, seu altera aiat, neget altera, seu ambæ indefinitæ sint, seu altera indefinita, altera certa ac definita, ne tum quidem ratiocinatio vlla erit. His autem compositionibus omnibus extrema hæc communem præbebunt vsum, animans, album, equus: animans, album, lapis. Ex iis quæ hucusque exposuimus, hoc cõstat, ad ratiocinationem in parte per hanc figuram connectendam, necessariam esse eam extremorum collocationem: quæ si obseruetur, necessario inde ratiocinationem effici: alioqui nulla planè effici possit. Ex iis etiam hoc intelligimus, quæ in hac figura struantur ratiocinationes, omnes suis numeris absolutas esse ac perfectas: quippe quæ ex iis absoluantur, quæ initio sumpta sunt ac concessa. Hinc etiam id constat, quæstiones cuiusuis generis in hac figura probari, tum quæ in toto ait aut negat, tum quæ in parte. Ac figuram eam primam appellandam censeo.

Figura secunda. M.N.X. *Cap. IIII.*

VBI verò aliquid vnum & idem, in aliquo quidem toto, in alio verò nullo reperiatur, seu in vtroque toto vel nullo, figuram eam secundã appello. In qua medium voco id, quod de ambobus extremis dicitur. Extrema verò ac fines, ea in quibus id dicitur: Maius quidem, id quod proximè medium situm est: Minus, quod ab eo longius distat. Collocatur autem mediũ extra fines ac extrema, situ verò primum est omnium: quapropter nullo pacto integra ac perfecta futura est ratiocinatio per hanc figurã: necessaria tamen conclusio hìc fieri potest, seu extrema in toto sumpta sint, seu nõ sint. Sanè vbi extrema vniuersa fuerint, struetur tum legitima ratiocinatio, vbi medium in altero nullo, in altero omni reperiatur, vtrauis negatione adiecta: sin secus fiat, nihil omnino colligetur. Faciamus enim vt m, in nullo n reperiatur: in x verò omni: tum quia negatio in toto reciprocatur ac commeat, nullum m est n: iam autem confessum est, omne x esse m: ita nullum x est n. Hoc enim antea confirmauimus. Rursus, si m in toto n, & in x nullo reperiatur, sanè & n in nullo x erit: nam si nullum m, in nullo x cohæreat, ne x quoque in vllo m insit: inerat autem m omni x, nullum igitur x n erit: eo enim modo iterum effecta est primæ figuræ structura: & quia negatio inuertitur, n quoque in nullo x reperiatur, ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

eadem cõplexio efficietur. Licet autem & id ipsum ab absurdo confirmare. Ex his igitur hoc cõstat, vbi ita collocata atque digesta fuerint extrema, inde ratiocinationem quidem effici, non tamen absolutam ac integram, vt in qua colligendi necessitas non ab his modò sit, quæ initio sumpta sunt, sed aliunde quoque absoluatur. Quòd si omne n sit m, item & omne x, nullum hinc efficitur ratiociniũ. Extrema autem consentanea hæc proponantur, essentia, animans, homo: Dissentanea verò ac repugnãtia, essentia, animans, numerus. Essentia autem medium est, & pro argumento. Neque item complexio vlla erit, vbi m, in nullo n, in nullo item x dicatur. Extrema consequentia sint, linea, animans, homo: Repugnãtia hæc, linea, animans, lapis. Vnde planè constat, vbi ex vniuersis extremis cõstituetur conclusio, dispositionem eam extremorum, quam initio exposui, necessario esse obseruandam: alioqui non necessario consequetur conclusio. At verò vbi medium in altero tantum extremo toto fuerit, tum demum conclusio est futura, quæ aliquid in parte neget, si maiori extremo adiiciatur illud totum, seu affirmes, seu neges: minori autem addatur illud in parte quod illi toti aduersetur ex diametro. Quod fieri intelligo, si alterum totum neget, alterum in parte affirmet: & si totum illud affirmetur, illud in parte negetur. Nam si m in nullo n, & in aliquo x reperiatur, necesse est n in aliquo x non reperiri: cùm enim negatio retro commeet, in nullo m reperitur n. At verò pro certo sumptum est m in aliquo x reperiri: ita n in aliquo x non erit: quandoquidem in prima figura efficitur conclusio. Rursum si m sit in toto n, in x autem aliquo non sit, necessario efficitur, vt n in aliquo x non sit: alioqui omni inesset, m verò de toto n dicitur: ita necesse est, vt m sit in toto x, cùm antea pro certo & confesso sumeretur, in aliquo non esse. Quòd si m in toto n intelligatur, in x autem non toto, inde efficitur, vt n in x nõ toto reperiatur: cuius rei eadem est, quæ prius, probatio. At vbi m in toto x dicitur, in n verò non toto, nulla tum erit conclusio. Extrema consentanea sint hæc, animans, substãtia, coruus: Dissentanea verò, animans, album, coruus. Neque item erit ratiocinatio, vbi in nullo x dicetur illud m, in n verò aliquo. Coniuncta extrema sumantur animans, essentia, vnitas: Repugnãtia, animans, essentia, scientia. Atque ita hucusque nobis expositum est, quando futura sit, & non sit conclusio, vbi vniuersale pronunciatum particulari cõtrarium fuerit. Vbi verò similia ambo fuerint, nempe si negent ambo, vel aiant, iacebit planè conclusio. Quod vt intelligatur, proponamus primũ priuãtia, vt illud vniuersale adiiciatur extremo priori ad hũc modum, vt nullum n sit m, quoddam verò x non sit m: sanè fieri potest, vt in ipso x & omni & nullo reperiatur ipsum n. Extrema planè repugnantia sint hæc, nigrum, nix, animans: omnino consentanea nunquam reperias, si m in aliquo x insit, in alio non insit. Nam si in omni x reperiatur illud n, m vero in nullo n, sanè m in nullo x erit: cùm antea pro concesso sumptũ sit, in aliquo esse. Hoc igitur modo extrema reperire non possis. Quapropter infirmanda est ea ratiocinatio per pronũciati particularis incertam naturam. Nam quia verum illud est, aliquod x non esse m, etiam si nullum sit: cùm autem nullum esset, antea iacebat conclusio: perspicuum est, ne hoc quidem modo stare posse. Consti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuantur rursus propositiones affirmatiuæ ambæ, vt illud vniuersale eodem modo collocetur. Verbi causa, vt omne n sit m, aliquod item x sit m: tum accidit, vt omne x sit n, & nullum. Extrema in quibus cernatur nullum x esse n, sunt album, cygnus, lapis. Extrema verò, in quibus omne x sit n, reperire non possis ea ipsa de causa, quam antea exposuimus. Quare ex incerta propositionis de parte natura ducendum est ad eam rem probãdam argumentum. Quòd si illud vniuersum minori extremo iunctum sit, ita vt nullum x sit m, quoddam verò n non sit, fieri potest, vt n in x & toto & nullo reperiatur. In toto quidem reperitur, vt in his, albo, animante, coruo: in nullo autem cernitur, vt in illis, albo, lapide, coruo. Quòd si affirment propositiones ambæ, extrema dissidentia sint, album, animans, nix: consentanea, album, animans, olor. Ex quibus planè intelligitur nullam fore ratiocinationem, vbi similes fuerint propositiones ambæ, & altera in toto, altera in parte: quin ne si medium in vtroque aliquo sit, vel nõ sit, aut in hoc quidem aliquo, in illo non item: aut in neutro toto, aut indistincte. Extrema omnibus cõmunia sunt, album, animans, homo: album, animãs, in animũ. Ex iis igitur, quæ exposuimus, perspicuum est ratiocinationem necessariam fore, vbi extrema ita inter se fuerint affecta ac collocata, vt diximus. Quòd si ratiocinatio sit, necesse est extrema ita esse collocata atque affecta. Hoc etiam intelligitur omnes imperfectas esse, quæ in hac figura struuntur ratiocinationes: quippe quæ perficiantur omnes quibusdam assumptis, quæ vel in extremis necessario erant posita, vel certè cõceduntur quasi ex pacto & fictione: vt sit cùm absurdo aliquid confirmamus. Constat & hoc, nullam in hac figura affirmantem effici conclusionem: sed omnes negantes, tum quæ in toto sunt, tum quæ in parte.

De figura tertia. P.R.S. Cap. V.

AT verò vbi hoc in aliquo toto fuerit, illud autem in eodem nullo, seu ambo in eo toto, aut nullo sint, figurã eam tertiam appello. In qua Medium id voco, de quo ambo illa enunciamus: Extrema verò ea ipsa, quæ de alio enunciantur: Maius quidem, quod à medio longius distat: Minus verò id, quod propius accedit. Medium autem extra ipsa extrema collocatum est illud quidem, ac situ & dispositione est postremum. Ita ne in hac quidem figura vlla efficitur perfecta ratiocinatio: effici tamem possit, seu extrema vniuersaliter medio iungãtur, seu non omnino. Vbi igitur extrema vniuersim sumantur, si & p & r in toto s reperiantur, necessario efficietur conclusio, vt p in aliquo r intelligatur. Cùm enim reciprocetur affirmatio, sanè in aliquo r erit ipsum s. Itaque, quia ipsum p est in toto s: s verò in aliquo r, consequitur, vt p in aliquo r insit. Ita enim struitur ratiocinatio in prima figura. Licet autem idipsum confirmare, tum ab absurdo, tum expositione. Si enim ambo extrema in toto insint, & assumatur pars quædã ipsius s: verbi gratia, ipsum n, sanè ei inerit & p & r: ita cuidam r p quoque inerit. Quòd si r in toto s, in eodem verò nullo ipsum p reperiatur, efficietur conclusio, qua p in aliquo r non inerit, idque necessario: quippe eadem est, quæ prius, eius rei probandæ ratio, si pronunciatum hoc r s retrocedat ac commeet. Confirmabitur & id ipsum ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

incommodo, vt sit in superioribus. Vbi verò ipsum r in nullo sit s: in hoc verò toto ipsum p, iacebit planè conclusio. Extrema consentanea sunt, animans, equus, homo: Dissidentia, animans, animarum, homo. Ne tum quidem ratiocinatio erit, vbi in nullo s ambo dicantur. Extrema coniuncta sumantur, animans, equus, inanimum: Repugnantia verò homo, equus, inanimum. Ex iis inanimũ est medium Hinc igitur manifestũ, quãdo sit, vel nõ sit futura in hac figura ratiocinatio, vbi extrema omnino sumpta sunt: quippe vbi affirmant, colligetur extremum alterum in aliquo altero esse: vbi verò negant, nihil efficietur. At vbi alterum ait, alterum negat: si maius quidem neget, alterum autem affirmet, hinc cõsequetur extremum alterum in altero aliquo non esse: sin contrà sit, nulla futura est conclusio. Quòd si extremum alterum medio iungatur vniuersim, alterum verò id parte: si ambo affirment, necessario efficitur conclusio, etiam si vtrumuis eorum in toto dicatur. Nam si r sit in toto s, p verò in eo aliquo, necesse est p in aliquo r inesse. Nam, quia commeat affirmatio, ipsum sanè s in aliquo p erit, atque ita, cùm ipsum r in toto s intelligatur, ipsum verò s in aliquo p: sanè r in aliquo p erit: quare & p in aliquo r: rursum si ipsum r in aliquo s intelligatur, in eo verò toto ipsum p, necesse est, vt p in aliquo r insit. Huius enim conclusionis adstruendæ eadem est atque superiorum via, quam etiam confirmare possis, quemadmodum antecedentes tum absurdo, tum expositione. Quòd si extremorum alterum aiat, alterum neget, atque illud vniuersim dicatur: sanè vbi minus extremum ita affirmet, stabit conclusio. Nam si r in toto s sit positum: p verò in eo ipso aliquo

non insit, necesse est, vt p in aliquo r quoque non insit. Nam si in eo toto esset, r autẽ in toto s, profectò ipsum p in toto s quoque reperiretur. At pro concesso sumptum est non inesse. Potest autem adstrui hic modus absque eo ductu, si aliqua pars ipsius s sumatur, in qua p non sit. Quòd si maius extremum affirmet, minus autem neget in parte, nulla erit conclusio: vt si p in toto s insit, in eo verò aliquo ipsum r non insit. Sumantur pro extremis omnino consentientibus, animatum, homo, animans: pro dissidentibus verò ac planè repugnantibus nulla accipi possunt, si r in s alia ex parte insit, alia non item. Si enim p in toto s reperiatur, r verò in s aliquo, & p quoque in aliquo r erit: at, vt confessum est, in nullo erat: quin quemadmodum antea, eodem modo hìc faciendum est. Cùm enim aliquid in alio aliquo non esse indefinitum sit ac incertum, sanè quod in nullo est, verè dicitur in aliquo non esse: cùm autem in nullo esset, nulla erat ratiocinatio. Quòd si extremum negans vniuersim dicatur, affirmans verò in parte, vbi negans prius fuerit, affirmans autem posterius, stabit ratiocinatio. Nam si p in nullo s, in hoc verò aliquo sit ipsum r: sanè p in quodam r non erit. Nam si pronunciatum hoc r s permutetur, visetur prima figura. Quando verò minus extremum negauerit quid, iacebit planè ratiocinatio. Fines consentientes sunt, animans, homo, fera: repugnantes verò animans, sapientia, fera: in quibus illud fera, medium inseritur. Ne syllogismus quidem erit, si ambo extrema negent, vt alterum in toto sit, alterum in parte. Fines dissidentes sunt, vbi minus in medio toto dicitur, animans, sapiẽtia, efferatum: Coniuncti ac consentientes, animans, homo, fera. In quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem maius extremum omnino dicitur, minus verò in parte, exempla repugnantia sunt, coruus, nix, album. Consentanea verò reperiri non possunt, si r in ipso s partim sit, partim non sit. Nam si omni r ipsum p sit consequēs, ipsum verò r alicui s, sanè & p ipsum alicui s consequens est. At pro certo ac concesso habebatur nullum consequi: verum ex incerta veritate propositionis de parte, hoc confirmari debet. Quòd si ambo fines in medio aliquo sint, vel non sint: seu hic insit, ille non item: seu alter in aliquo, alter verò in eo non omni, seu indefinita sint ac incerta, ne tum quidem firma est vllo pacto futura ratiocinatio. Fines autem omnibus modis in commune vtiles, animans, homo, album: animans, inanimum, album. Hinc igitur constat, quando sit in hac figura futura firma conclusio, quando secus. Ac si ita fines disponantur, vt præcepimus, necessario conclusionem effici: quod si stet ratiocinatio, fines necessario ita esse collocandos. Illud quoque constat, imperfectas esse eas, quæ in hac figura struuntur, ratiocinationes: quippe quæ absoluantur omnes, vbi nonnulla assumas. Addè quod in hac figura nihil vniuersim efficere possis, seu affirmes, seu neges. Id etiam ex his perspicuum est, quando in quauis figura iaceat conclusio: sanè vbi extrema ambo in parte aiant quid, aut negent, nihil planè inde efficitur. Quod si affirmatio cum negatione vniuersali sumatur, perpetuò sequitur conclusio negans minus extremum de maiori. Verbi causa, Si a in toto b, aut aliquo sit, b verò in nullo c, cum retro commeent propositiones, necessario efficitur, vt c in aliquo a non sit: quod in aliis figuris eodem modo fit. Nam in quauis efficitur ratiocinatio ex conuersione. Constat &

hoc, si indefinita propositio pro affirmante particulari sumatur, eundem atque illam syllogismum efficere in quauis figura. Illud quoque manifestum apparet, imperfectas ratiocinationes in prima figura omnes perfici atque absolui: quippe, aut demonstratione finiuntur omnes, aut per absurdum. At vtrouis horum modorum efficitur prima figura. Nam vbi demonstratione perficiuntur, reciprocatione absoluuntur omnes, hæc autem primam figuram constituebat. In his autem quæ ab absurdo confirmantur, ratiocinatio in prima figura struitur, proposita atque constituta aliqua re falsa, vt si in vltima figura a & b, in toto c reperiuntur, ipsum a in aliquo b erit: alioqui in nullo b fuerit a, b verò in toto c: a igitur in nullo c inest: at antea in toto esse concessum est: eodem modo in cæteris fieri solet. At verò reduci possunt ratiocinationes omnes in eas, quæ vniuersim colligunt in prima figura. Est enim in secunda figura id perspicuum omnes perfici per illas, præterquàm quòd non eadem via omnes: quin vniuersales perficiuntur quidem, si priuans retro commeet: atque in parte sunt, ambæ ab incommodo confirmantur: quæ autem in parte sunt in prima figura, vt ex seipsis perfectæ sint, atque absolutæ, eas tamen per secundam figuram confirmare licet ductu ad incommodum. Verbi causa, Si a est in toto b, hoc verò in aliquo c, a quoque in aliquo c erit. Nam si in nullo sit, sit verò in toto b, b sanè in nullo c erit: id quod ex secunda figura intelligitur: eadem est in priuante conclusione confirmatio. Nam si a in nullo b cernitur, b verò in aliquo c maximè, a sanè in aliquo c non reperietur: alioqui si in toto eo esset, & in nullo b re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

periretur, profectò ipsum b in nullo c esset: eo autem modo struebatur media figura. Vnde quia ratiocinationes figuræ mediæ ad eas, quæ in prima figura vniuersales fiunt, reducuntur omnes: particulares autem ex prima ad eas referuntur, quæ in media fiunt: perspicuum est, quæ in parte efficiuntur, referendas eas esse ad eas, quæ in prima figura vniuersim fiunt. Quæ verò in tertia figura struuntur, si extrema vniuersa sint, continuò per ratiocinationes illas primæ figuræ perficiuntur. Quòd si in parte sint extrema, ad syllogismos eos referuntur, qui in parte colligunt per primam figuram. Hos verò ad illos referri docuimus: quare referentur quoque qui in parte struuntur per tertiam figuram. Hinc igitur planè constat, ratiocinationes omnes ad eas referri debere, quæ vniuersim fiunt in prima figura. Atque ita hucusque nobis expositum est, quæ sit dispositio, vis & natura earum ratiocinationum, quæ aliquid esse, vel non esse colligunt, seu per se in sua quæque figura cernantur, seu ex diuersis figuris simul comparentur.

De varia pronunciatorum coniunctione. Cap. VI.

AT verò quia diuersa sunt hæc, inest, necessario inest, accidit inesse: permulta enim insunt illa quidem, non tamen necessario: alia nec necessario insunt, nec re ipsa omnino insunt, inesse tamen possunt. Perspicuum est inde ratiocinationes ex iis singulis confectas, diuersas esse, extremáque in iis non eodem modo se habere: quin alia ex necessariis constat, alia ex absolutis, alia ex contingentibus. In necessariis igitur eodem fermè modo res se habet, ac in absolutis: si enim eodem modo collocentur extrema, tum in iis quæ inesse, tum in iis quæ necessario inesse quid aiunt vel negant, modò conficietur ratiocinatio, modò non conficietur. Hoc tantùm differunt, quòd extremis adiicitur necessario inesse, vel non inesse: priuans enim propositio eodem modo reciprocatur, ac in toto aliquo esse, ac de toto aliquo dici, eodem hîc modo locum habet, quo in absolutis. quo fit, vt quemadmodum in iis, qui insunt, ita in necessariis conclusio per reciprocationem ostendatur, idque in omnibus, præterquam quòd in media figura, cum altera propositio fuerit affirmatiua vniuersalis, altera particularis priuãs. Itémque in tertia, cum altera vniuersalis affirmatio erit, altera negatio in parte, non ita ostendi possit: quin necesse est, vbi singulare aliquod proposueris, cui neutrum insit, in eo ratiocinationem efficere: in eo enim necessario efficietur. Quòd si in re singulari proposita necessario efficitur, in illius generis, cuius pars est illa res, singula parte etiam efficietur. Harum autem ratiocinationum vtraque in sua figura efficitur.

Quomodo necessarium & absolutum pronunciatum committantur in prima figura. Cap. VII.

FIT autem nonnunquam, vt necessaria efficiatur conclusio, vbi altera propositio necessaria sit: verùm non vtrauis, sed quæ maiori extremo coniuncta est: verbi causa, si sumptum sit, a necessario esse, vel non esse in b: b verò in c esse modo: sanè si eo modo sumptæ sint propositiones, a in c necessario erit, vel non erit: quippe quòd sit in b necessario,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel non sit: c verò pars est ipsius b: vnde perspicuum est, c necessario alterum eorum futurum. Quòd si b esse a necesse non sit, c verò esse b maximè, inde non efficietur necessaria conclusio: alioqui accidet quoddam b necessario esse a, tum in prima, tum in tertia figura, quod planè est falsum: fieri enim potest, vt b eiusmodi sit, vt illi nulla in parte a aliquando insit. Iam verò cõclusionem non sequi necessariam extremis propositis, facilè intelligitur. Exempli causa, Si a sit motus, b animans, loco c locetur homo: tum homo necessario est animans, animans autem mouetur, neque id necessario, neque itidem homo. Eadem est ratio, si priuans fuerit propositio a b: est enim demonstrandi ratio eadem. In ratiocinationibus autem particularibus, cùm propositio vniuersalis necessaria fuerit, connexio efficietur necessario: sin particularis necessaria sit, non inde sequetur conclusio necessaria, siue priuans sit vniuersalis propositio, siue affirmatiua. Constituamus primum vniuersalem necessariam, sitque omne b necessario a: quoddam verò c sit b, tantum necessario inde cõsequitur quoddam c necessario esse a: c enim sub b continetur, omni autem b a necessario inerat: ita fiet vbi conclusio priuans fuerit: est enim eadem probandi via. Quod si particularis propositio necessaria sit, non consequetur conclusio necessaria. quemadmodum enim in vniuersalibus ratiocinationibus, ita neque in his quicquam absurdum accidit: quod & in priuantibus æquè est intelligendum: sint extrema hæc, motus, animans, album.

Coniunctiones quæ in secunda figura. Cap. VIII.

CVM autem in secunda figura propositio priuans ne-

cessaria fuerit, necessaria efficietur connexio: sin affirmatiua, non item. Constituatur enim primum priuans necessaria, ita vt a nulli b inesse possit, insit autem ipsi c tantum. Nam cùm negatiua reciprocetur, & b nulli a inesse poterit: a verò omni c inest: igitur in nullo c, b esse potest: est enim c sub a comprehensum. Ita fiet, si negatio ipsi c adiiciatur. Nam si nulli c inesse potest, & c nulli a: a verò omni b inest: ita fit vt nulli b possit ineße c: constituitur enim rursum prima figura. Ita sit vt & ipsum b nulli c inesse possit, eodem enim modo retroeunt. Quòd si affirmatio necessaria sit, non efficietur necessaria conclusio. Faciamus enim, vt omne b necessario sit a: nullum verò c sit a tantùm: si retrocedat negatio, constituitur prima figura, in qua antea probatum est, nisi maior propositio negatiua necessaria sit, connexionem non fore necessariam: vnde nec in his necesse est fore. Præterea si necessaria sit conclusio, fit, vt c alicui a non insit necessario: si enim b nulli c inest, idque necessario, & c nulli b æquè necessario inest: b autem alicui a necesse est inesse. Nam a omni b necessario inerat: ita fit, vt sit necesse c alicui a non inesse: At nihil vetat, quin eiusmodi acceptum sit, cui vniuersim ipsum c inesse possit. Iam verò extremis propositis probari possit, conclusionem non esse absolutè necessariam, sed tantum quandiu illa sunt. Verbi gratia, Pro a sumatur animans, loco b homo, in locum c succedat album, sintq; eodem modo sumptæ propositiones: accidit nullum album esse animans, nullum item album est homo, non tamen necessario: fieri enim potest, vt homo sit albus, non tamen quandiu nullum

Universidad de Deusto
Biblioteca

album est animans. Ita conclusio necessaria est, quandiu illa sunt, absolutè necessaria non item. Ita fit in ratiocinationibus particularibus: cùm enim propositio priuans vniuersa fuerit & necessaria, connexio quoque necessaria erit. Quod si affirmatiua vniuersa sit & necessaria: negatio autem particularis sit, nec necessaria: nec sequetur connexio necessaria. Primùm itaque constituamus negationem vniuersalem necessariam, nullum b potest esse a, quoddam autem c est a. Nam quia reciprocatur negatio, necesse est nullum a esse b, quoddã autẽ c est a: ita fit, vt necessario quoddam c non sit b. Rursum proponatur vniuersalis affirmatio necessaria, vt affirmatio adiiciatur ipsi b: tum si omne b necessario est a, quoddam autem c non est a, perspicuum est inde, quoddam c non esse b, sed non necessario. Eadem enim extrema vsui erunt ad id probandum, quæ antea in vniuersalibus syllogismis. Quod si negatio necessaria sit in parte, nihilo magis conclusio necessaria est: id enim per ipsa extrema probari potest.

Quo pacto in tertia figura cõmittantur. Cap. IX.

CVM autem extrema de medio in totum dicentur in vltima figura, fuerúntque ambæ propositiones affirmãtes, vtrauis necessaria, conclusio quoque necessaria consequitur. Quod si propositionum altera aiat, altera neget, cùm negans necessaria fuerit, connexio necessaria est futura: vbi verò aiens necessaria fuerit, non erit necessaria conclusio. Constituantur ambæ primum affirmantes, vt & a & b omni c insint, sitque necesse a inesse ipsi c: iam cum b omni c insit, c alicui b inest (commutatur enim vniuersalis

in particularem.) Ita si a necessario insit omni c, & c alicui b insit, necesse est a alicui b inesse: quippe cùm b comprehendatur sub c. Ita rursus prima figura. Eadẽ ratione probabitur, si necesse sit omni c inesse b: cõmutatur enim altera, & c alicui a inest. Itaque si omne c necessario est b, quoddam autem a est c, quoddam a necessario est b: è conuerso sit priuans propositio c a, & c b affirmans, sitque priuans necessaria, iam quia reciprocatur affirmatio, quoddam b est c, nullum autem c est a, idque necessario: igitur quoddam b necessario non est a, cum b sub c comprehendatur. Quòd si affirmatio necessaria sit, non sequetur necessaria connexio. Constituamus enim ex c b necessariam affirmationem, ex c a negationem non necessariam: quia commutatur affirmatio, quoddam b necessario est c. Igitur cùm nullum c sit a, quoddã verò b sit c, quoddam b non est a, non tamen ex necessitate: docuimus enim, cùm negatio in prima figura necessaria non fuerit, neque conclusionem necessariam fore: quod & ab extremis intelligi potest. Constituamus enim loco a bonum, pro b animal, loco c equũ: Tum nullus equus est bonus: (id enim fieri potest) omnis autem equus necessario est animal: neque tamen necesse est, quoddam animans non esse bonum, cùm fieri possit, vt omne sit bonum. quòd si fortè id fieri non possit, aliud extremum constituamus vigilare, vel dormire: nam omne animans vtrunque horum recipere potest. Cùm igitur ambo extrema de medio vniuersim dicentur, exposuimus, quando conclusio necessaria fuerit: si verò alterum vniuersim, alterum in parte dicatur, idque affirmanda in ambobus, cùm idem vniuersim & necessario dicetur, conclusio efficietur necessaria: cuius

Universidad de Deusto
Biblioteca

rei probatio eadem est, quæ prius: affirmatio enim in parte commeat ac reciprocatur. Igitur cùm omne c necessario sit b, a verò sub c contineatur, necesse est quoddã a esse b: quòd si quoddam a est b necessario, vicissim etiam quoddam b est, ídque de necessitate: hæc enim retrocedunt. Eadem est ratio, cùm ex c & a necessaria fuerit, & vniuersalis propositio, quia b ipsi c subiicitur: sin particularis necessaria sit, non efficitur necessaria conclusio. Sit enim verbi causa, ex c b particularis propositio, ac necessaria, sitque omne c a, nec id necessario: cõmutata igitur propositione c b prima figura efficitur, vniuersalis autem propositio non est necessaria: at particularis maximè: cùm autem ita constituta sunt propositiones, docuimus non effici necessariam complexionem. Igitur neque ex his etiã consequetur, quod vel maximè ab extremis intelligitur. Sit itaque a vigilia, b verò bipes, ipsi c succedat animans: tum b cuidam c necessario inest: a verò omni c inest, nec tamen a ipsi b necessario inest: neque enim necesse est id quod bipes est, dormire, aut vigilare. Hoc idem ex iisdem extremis probabitur, vbi ac propositio fuerit particularis ac necessaria, conclusionem non fore necessariam. Quòd si extremorum alterum affirmetur, negetur alterum, cùm id quod negatur, & vniuersim, & necessario negabitur, complexio tum necessaria erit. Nam si nullum c est a, ídque necessario, quoddam autem c est b, quoddam b necessario non est a. At verò cùm affirmatio necessaria fuerit, siue ea in toto dicatur, siue in parte, vel negatio fuerit particularis, non erit conclusio necessaria: cætera enim eadem, quæ prius asseremus: vbi autem affirmatiua vniuersalis necessaria fuerit,

extrema sint, vigilia, animãs, homo, sitque homo medium. Cùm verò affirmatio in parte fuerit ac necessaria, sumentur hæc, vigilia, animãs, album. Nam quoddã album necessario est animans: fieriq; potest, vt nullum animans vigilet, nec tamen efficitur, vt quoddam animans non vigilet necessario. Cùm verò negatio particularis fuerit ac necessaria, extrema hæc proponantur, bipes, motus, animal, sitq; in his medium animal. Hinc igitur intelligi potest conclusionem non fore absolutam, nisi propositiones ambæ absolutæ sint. At necessaria est, vbi altera tãtum propositio necessaria fuerit: in ambobus autem, siue affirmãtes sint syllogismi, siue negantes, oportet alterum effatum complexioni respondere: nempe vt absolutum sit, si illa sit absoluta, necessariũ, si necessaria. Ita id quoque perspicuum est, neque necessariam, neque absolutam fore connexionem, nisi antecedat pronunciatum necessarium, vel absolutum: ac de necessario abunde satis, qua, inquam, ratione colligatur, quóque discrimine distinguatur ab eo quod absolutè inest.

De coniungendis ac componendis effatis, de contingenti, ac ratiocinationibus ex eo conficiendis, quóque pacto reciprocetur in seipsum. Cap. X.

DE contingenti verò deinceps nobis est dicendũ, quando, quáque via, quibus item propositionibus cõficietur syllogismus. Contingere autem ac contingens in præsentia intelligo id, quod cùm non sit necessario, si tamen ponatur, nullum inde sequitur incõmodum: cùm enim necessarium dicimus esse contingens, nominis tantum similitudine id

Universidad de Deusto
Biblioteca

facimus,& agnominatione: quòd autem contingens id sit, quod diximus, abunde argumento sunt affirmationes & negationes inter se contrariæ: nam non contingens esse, & impossibile esse, ac necesse non esse, vel eadem sunt, vel certè sese mutuo consequuntur: quod si ita est, eorum quoque contraria sese mutuo consequentur. Hæc enim accidit esse, non impossibile est esse, non necesse est non esse, vel eadem sunt planè, vel sibi inuicem adiuncta: de re enim quauis affirmatio dicitur, vel negatio. Ita fit, vt contingens sit non necessarium, & non necessarium contingens. At verò hoc in contingenti reperitur, vt omnes de eo propositiones in se mutuo commeent ac reciprocentur, quod non ita intelligo quasi affirmationes in negationes commutentur, sed quia speciem affirmandi habent, in oppositas commutari: verbi causa, contingit esse, in hanc cõmutari potest, contingit non esse: item in omni contingit, in hanc commeat, in nullo contingit, aut non omni. Item in aliquo contingit, in hanc vertitur, non omni accidit. quod idem fit in cæteris. Nam quia contingens nõ est necessarium, quod autem huiusmodi est, potest non esse: hinc constat, si contingit b esse a, contingit & non esse: quod si accidit in omni reperiri, accidit & in nullo reperiri. Eadem est affirmationum in parte ratio: eadem enim est in his demonstrandi via. At verò propositiones huiusmodi affirmant, non negant. Nam verbum accidendi (quod & prius diximus) eodem fungitur munere, quo ipsum esse. His igitur ita constitutis rem ab initio repetamus. Vocabulum accidẽdi duobus modis vsurpamus, altero pro eo quod frequentius fit, & à necessario deficit: cuiusmodi hæc sunt, hominem canescere, augeri, tabescere, &

(vt semel dicam) quicquid aptum est, vt insit. Id enim non habet perpetuam necessitatem, quia non semper est homo: hic tamen cùm est, aut necessario illud est, aut certè plurimum. Altero modo accidere id dicimus, quod incertum est & indefinitum, quódque ita, & secus euenire potest. Cuiusmodi hæc sunt, animans incedere, aut dum incedit, terram concuti, & (vt vno verbo dicã) quicquid sit forte fortuna. eorum enim omnium nihil in hãc partem natura magis est propensum, quàm in contrariam. Quocirca vtraque contingentis acceptio in contrarias propositiones reciprocatur, sed non eodem planè modo. Quin quod natura propensius est, conuertitur in non necessarium: eo modo dicimus, contingens est, hominem non canescere: quod autem indefinitum, & sũsque déque est, in id mutatur, quod in vtranque partẽ ex æquo vergit. Ac de his ita incertis, neque scientia constitui potest, nec ratiocinatio euidens, quia medium inconstans est. De his autem, quæ natura propensa sunt in partem alterã, potest quidem cõstitui: quin disciplinæ ferme omnes, ac inquisitiones de his fiunt, quæ ita accidunt: de illas autem vt ratiocinatio fieri possit, nõ solent tamen quæstiones instituì: sed de ea posterius explicabimus fusius, Iam verò dicamus quando, quáque via, ac cuiusmodi futura sit ex contingentibus propositionibus ratiocinatio. At verò cùm hæc dicendi forma accidit hoc illi inesse, duobus modis intelligi possit, tum de eo, cui insit, tum de eo, cui inesse possit: hæc enim loquendi ratio, de quocunque b contingit, & a dici, horum vtrunque designat, vel de quo dicitur b, aut de quo dici potest: hæc autem inter se nihil differunt, in quocunque b, & a quoque eidẽ accidere, & omni b inesse,

Universidad de Deusto
Biblioteca

posse a. Planum igitur duobus modis accipi posse illud, contingit a in omni b inesse. Initio igitur dicamus, quis sit futurus syllogismus, cùm b accidit ipsi c, a verò ipsi b: ita enim ambæ propositiones contingentes sumuntur: cùm autẽ a ei accidit, cui b inest, altera absoluta est propositio, altera contingens. Ducendum igitur nobis est initium ab iis, quæ similia sunt, ac eiusdem formæ, quod & aliàs fecimus. Quum a accidit omni b, b verò omni c, syllogismus erit perfectus, quo colligetur a accidere omni c: quod ex finitione perspicuum est: ita enim antea explicuimus, accidere omni. Haud secus, si a nulli b accidit, b autem omni c, a nulli c accidet. Diximus enim, cui b accidit, a non accidere, si sibi velle, vt ne vnum quidem omittatur ex iis, quibus b accidit. At verò quum a omni b accidit, b verò nulli c, ex proloquiis ita acceptis nulla nascitur ratiocinatio: quòd si effatum ex b c commutetur pro natura accidentis, is ipse erit syllogismus, qui paulò antè expositus est. Nam quia accidit, vt b nulli c insit, potest & inesse omni: id enim antea docuimus. Ita si b omni c accidit, a verò omni b, idem iterum oritur syllogismus. Hoc idem fit, si ambabus propositionibus contingentibus adiiciatur negatio: verbi causa, si a nulli b accidit, b verò nulli c. Vt enim ex pronunciatis ita sumptis nulla constituatur ratiocinatio, si tamen ea commutentur, eadem erit quæ superior. Ex quo perspicuum est, nullum planè fieri syllogismum: aut fieri quidem, sed imperfectum, vbi negatio, vel minori extremo adiiciatur, vel etiam ambabus propositionibus. Necessario enim ita demum colligitur complexio, si primum reciprocatio fiat. At vbi pronuncia-

tum alterum vniuersale fuerit, alterum in parte: si vniuersale maiori extremo coniungatur, perfectus erit syllogismus. Nam si a omni b accidit: b verò alicui c, a quoque alicui c accidit: quod facile intelligitur ex interpretatione eius quod omni accidit. Iam si a nulli b accidit: b verò cuidam c, necessario consequitur, vt a cuidam c possit non inesse: cuius rei probandæ eadem est, quæ superius, ratio. Quòd si particularis propositio negatiua sumatur, vniuersalis autem affirmatiua, & eundem retineant situm, vt a omni b accidit, b cuidam c accidit non inesse syllogismus ex propositionibus ita acceptis non habet vim apertam. Quòd si reciprocetur particularis, ac sumatur, b alicui c accidere, eadem quæ prius sequetur complexio, quemadmodum initio fecimus. Sin maior in parte fuerit, minor verò in toto, nullo pacto hinc fiet syllogismus, siue affirment ambæ, siue negent, siue qualitate euarient, si etiam ambæ indefinitæ sint, aut particulares. Nihil enim vetat, quominus b excedat ipsum, nec æqualiter dicatur. Sumatur igitur c pro eo, quo b excedit ipsum a, sanè huic nec omni, nec vlli, nec alicui, necnon alicui accidit ipsum a: etiam si reciprocentur contingentes propositiones, modò b pluribus accidat, quàm a. Quòd autem ita constitutis propositionibus primum postremo modò omni, modò nulli accidere sit necesse, extrema planè ostendunt. Sintque hæc extrema omnibus communia, in quibus necessario insit primum postremo, animans, candidum, homo: in quibus non inest, animans, candidum, vestimentum. Nullum autem fieri syllogismum constitutis ita extremis, hinc manifestum euadit, quia syllogismus omnis aut colligit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineſſe, aut neceſſario ineſſe, aut quid cuiquam accidere. Quòd autem is ſyllogiſmus, nec ineſſe colligat, nec neceſſario ineſſe, hinc intelligitur: affirmatiua enim cõcluſio tollitur negatiua: negatiua verò per affirmatiuam euertitur. Reſtat, vt primum poſtremo accidat: quod fieri non poteſt. Oſtendimus enim, ſi ita ſtatuantur extrema, primũ poſtremo omni ineſſe neceſſario in nonnullis, in aliis nulli ineſſe: idque neceſſario. Non igitur contingens fuerit concluſio: quippe quod neceſſarium eſt, id ab eo, quod accidit, diuerſum eſſe diximus. Conſtat igitur, vbi extrema vniuerſaliter accepta fuerint in contingentibus propoſitionibus, ſemper fieri ſyllogiſmum in prima figura, ſiue affirment, ſiue negent: præterquam quòd ſi affirment, perfectus eſt futurus: ſin negent, imperfectus. Contingens autem, & accidens id ſumendum eſt, quod à neceſſario diſtinguitur, quo modo diximus: non quod cum eo conuenit: id quod nonnunquam ægrius diſcernitur.

Coniunctio contingentis & abſoluti in prima figura. Cap. XI.

QVOD ſi altera propoſitio abſoluta ſit, altera verò contingens, cùm accidere ſignificabit ea, quæ maiori extremo cohærebit, perfecti erunt, qui hinc orientur ſyllogiſmi, & de contingentis, vt antea explicuimus. Quòd ſi minori extremo coniungatur, imperfecti erunt omnes ſyllogiſmi ac priuantes, nec ſecundum contingentis acceptionem antè expoſitam, ſed quòd aut nulli, aut non omni neceſſario inſit. Si enim nulli, aut non omni ex neceſſitate inſit, accidere dicimus, vt id nulli, aut non omni inſit. Fac igitur, vt a omni b accidat, b verò omni cinſit: tum quia c ſub b

Comprehenſum

comprehenſum eſt, a autem accidit omni b, perſpicuum eſt, illud idem ipſi c accidere, fitque perfectus ſyllogiſmus. Eodem modo ſuis numeris abſolutus fuerit ſyllogiſmus, quo colligetur accidere, vt a nulli cinſit, ſi priuans fuerit propoſitio a b, affirmatiua autem b c, ſitq; de contingenti ſumpta a b, pura verò b c. Conſtat igitur perfectos conſtitui ſyllogiſmos, vbi minor propoſitio abſoluta fuerit: quòd ſi oppoſito modo res habeat, ſyllogiſmi quoque erunt: quod ab abſurdo oſtendi debet. Vnde quoque perſpicuum fiet imperfectos eos fore: quippe qui ex propoſitionibus acceptis probari nequeãt. Eſt autem primum exponẽdum, ſi cùm a ſit, neceſſario b erit: ſi a eſſe poſſit, poſſe eſſe b, idq; neceſſario. Faciamus enim, dum res ita habeat, vt loco a, poſsibile collocetur: pro b, impoſsibile: tum poſsibile, dũ fieri poteſt, fiat: impoſsibile verò, quia fieri nequit, ne fiat. Iam cùm a poſsibile ſit, b impoſsibile, tum fieri poteſt, vt a ſiat ſine b: quod ſi fieri, eſſe quoque poteſt: quod enim factum eſt, vbi demum fuerit factum, tum eſt. Poſsibile autem, & impoſsibile non in faciendo modo accipienda ſunt, ſed & in vero, abſoluto, & quotcunque aliis modis in vniuerſum poſsibile accipitur: in omnibus enim eadem erit ratio. Præterea ſi a ſit, b quoque eſſe: non eſt ita accipiendum, neque protinus exiſtimandum, quaſi ex eo quod vnum quid, vt a ſit, b fore. Nihil enim quicquam ex vno tantùm neceſſario conſequitur: ſed ex duobus minimum. Idq; vbi proloquia ita fuerint in ratiocinationis formam expoſita, vt antea præceptum eſt. Nam ſi c dicitur de d, ipſum verò d de f, neceſſe eſt, vt c de f dicatur. Quod ſi propoſitiones ambæ poſsibiles ſint, cõcluſio quoque poſsibilis erit: quemadmodum igitur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

si a pro propositionibus accipitur, b verò vt complexio: hinc fiet, vbi a necessarium fuerit, b quoque necessarium esse: neque id modò, sed si illud possibile fuerit, hoc quoque possibile fore. Quare ita constituta constat, vbi falsum quidem positum fuerit, non tamen impossibile, id quod inde accidit, falsum quidem esse ex fictione: impossibile non item: verbi causa, si a falsum quidem sit, non tamen impossibile: cùm autem a est, b quoque consequitur, sanè b falsum erit, non item impossibile. Cùm enim monstratum sit, ex a consequi b, hoc autem possibile esse, si illud quoque possibile sit: fingimus autem a esse possibile, b igitur possibile erit: si enim impossibile esse dicas, accidet, vt idem possibile sit, & impossibile. His igitur rebus ita expositis, faciamus vt omne b sit a, & omne c possit esse b: hinc necesse est, vt omne c possit esse a: quod si lubet, fingamus non posse, & hoc nobis concedatur, vt omne c sit b, quod vt falsum sit, non est tamen impossibile: tum si omne c non potest esse a, cùm omne c sit b, non omne b potest esse a. Fit enim in figura tertia syllogismus. At verò antea positum erat fieri posse, vt omne b esset a: colligitur itaque necessario, vt omne c possit esse a. Cùm enim res falsa, non tamen impossibilis ex fictione posita fuisset, quod ex ea consequitur, impossibile est. Illud ipsum ductu ad incommodum in prima figura ostendere etiam licet, si concedamus, vt c sit b: nam si omne c est b, omne autem b potest esse a: c quoque omne potest esse a, cùm tamen positum sit non omne posse. Quod autem diximus omni inesse, non est accipiendum tempore quodam præfinito, quasi nunc sit, aut hoc vel illo tempore, sed omnino: ex eiusmodi enim propositionibus syllogismos constituimus. Quòd si propositio in ipso articulo & tempore præsenti accipiatur, nullo inde fiet syllogismus: nihil enim fortasse prohibuerit, omne quod moueatur, hominem esse aliquando, nempe si præter hominem nihil moueatur: omnis tamen equus potest moueri, at nullus equus potest esse homo. Præterea loco ipsius a, sumatur animal, sitque argumentum id quod mouetur, postremus autem limes sit homo: tum propositiones eodem modo se habent vt antea, complexio tamen necessaria est, non contingens: quippe necesse est hominem animal esse. Hinc planum est, vniuersale illud simpliciter accipiendum esse, non tempore præfinito. Rursus a b proloquium vniuersale capiatur, & priuans, vt nullum b sit a: omne autem c possit esse b, his ita constitutis efficitur, vt nullum c possit esse a: sin minus, faciamus vt c sit b, eo modo quo prius necessario efficitur, vt quoddam b sit a: constituitur enim in tertia figura syllogismus: hoc autem est absurdum. Contingit igitur, vt nullum c sit a: cùm enim res falsa ponatur, non tamen impossibilis, ex ea impossibile quid sequitur. Hic autem syllogismus non est de contingenti, vt definitum est, sed quod nulli necessario insit: hoc enim est contrarium fictionis iam constitutæ: est enim positum, vt quoddam c necessario sit a. Syllogismus autem ad incommodum de contraria & aduersa conficitur. Quod autem complexio contingens non sit, termini id planè indicant: accipiamus enim loco a coruum, pro b intelligens, loco c hominem: sanè nullum b est a: nulla enim res intelligens est coruus. At omne c potest esse b, quippe cùm omnis homo intelligere possit: at necessario nullum c est a: non est igitur complexio

Universidad de Deusto
Biblioteca

contingens: quin nec perpetuo necessaria. Constituamus enim vt a sit quod mouetur, b vero scientia, & c homo: tum nullum b est c, b autem omni c ineße potest, complexio inde consequens necessaria non erit: neque enim est necesse nullum hominem moueri, imo vero quempiam non est necesse. Hinc perspicuum est, complexionem sequi, vt nulli insit necessario. Sunt autem cõmodius sumenda extrema. Quod si assumptio negatiua sit, & contingens, ex his propositionibus ita acceptis nullus fit syllogismus: quòd si contingens retroeat, fiet syllogismus vt antea. Faciamus omne b sit a, fierique posse, vt nullum c sit b, dum extrema ita se habent, nihil efficitur necessario: quòd si permutetur b c, & accipiatur omne c posse esse b, eo modo fit syllogismus quo antea, quippe cùm eundem habeant situm extrema. Eadem est ratio, vbi priuantia fuerint ambo interualla: dum a, b significet non ineße, b c accidere nulli. Vt enim per propositiones acceptas non efficiatur necessaria argumentatio, si tamen permutetur contingens propositio, illico fiet syllogismus. Sit enim sumptum, nullum b esse a: item fieri posse, vt nullum c sit b: ex his nihil efficitur necessario. Quòd si sumas omne c posse esse b, vt res habet: propositio autem a b eadem seruetur, idem rursus efficietur syllogismus. Quòd si sumptum sit, omne c non esse b: non item non accidere, non ineße: nulla inde fiet quouis pacto ratiocinatio, siue a b propositio affirmet, siue neget. Sint autem omnium communia extrema, quibus ostendatur necessario ineße, album, animans, nix: extrema alia, quibus ostendatur non posse ineße, album, animans, pix. Constat, si extrema vniuersaliter sumantur, & altera propositio absoluta sit, altera cõtingens, dum minori extremo connexta fuerit propositio contingens, perpetuo fieri syllogismum: præterquam quòd nonnunquam ex ipsis propositionibus fiet, aliquando propositione vna commutata. Quando autem vtrunque horum fiat, & qua de causa, superius exposuimus. Quòd si altera vniuersalis intercapedo fuerit, altera in parte tantùm, syllogismus semper erit perfectus, dum maiori extremo vniuersalis contingens iungatur, siue affirmet, siue neget: particularis autem affirmatiua sit absoluta, non aliter ac cùm extrema vniuersaliter accipiantur. Huius rei probatio eadem est quæ superius. Vbi verò propositio maiori extremo iuncta in toto fuerit & absoluta, nec contingens: altera verò in parte ac contingens, siue negent ambæ, siue affirment: seu altera neget, aiat altera, syllogismus erit omnino imperfectus. Hoc interest, quòd alij ductu ad incommodum ostendentur, alij per reciprocationem contingentis, quemadmodum in superioribus fieri diximus. Adde quòd syllogismus erit ex permutatione, vbi propositio maiori extremo iuncta vniuersalis fuerit, quæ esse, vel non esse significet: altera verò particularis priuans & contingens: vt si omne b sit a, aut non sit, & fieri possit, vt quoddam c non sit b: si b c communiter secundum naturam contingentis, constituitur syllogismus: vbi verò particularis propositio significet non esse, nullus fiet syllogismus. Extrema ad docendum ineße, sint hæc, album, animans, nix: quibus autem docetur non ineße, album, animans, pix. Est enim probatio ostendenda ex indefinito. Quòd si vniuersalis sit propositio, quæ minori extremo cohæret, quæ autem ad maius extremum posita est, sit parti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cularis,aiens,negans,contingens, an absoluta, nihil refert. Quocunque enim modo habeat, nullo pacto syllogismus constituitur. Nihilo item magis syllogismus futurus est, cùm in parte, vel indefinitæ propositiones fuerint, siue contingentes fuerint, siue absolutæ, seu etiam ordine inuerso. Eadem est huiusce rei ostendendæ ratio quæ prius, & extrema communia ad ostendendum inesse necessario, animans,album,homo: at quibus ostenditur posse inesse, animans,album,vestis. Hinc perspicuum est,cum maiori extremo vniuersalis, propositio opposita fuerit, perpetuò firmam esse ratiocinationem: quod si minori extremo adiungatur,nihil vllo pacto inde colligi.

Coniunctio necessarij & contingentis. Cap. XII.

AT verò vbi proloquiorum alterum necessario esse, vel non esse significauerit,alterum autem accidere,modò extrema eodem pacto ac antea sè habeant,efficitur syllogismus, isque perfectus,cùm minori extremo necessarium iunctum fuerit.Complexio verò contingens erit,non absoluta,si ambæ propositiones affirmatiuæ sint, siue vniuersales sint ambæ,siue non sint. Quod si altera affirmet,altera neget,cùm affirmans necessaria fuerit,conclusio erit contingens,nec significabit,non inesse quid: sin necessaria sit ea, quæ negat, colligetur & accidere non inesse,item non inesse,seu in toto sint extrema,seu non sint.Est autem contingens in complexione & eo modo intelligendum,quo accipi superius diximus:neque autem colligetur necessario nõ inesse.Hæc enim maximè diuersa sunt,non necessario esse,& necessario non

esse. Sanè complexionem necessariam non effici, vbi extrema affirmantur, hinc perspicuum est. Faciamus enim,vt omne b necessario sit a,& omne c accidat esse b:syllogismus sanè imperfectus erit:quo colligetur,omne c accidere esse a. Hunc autem imperfectum esse,ex ipsa probatione constat: eodem enim modo ostendetur colligere,quo superiores.Rursum accidat, vt omne b sit a, sit verò omne c necessario b: hinc sanè colligetur, omne c posse esse a:esse verò,non item: atque hic perfectus est,& nulla ex parte imminutus:illicò enim absoluitur ex propositionibus ab initio sumptis. Quòd si variæ,ac dissimiles fuerint propositiones,fingamus negantem esse necessariam,vt nullum b sit a,nec esse possit, idque necessario,omne autem c possit esse b: necessario efficitur,vt nullum c sit a: cõcedamus enim vel omne c esse a, vel aliquod: consensum autem fuit, nullum b posse esse a. Quia igitur reciprocatur negatiua,& nullum a potest esse b,admittitur autem,omne c esse a,vel certè quoddam:nullum igitur c potest esse b,aut quoddam esse nequit:cùm ab initio omni c esse b concessum sit. Constat autem posse colligi accidere inesse,quandoquidem colligitur non esse. Rursum sit affirmatiua propositio necessaria, sitque contingens,vt nullum b sit a,omne autem c sit b necessario: syllogismus sanè perfectus erit,quo colligetur non esse,sed posse non esse: quippe ita accipitur maior propositio. Nec licet hinc in absurda deducere:si enim admittatur,nullum c esse a, est autem confessum fieri posse, vt nullum b sit a, nullum hinc efficitur incommodum. Quòd si negatio minori extremo iuncta sit, & significauerit accidere,syllogismus erit per reciprocationem, quemadmodum antea

Universidad de Deusto
Biblioteca

fieri dicimus. Quòd si significet non posse esse, nullus erit syllogismus: ne si ambæ quidem priuantes sint, minor autem non fuerit contingens. Sunt autem extrema eadem, in quibus alterum alteri insit, album, animãs, nix: in quibus non insit, album, animans, pix. Eodem pacto res habebit in particularibus syllogismis: cùm enim priuans necessarium fuerit, efficietur non esse, vt si nullum b possit esse a, quoddam c possit esse b, hinc necesse est consequi, quoddam c non esse a: nam si omne c sit a, nullum autem b potest esse a, sanè nullum quoque a potest esse b. Itaque si omne c est a, nullum c potest esse b. At modo concedebatur, quoddam c posse esse b. Quando vero affirmatiua particularis necessaria fuerit, ea, inquam, quæ in syllogismo priuãte, vt b c, vel etiam vniuersalis in affirmante syllogismo: verbi causa, a b: non colligetur aliquid esse: cuius rei eadem est probatio, quæ superioribus adhibita est. Quòd si vniuersalis minori extremo iuncta sit contingens, siue affirmet, siue neget, maior autem sit particularis & necessaria, nulla est ratiocinatio. Extrema in quibus alterum alteri insit necessario, animans, album, homo. in quibus inesse nequeat, animans, album, vestis. Vbi vero vniuersalis necessaria fuerit, particularis autem contingens, si vniuersalis priuatiua sit, extrema affirmantia, animans, album, coruus: negantia, animans, album, pix. Quod si vniuersale affirmet, extrema affirmandi hæc sint, animal, album, cygnus: negandi vero, animal, album, nix. Neque item syllogismus erit, vbi ambæ indefinitæ fuerint propositiones aut particulares. Extrema communia aiendi, animans, album, homo: negandi, animans, album, inanimum. Quoddam enim al-

bum animans est, quoddam etiam inanimum est albũ, & id necesse est esse, nec vnquam esse potest. In contingenti itidem fit: extrema igitur hæc ad omnes modos valẽt. Ex his, quæ exposuimus, perspicuum est, si extrema eodẽ modo collocata fuerint, in absolutis & necessariis fieri syllogismũ, & nõ fieri eodem modo in ambobus: præterquam quòd in absolutis, vbi priuans fuerit propositio, complexio erit contingens: in necessariis autem cõplexio tum contingens, tum absoluta erit. Id etiam intelligitur, omnes esse imperfectos syllogismos, eósque per figuras antè expositas perfici.

De ratiocinationibus ex ambobus pronunciatis contingentibus in secunda figura. Cap. XIII.

NVLLA erit in secunda figura ratiocinatio, cũ ambo ex contingenti fuerint, seu affirment, seu negent, seu in toto sint, seu in parte. Quòd si alterum esse, alterum accidere significet, sitque absolutum affirmans, ne tum quidem syllogismus erit: vbi autem negans fuerit vniuersale, syllogismus semper erit. Eadẽ erit ratio, vbi alterum fuerit necessarium, alterum contingens. Contingẽs autem in his intelligendum est, quod in complexionibus locum habet, vt & antea intelligebatur. Principio verò ostendendum est, contingens negatiuum non reciprocari, nempe si a nulli b inesse possit, non necessario reciprocatur, vt b nulli a accidat: sit enim hoc admissum, vt b nulli a inesse possit: iam cùm commeent affirmationes ex cõtingenti in negationes, aduersæ in aduersas, contrariæ in contrarias, b autem contingit inesse nulli a, constat & omni inesse posse: id quod sanè falsum est. Vt enim hoc illi omni accidat, non continuò

Universidad de Deusto
Biblioteca

necesse est, illud huic omni accidere: ita non commeat negatio. Iam quid vetat, quo minus a nulli b accidat, b vero alicui a non insit, idque necessario: verbi causa, fieri potest, vt omni homini album non insit, cùm omni inesse ponet. At falsum est, hominem accidere nulli albo, quandoquidem in multis nõ ineſt, idque necessario: necessarium autem à contingenti diuersum esse diximus. Quin ne ab absurdo quidem commeare probabitur, nempe si quis, quia mẽdacium sit nulli a accidere ipsum b, roget quasi verum sibi concedi, nonnulli accidere (hæc enim aiunt & negant) quod si verũ sit, ex eo effici putet, vt aliquod a necessario sit b, atque ita quoddam b esse a, quod fieri non possit: non enim si nulli a ipsum b non accidat, continuo quoddam a necessario est b: cum illud, nulli rei nõ accidere, duobus modis intelligatur: vno, si alicui necessario insit: altero, si alicui necessario non insit. Nam quemadmodũ id quod en aliquo necessario ineſt, falsò dixeris in toto posse reperiri, ita quod in aliquo a necessario non est, non verè asseuerabis in toto eo non posse esse. Quapropter si quis ex eo, quòd c in toto b non accidat, postulet sibi cõcedendi, in illo aliquo ipsum ex necessitate nõ esse, falsum profectò is sumat, quãdoquidem in toto fortasse reperitur. At in toto non accidere ideo dicimus, quia in nonnullis est necessaria. Quo fit, vt in aliquo ex necessitate esse, in aliquo item non esse, ambo illi aduersentur: in toto, inquam, posse esse, huic item in nullo accidere. Hinc igitur constat, ex eo accidenti & non accidenti, quod initio exposuimus, non modò sumi oportere in aliquo esse necessario: sed etiam in aliquo ex necessitate non esse: quòd si sumatur, nullum ex eo sequitur incommodum: ita nulli effi-

citur ratiocinatio. Ex iis quæ hucusque diximus, perspicuum est, negationem non reciprocari, quod cum abundè probatum sit, ponamus in nullo b accidere ipsum a, in illo autem toto ipsum c: sanè ratiocinatio nulla efficitur per reciprocationem, quandoquidem paulò antè docuimus, enunciationem huiusmodi retro non commeare. Nec itẽ ab absurdo effici possit: vt enim in toto c, accidere id concedatur, nihil inde falsum efficiatur, quippe cum in toto c, & in eo ipso nullo ipsum a esse possit. Hoc autẽ constat, si quæ futura sit conclusio, de contingenti eam perpetuo fore, eo quòd nullum sumptum sit pronunciatũ absolutum, eámque aut affirmantem, aut negantem: aut neutro modo fieri potest. Nam si affirmet, per extrema docebimus non posse ineſſe: sin neget, conclusio probabitur illa quidem necessaria esse, non item contingens. Quod vt intelligamus, ponamus pro a, album: loco ipsius b, hominem: in ipso c, equum: sanè ipsum a, quod pro albo intelligitur, in altero toto esse potest, in altero verò nullo: b verò in ipso c nec esse potest, nec item non esse: ex eo enim non posse esse constat, quod nullus equus homo est. At quòd ne non esse quidem possit, ex eo intelligitur, quòd necesse sit nullum equum hominem esse. necessarium autem à possibili diuersum esse diximus. Nulla igitur eo modo efficitur conclusio. Eadem erit probandi ratio, si priuatio diuersam habeat dispositionem: vbi item ambæ enunciationes affirment vel negent: quippe ex iis ipsis finibus res ipsa confirmabitur, item si altera in toto sit, altera in parte: aut ambæ in parte, aut indefinitæ, seu quo alio modo permutari illæ possunt: nam ad ea omnia demonstranda eadem adhibebũtur extrema.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hinc igitur hoc est manifestum, si ambo pronunciata de accidenti sumantur, nullam fore conclusionem.

De cõiunctione earũ enunciationum, quæ quid esse dicunt, & quid accidere, in secunda figura. Cap. XIIII.

QVOD si vnum, quid esse dicat, alterũ autem, quid accidere, hoc autem affirmet, illud verò neget, ne tum quidem syllogismus erit, seu in toto, seu in parte sumãtur extrema, cuius rei confirmãdæ eadem est quæ prius ratio, & per eos ipsos fines efficitur. At vbi affirmans accidere dixerit, negans verò ineſſe, tum stabit ratiocinatio. Quod vt intelligatur, ponamus a in nullo b esse, in toto verò c idem posse esse, commeante negatione, ipsum b in nullo a reperietur, a verò in toto c accidit, hinc sanè efficitur conclusio in prima figura, nulli c accidere b. quod idem fiet, si negatio ipsi c adiiciatur. Quòd si ambo pronunciata negent, vt alterum neget esse, alterum posse non esse dicat, ex enunciationibus ita propositis nihil ex necessitate efficitur. Quòd si ea, quæ est ex accidenti, reciprocetur, efficitur conclusio, vt nulli c accidat ipsum b, eodem atque antea modo: ita enim prima figura repetetur. Quod si ambo essent affirment, iacebit conclusio, Extrema consentanea sint hæc, valetudo, animans, homo: repugnantia, valetudo, equus, homo, Eodẽ modo res habet in syllogismis iis, qui sunt in parte: vbi enim affirmatio quiddã esse dixerit, seu in toto seu in parte, nulla tum erit complexio, id quod eadem via, atque ipsis finibus ostenditur, quibus antecedẽtes. At vbi priuans fuerit, ex reciprocatione efficietur, vt & antea. Rursus si intercapedines ambæ priuantes ita sumantur, vt in

toto sit, quæ non esse aliquid dicit, sanè ex pronunciatis ita digestis nihil efficitur necessario: efficietur autem complexio, si reciprocetur illud ex accidente. Quòd si priuans esse quippiam dicat, idq; in parte, conclusio nulla erit, seu affirmet, seu neget pronunciatum alterum: ne si ambo quidem indefinita sint affirmãtia, aut negantia, aut in parte. Cuius rei eadem est quæ prius confirmatio, ac per eos ipsos fines.

Dispositio necessarij & accidentis in secunda figura. Cap. XV.

AT vero vbi pronunciatorum alterum ex necessitate esse, alterum vero quidpiam accidere dixerit, si negatio necessaria sit, efficietur conclusio, non modo quod possit non esse, sed & quod nõ sit: quod si affirmatio ea sit, tacebit conclusio. Sit enim hoc concessum, nullum, inquam, b esse a ex necessitate, omne vero c, posse esse a, tum commutata negatione, ne vllum quidem a est b: omne autem c poterat esse a: atque ita rursum efficitur in prima figura cõplexio nullum c posse esse b. Hoc etiam constat, nullum c esse b: nam faciamus esse, tum si a nulli b accidit, b vero in aliquo c est, sanè a in aliquo c non accidit, cùm omni accidere antea sit concessum. Idem erit probationis modus, si negatio ipsi c adiiciatur. Rursus proponatur affirmatio necessaria, negatio verò accidẽs, vt a nulli b accidat, omni verò c necessario insit: in ea finium dispositione nulla efficitur conclusio, quandoquidem fieri potest, vt b in c ex necessitate non sit: vt si pro a statuas album, in b verò, hominem, in c, olorem: sanè album in olore necessario inest, in homine verò nullo accidit: homo tamen in nullo est olore, idque necessario. Vnde

Universidad de Deusto
Biblioteca

perſpicuum eſt cõplexionem contingentem non effici, cum neceſſariũ à contingẽte maximè ſit diuerſum. Quinetiam ne neceſſaria quidem complexio inde ſequitur, quandoquidem effici eam diximus, aut ex neceſſariis ambobus, aut ex priuante altero. Adde quòd, vt ea cõcedantur, poteſt tamen b in c reperiri. Quid enim vetat, c ſub b comprehendi, a verò ipſi b toti accidere, ipſi verò c ex neceſsitate ineſſe? verbi cauſa, ſi in c intelligatur vigilia, in b animans, loco verò ipſius a, motus: in vigilante enim motus eſt neceſſario, animanti autem toti accidit, cum tamen omne quod vigilat, ſit animans. Vnde conſtat, ne concluſionem quidẽ fore, quæ non eſſe dicat: quippe cũ in ea diſpoſitione neceſſe eſt quippiam eſſe, nec item contrarias enunciationes colligi: ita nulla planè efficitur concluſio. Eadem erit probationis via, ſi permutetur affirmatio. At vbi ſimiles & cognatæ propoſitiones fuerint, ſi ambæ negent, ſemper ſequitur complexio, reciprocante ea, quæ eſt de contingenti, eo quod diximus modo. Sit enim ſumptum a in b neceſſario non eſſe, in c verò poſſe non eſſe: tum ſi commutentur propoſitiones, & b in nullo a erit, a verò in toto c poterit eſſe, ſanè eo modo ſtruitur prima figura: hoc idem fiet, ſi ipſi c negatio adiiciatur. Quòd ſi affirmantes ambæ ſint, nulla eſt futura concluſio. Conſtat enim eam non fore, quæ quippiam non eſſe dicat, aut ex neceſsitate non eſſe, eo quòd priuans propoſitio nulla ſumpta ſit, quæ vel eſſe, vel neceſſario eſſe diceret: quin ne colligetur quidem poſſe non eſſe, cum b in c non inſit neceſſario, extremis ita collocatis: nempe ſi a intelligamus album, b cygnum, c verò hominẽ: nec item concluſio erit affirmationum, aut negationum contrariarum,

cum probatum ſit b in c neceſſario nõ eſſe. Nullo igitur pacto ſyllogiſmus efficietur. Eodẽ modo res habet in ſyllogiſmis, qui ſunt in parte: cum enim priuans in toto fuerit & neceſſaria, perpetuo efficietur concluſio: tum quæ accidere dicat, tum quæ non eſſe. Cuius rei confirmatio per reciprocationem facienda eſt. Vbi verò affirmatio ea fuerit, nulla planè ratiocinatio erit. Id enim eadem via, iiſdem item finibus monſtrabitur, quibus in vniuerſalibus modo vſi ſumus. Ne tum quidem erit, cum ambæ affirmantes ſumentur: eius enim rei eadem eſt, quæ antea confirmatio. Vbi verò ambæ quidem negent, in toto autem ſit, ac neceſſaria ea, quæ non eſſe ſignificat, ſanè ex iis quæ ſumpta ſunt nihil neceſſe eſt effici. Quòd ſi contingens illa propoſitio reciprocetur, ſtabit ratiocinatio eo modo, qua antea. Sin ambo proloquia indefinita proponantur, aut in parte, nulla erit ratiocinatio: Id quod eadem ratione, iiſdem item extremis confirmatur. Ex iis igitur, quæ expoſuimus, perſpicuũ eſt, vbi priuans vniuerſa fuerit & neceſſaria, concluſionem effici: non modò quòd poſsit quippiam nõ eſſe, imo verò quod non ſit: quod ſi affirmans ea ſit, nullam concluſionem ſequi. Hoc etiam conſtat, vbi in neceſſariis & abſolutis eadem ſeruetur finium diſpoſitio, eodem modo fieri, & non fieri ratiocinationem. Eſt & hoc manifeſtum, omnes eas ratiocinationes imperfectas quidem eſſe, perfici autem & abſolui in figuris iis, quas commemorauimus.

De ratiocinationibus, quæ ex ambobus contingentibus in tertia figura ſtruuntur. Cap. XVI.

AT vero in tertia figura efficietur concluſio, ſeu am-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bo pronunciata accidentia sint, seu alterum tantum. Sanè cùm ambo accidere significauerint, complexio quoque accidens erit. Idem fiet, si alterum accidere, alterum esse quid dixerit. Quòd si alterum necessarium fuerit, vbi affirmauerit illud quidem, complexio consequetur, neque necessaria, neque absoluta. At quum necessarium illud fuerit priuans, colligetur quidpiam non esse, vt in superioribus fieri diximus. Est autẽ in his contingens illud intelligendum eodem modo, quo in complexione. Sint igitur ambo contingentia primum, vt & a & b ipsi c omni accidãt. Iam cum affirmans in parte retro commeet, b autem omni c accidat, & c quoque cuidam b acciderit: Ita si omni c accidat, c verò alicui b, necesse est profectò, ipsum a alicui b accidere. Nam ita struitur prima figura. Quòd si à nulli c accidat, b verò in toto c inesse possit, necesse est, vt a in aliquo b possit non esse: quippe cum iterum fiat prima figura per reciprocationem. Quòd si ambo priuantia proponantur, ex rebus sanè concessis nihil efficietur necessario. Quòd si retro commeent pronunciata, efficietur conclusio, eo modo, quo antea. Si enim & a & b possint non esse in c, ex reciprocatione rursus fiet prima figura. Vbi verò finium alter in toto fuerit, alter in parte, vbi eadem fuerit eorum dispositio quae in absolutis, eodem quoque modo erit, vel non erit ratiocinatio. Faciamus enim, vt a omni c accidat, b verò alicui c, profectò si inuertatur ea propositio, quae est in parte, iterum efficietur prima figura. Nam si a in toto c inesse potest, c verò in aliquo b, a sanè in aliquo b inesse potest. Eadem est ratio, si ipsi c adiiciatur vniuersalis nota. Item vbi ac priuans fuerit, b c affirmans: ex inuersione enim rursus fiet prima

figura

figura. At vbi ambæ enunciationes negant, altera in toto, altera in parte, ex iis eo modo sumptis nulla efficietur complexio: quòd si reciprocentur illæ, efficietur sanè eo, quo antea, modo. Quod si ambæ indefinitæ sumãtur, aut in parte, nullus erit syllogismus: quippe cùm necesse sit, a in b & toto & nullo reperiri. Extrema consentanea sunt hæc, animans, homo, album. Dissidentia verò, equus, homo, album, in quibus ipsum album medium est.

Coniunctio accidentis & absoluti in tertia figura. Cap. XVII.

VBI autem effatum alterum quid esse dixerit, alterum quid accidere, colligetur quidpiam accidere, esse non item. Constabit autem ratiocinatio in eadem extremorum dispositione, qua prius. Faciamus enim primum, vt affirmẽt illa, vt a sit in toto c, b verò toti c accidit: retro commeante ipso b c, prima figura efficitur, colligeturque a in aliquo b posse inesse: hoc enim diximus, vbi in prima figura pronunciatum alterum significet quid accidere, complexionem effici accidentem. Hoc idem fiet, vbi ipsum b c dixerit esse, a c verò accidere: item vbi a c neget, b c affirmet, & vtrumuis esse significet, vtroque modo contingens erit complexio. Fit enim iterum prima figura, in qua si pronunciatum alterum sit contingens, conclusionem quoque contingentem fore docuimus. Quòd si minori extremo iungatur negatio contingens, vel ambo pronũciata negent, in positis pronunciatis nulla est ratiocinatio: erit autem, si hæc reciprocẽtur, quemadmodum fit in superioribus. Vbi verò pronunciatorum alterum in toto sit, alterũ in parte, affirmẽtque ambo, vel certè quod in toto est, neget: quod autem in parte af-

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmet, idem erit ratiocinationem modus: omnes enim per primam figuram perficiuntur. Vnde perspicuum est, collectum iri, non quidem esse, sed accidere. Si autem affirmet vniuersale proloquium, particulare verò neget, cõfirmatio ducetur ab absurdo, vt si b sit in toto c, a verò alicui possit non inesse, necessario efficitur, vt a in aliquo b possit non esse. Nam si a in toto b necessario reperiatur, est iam concessum ipsum b in toto c ineße: ita ipsum a in toto c necessario erit. Id enim antea probauimus. At pro certo habebatur, in aliquo posse non esse. Vbi verò ambæ indefinitæ, aut in parte sumuntur propositiones, nulla erit conclusio. Cuius rei eadem est, quæ in vniuersalibus fuit probatio, ac per eos ipsos fines.

Connexio necessarij ac contingentis in tertia figura. Cap. XVIII.

QVANDO verò pronunciatum alterum necessarium est, alterum contingens, & affirmant ambo, conclusio perpetuò contingens erit. Vbi autem alterum ait, alterum negat, si aiens sit necessarium, colligetur posse non esse: sin negans id fuerit, concludetur tum posse non esse, tum non esse, necessario non esse, nequaquam, vt nec in aliis figuris. Faciamus primum, vt ambo extrema affirment, vt a in toto c necessario insit, b verò in toto c esse possit: tum quia a in toto c necessario inest, c verò alicui b accidit, a quoque alicui b accidet, non inerit: eo enim modo in prima figura colligebatur. Eadem erit probandi via, si illud b c sit necessarium, a c contingens. Rursus alterum aiat, neget alterum, sitque aiens necessarium, vt a in nullo c esse possit, b verò in toto c necessario insit: iterum sanè fiet in prima figura.

Conclusio autem contingens erit, non absoluta, quippe cùm pronunciatum priuãs dicat accidere. Ex quo perspicuum est conclusionem fore contingentem: cùm enim eo modo digestæ essent propositiones in prima figura, sequebatur contingens complexio. Quòd si priuans sit necessaria, complexione colligetur, posse in aliquo non esse, item & non esse. Ponamus enim, a in c non esse ex necessitate, in eodem autem toto ipsum b posse esse, si affirmatio illa b c commutetur, fiet prima figura, in qua priuans propositio sit necessaria, ex qua dispositione diximus effici, vt a in quodam c possit non esse, & non sit. Necesse est igitur, a in aliquo b non esse. Cùm autem negatio minori extremo iuncta sit, eáque contingens, ratiocinatio erit, si pronunciatum illud permutetur, vt & antea fiebat: sin necessaria sit, nulla erit conclusio, quippe cùm alterum in altero toto sit necessario, in nullo item esse possit. Alterum in altero toto est, vt in his sumno, equo, homine dormiẽte. In nullo verò, vt in his, somno, equo, homine vigilãte. Eadem ratione si extremum alterum in toto medio sit, alterum in parte tantum, aiántque ambo, efficietur, alterum alteri accidere, illi inesse nõ item. colligetur item contingens conclusio, si negetur vnum, affirmetur alterum, & hoc sit necessarium: nam si quod negatur, necessarium sit, colligetur quidpiam non esse. Est enim eadem probandi ratio, seu in toto sint extrema, seu non sint, cũ in prima figura instaurẽtur syllogismi. In his igitur vt in illis, euenire est necesse. Quando verò negatio in toto minori extremo iuncta fuerit, eaq; cõtingens, ratiocinatio per reciprocationẽ efficietur: sin necessaria ea fuerit, nulla erit conclusio: id quod eadem via, iisdem item extremis confir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mabitur,ac in vniuersalibus. Hinc igitur planè intelligi potest,quando,quoque modo,in hac quoque figura futura sit ratiocinatio,quãdo accidere quid, quando item quidpiam esse colligetur. Manifestum est etiam omnes syllogismos imperfectos quidem esse, instaurari autem eos ac perfici in prima figura.

Quòd omnis ratiocinatio ad illas tres figuras referatur,extra quas nulla planè reperiatur. Cap. XIX.

EX iis quæ hucusque exposuimus,constat,qui in his figuris fiũt syllogismi,per eos vniuersales perfici,qui in prima figura struuntur,ad eósque referri: vbi verò ostenderimus ratiocinationem omnem in aliqua earum figurarum strui, perspicuum erit eandem esse omnium syllogismorum rationem. Necesse est igitur demonstrationem omnem ac ratiocinationem efficere, vt quidpiam sit, vel non sit: idque aut in toto aut in parte,& recta probatione,vel ex fictione. Huius autem fictæ probationis pars ea est, quæ sit ab absurdo. Primum igitur de ratiocinatione ea recta probante differamus,in qua si res semel est probata, in reliquis facile perspicietur, in ea,inquam,quæ est per incõmodum, & omnibus quæ sunt ex hypothesi. Si igitur colligendum sit, ipsum a in illo b esse, vel non esse, necesse est, vt aliquid de aliquo confessum sit præsumptum. Quòd si sumatur a de b dici,in argumentum sumetur quæstio proposita initio: si autem ipsum a de c dici sumatur, c verò de nullo alio, nec de alio aliud, nec de a quicquam aliud, nulla erit ratiocinatio, quippe cùm nihil efficiatur necessario ex eo, quòd vnum de vno sit sumptum: est igitur pronunciatum

alterum assumendum. Itaque si a in alio dici sumatur,aut aliud in ipso a,aut aliquid aliud in ipso c,nihil vetat ratiocinationem eo modo strui. Conclusio autem ex iis ita sumptis,nihil pertinebit ad ipsum b, ne si ipsum c in alio, hoc item in alio,rursus hoc aliud in alio, vt nunquã quicquã cum b coniũgatur,ne tum quidem colligetur ipsum b in a: cùm à nobis hoc antea dictum sit, nunquam quicquam de alio ratiocinatione collectum iri, nisi medium quoddam sumptum sit,quod ad vtrunque illorum recta quadam dicendi lege se habeat. Nam cùm omnis in vniuersum ratiocinatio ex propositionibus constet, profecto quæ ad quiddã certum pertinet,ex iis conficitur propositionibus, quæ ad illud affectæ sunt: & quæ hoc in illo cõcludit,ex iis struitur, quæ hoc cum illo coniungant: fieri autẽ nequit, vt pronunciatum quoddam sumatur ad cõcludendum ipsum b,cùm de eo nihil affirmetur aut negetur: nec item ad colligẽdum, a in b,si nihil ambobus commune sumatur,sed de vtroque seorsum propria nonnulla affirmentur aut negentur. Vbi igitur hoc de illo ratiocinatione est cõcludendum, medium quid in iis est sumendum,quod ea quæ dicuntur,copulet ac vinciat. Quando ergo quidpiam ambobus commune sumi oportet, id tribus modis fieri potest. Nam aut a de c, & c de b dicetur, aut c de ambobus,aut ambo de illo,hæ autem sunt figuræ à nobis expositæ: perspicuum est syllogismum omnem in aliqua ex iis figuris necessario strui. Eadẽ enim est ratio, vbi per plura media ipsi b,coniungetur a: in pluribus enim eadem quæ in paucioribus erit figura. Ex his igitur constat ratiocinationes omnes recta probantes per figuras expositas effici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd autem in iis, quæ sunt ex hypothesi, eodem modo res habeat, hinc intelligetur. Nam omnes, quæ per incommodum quidpiam efficiunt, falsum quid eõcludunt: propositum autem ex hypothesi probant, quandoquidẽ ex contrario posito aliquid eueniat, quod fieri nõ possit: verbi causa, concludimus dimetientem nullam cum latere rationem habere, ex eo quòd si aliquã habere posueris, sequetur, imparia paribus esse æqua: Sanè concluditur, numeros impares paribis esse æquos. Ad dimetiẽtem irrationabilem esse ex hypothesi monstratur: nempe quia ex illius contrario quidpiam falsum euenit. Illud enim est, quod dicimus concludere per impossibile, quidpiam ex hypothesi initio proposita concludere, quod fieri nequeat. Cùm igitur in ratiocinationibus iis, quæ ad incommodum deducunt, recta ostendatur ac concludatur quidpiam falsum, quæstio autẽ proposita probetur ex hypothesi: & paulò antè docuimus, quæ aliquid recta ostenderet, omnem per aliquam ex tribus illis figuris effici: manifestum est ratiocinationes ex incommodo per eas quoque fieri: nec eas modò, sed & quæ sunt ex hypothesi pari ratione omnes: transsumptum enim omnes quidem concludunt, propositum autem ex consensu ac conuentione probatur, aut ex alia aliqua hypothesi. Quod si ita est, necesse est demonstrationem ac ratiocinationem omnem per tres illas figuras, quas exposuimus, effici. Cùm autem hoc planè probatum sit, manifestum inde est, syllogismum omnem per primam figuram perfici, & quemlibet ad eos referri, qui in ea sunt vniuersales.

Iam verò in omni ratiocinatione necesse est extremum

alterum affirmari, vnum itẽ in toto sumi: quippe cùm sine illo toto nullus planè sit syllogismus: vel certè ad propositum non pertinebit, aut propositam initio quæstionem postulabit. Ponamus sanè, voluptatem ex musica esse honestam. Si quis igitur postulet, voluptatẽ esse honestam, absque eo quòd dicat omnem, ratiocinatio nulla erit: quòd si quandam honestam esse postulet, eámque aliam, hoc nihil ad rem propositam: sin eam ipsam roget, positã quæstionem sumit. Hoc autẽ clariùs cernetur in demõstrationibus mathematicis: verbi gratia, si probãdum sit, qui in æquicruro ad basin sunt anguli, inuicem esse æquos. Ducantur ad centrum lineæ a b: iã si pro certo sumat, angulum a c æquum esse angulo b d, nõ omnino id postulans de semicirculorum angulis. Rursus si assumat angulum c angulo d æquum esse, nec id in omni angulo sectionis sumat, tum si quærat, à totis æqualibus angulis, si æquales tollantur, qui restant æquales esse, propositum is postulabit, nisi sumat, si ab æqualibus æqualia auferantur, reliqua esse æqualia. Hinc igitur perspicuum est, in omni ratiocinatione quidpiam vniuersale esse oportere, conclusionémque vniuersalem ex ambobus finibus in toto probari: eam verò, quæ sit in parte, tum hoc, tum illo modo. Vbi igitur conclusio in toto est, fines quoque in toto sumi necesse est. Vbi verò hi in toto sumuntur, fieri potest, vt conclusio non sit in toto. Planum est autem, in omni ratiocinatione, aut pronunciata ambo complexioni similia esse necessario, vel certè alterum: non modò, in quam, qua aiat, aut neget, quin & qua necessarium sit, vel absolutum, vel accedens. Quod in aliis quoquo dicendi rationibus obseruandum

Universidad de Deusto
Biblioteca

est. Constat autem omnino, quando futura sit vel non sit ratiocinatio: quando item perfici possit, quando perfecta sit, & vbicunque ratiocinatio fuerit, fines eo modo necessario esse collocandos, quo antea exposuimus.

Hoc etiam constat, demonstrationem omnem ex tribus finibus modò, non pluribus strui. Nisi forte per diuersa argumenta complexio eadem colligatur: vt si e complexio per a b, & c d, aut per a b, & a c, & b c probetur. Quid enim causæ est, quominus eiusdem complexionis probandæ plura sint & diuersa argumenta? Vbi autem plura fuerint, plures quoque ratiocinationes erunt, non vna. Vel etiam vbi pronunciatum vtrunque a, inquam, & b syllogismo effectum fuerit, vt si a per d e, b verò per f g: vel alterum inductione, ratiocinatione alterum confirmetur. Eo quoque modo plures erunt ratiocinationes, cùm complexiones sint plures: nempe tum a, tum b, tum c. Quòd si vna ratiocinatio fiat, non plures, illo quidem modo licebit eandem conclusionem variis argumentis effici: ad c autem per a b, vt plura sint media, fieri nullo modo potest. Ponamus enim conclusionem e, quæ ex a, b, c, d colligatur: profectò necesse est, ex iis quædam ad alia rationem totius habere, alia verò partium. Id enim dudum ostendimus, vbi ratiocinatio sit, quædam extrema inter se ita affecta esse oportere: faciamus igitur, vt a ad b ita affectum sit, profectò ex iis complexio quædam sequitur, eáque aut e, aut c, aut d, aut quæpiam diuersa ab iis. Quòd si ipsum e inde concludatur, ex solis a b ratiocinatio constabit. Quòd si c d rationem inter se totius & partis habeant, quidpiam quoque ex his efficietur: nempe vel e, vel alterum ex illis a b, vel etiam

quidpiam diuersum. Quòd si sequatur ipsum e, vel a etiã, vel b, profectò plures fuerint ratiocinationes, aut eandem conclusionem per fines diuersos probari accidet eodem modo, atque antea fiebat. Si verò quidpiam ab iis diuersum sequatur, plures erunt ratiocinationes: eæque à se inuicem discretæ. Quòd si illud e ad d non sit ita affectum, vt ratiocinationem cõponere possint, frustrà sanè sumpta sint, nisi fortè aut ad inductionem, aut ad disceptationem occultandam, aut ob aliquã aliam causam huiuscemodi id fiat. Quòd si ex ipsis a b diuersa quædam sequatur conclusio, non ipsum e: ex c d verò, aut alterũ illorum, aut quidpiam ab illis diuersum, plures sanè ratiocinationes fiant, non tamen ad quæstionem propositam: quippe quum propositum esset ipsum e syllogismo cõcludere. Quòd si ex ipsis c d nulla conclusio efficiatur, frustrà sanè ea sumpta sint, nec conclusione colligetur initio proposita quæstio. Constat igitur omnem in vniuersum demõstrationem, omnem item ratiocinationem ex tribus tantum finibus strui.

Quod cum planè intelligatur, perspicuum quoque est, duobus tantum pronunciatis eam constare, non pluribus: quippe quum tres fines duo tantum pronunciata efficiant, nisi quidpiam extrinsecus accedat ad perficiendum ratiocinationem, vt initio à nobis dictum est: vnde luce clarius apparet, in qua ratiocinatione pronunciata ea non sunt paria, ex quibus principalis conclusio efficitur (oportet enim nonnullas ex complexionibus antecedẽtibus pro enunciatis accipi) eam inquam argumentationem, aut nihil collegisse, aut plura postulasse, quàm quæ ad quæstionem necessaria essent. Itaque si ratiocinationes in potioribus tantum

Universidad de Deusto
Biblioteca

pronunciatis cernantur, ex his paribus omnes struãtur, sinibus vero imparibus. Cùm hi pronunciata vno vincant: complexiones autem dimidia pars pronũciatorum erunt. At vbi probabitur conclusio per ratiocinationes antecedentes, vel per media plura non coniuncta, vt si a b per c & d probetur: numerus finium eodem modo vincet numerum pronunciatorũ: finis enim ille insertus aut extra collocabitur, aut medius inseretur. Quod vtrouis modo fiat, pauciora erunt interualla extremis: pronunciata autem æqualia sunt interuallis. Nec vero hæc perpetuo paria erunt, illi vero impares, sed vecibus permutatis, cum pronũciationes pares fuerint, fines erunt impares: vbi vero hi sint pares, pronunciationes erunt impares: quippe cum adiuncto extremo vno, simul accedat pronunciatum vnum, vndecunque extremum illud accedat. Quia igitur pares erant propositiones, fines vero impares, vbi sit ea accessio, necesse est id permutari: complexiones vero eundem locum, ac rationem non seruant ad fines & proloquia. Vbi enim extremum vnum accedit, adiicientur simul complexiones vna tantùm pauciores extremis antegressis. Finibus enim aliis sua cuique efficitur conclusio, vltimo tantum non fit. Vt si ipsis a, b, c adiiciatur ipsum d, continuo accedunt conclusiones duæ: altera quidem ipsi a, altera vero illi b. Quod idem fit & in aliis. Quod si finis ille medius inseratur, eadem erit ratio. Tantum enim ad vnum non concludet. Plures igitur erunt complexiones & extremis & pronunciatis.

Quando verò ex nostra disputatione intelligitur, quæ sunt ea, de quibus struũtur syllogismi, qualia itẽ i quaque

figura, quótque modis probari possint, facile quoque intelligere possimus, quænam quæstiones ad probandum difficiles sint, quæ item paratæ & faciles. Sunt enim eæ faciles ac expeditæ, quæ per plures figuras, modos item ac casus cõcluduntur: quæ verò in paucioribus probantur, & per casus non item multos, eæ magis sunt difficiles & perplexæ. Sane affirmatio vniuersalis per primam tantum figuram concluditur, idq; vno tantum modo. Negotio verò per primam & mediã, ac per illam vna tãtum ratione, per hanc verò duobus modis. Affirmatio autem, quæ est in parte in prima & postrema figura cõcluditur: ac in prima vno tantum modo, in postrema tribus. Negatio verò in parte in omnibus figuris probatur, præter quã quòd in prima vnico tãtum modo, in media verò duobus, in postrema tribus. Vnde plane liquet, vniuersalẽ affirmationem ægrè admodum astrui, euerti autem facile. Est autem omnino facilius multò, quæ in toto sunt quæstiones euertere, quàm quæ in parte. Nam seu in nullo, seu in aliquo non insit, euertũtur: quorum hoc in omnibus figuris efficitur: illud autem in duobus. Eadem est ratio priuantium. Nam seu in toto sit, seu in aliquo, tollitur quæstio proposita: id autem in duabus figuris fieri posse diximus. In iis autem, quæ in parte sunt quæstiones, vnico modo fit refutatio: nempe si aut in toto, aut in nullo rem esse probes. Ad confirmandum autem magis sunt expeditæ quæstiones in parte, quippe cum & in pluribus figuris, & per plures modos concludantur. Et vt semel finiam, neminem ignorare oportet, quæ sunt in toto quæstiones, per eas, quæ sunt in parte, has verò per illas vicissim refelli. In cõfirmatione autẽ vniuersales quæstiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

per particulares astrui minimè possunt: hæ verò per illas maximè. Illud etiam constat, refutandi negotium facilius esse multò, quàm confirmandi. Ex iis igitur, quæ exposuimus, perspicuum est, qua via struatur omnis ratiocinatio, quot extremis ac pronunciatis ea constet, quámque hæc rationem inter se habeant, quæ item quæstiones in quibus figuris concludantur, quæ item in pluribus, quæque in paucioribus probentur.

De copia pronunciatorum paranda, pars altera. Cap. XX.

IAM verò exponendum nobis est hoc loco, quo pacto ratiocinationem copia nobis suppetit ad quæstionẽ, quásq; via ac ratione initia in vnaquaque sumamus. Neq; enim satis est, syllogismorum struẽdi rationem nosse, nisi eorum componendorũ faculcatem habeamus. Rerum igitur quædam tales sunt, quæ in nullo alio verò & in teto dicantur, vt Cleon, & Callias, & quicquid singulare est, & sub sensum cadit. In iis verò aliæ dicũtur: eorũ enim vterque, & homo est, & animãs: aliæ verò de aliis quidem dicuntur, aliæ vero priores de his non item. Nonnullæ de aliis dicuntur, & de iis aliæ, vt homo de Callia dicitur, de homine animans. Constat igitur res quasdam esse, quæ de nullo alio suapte natura dicantur: quæ enim sub sensum cadunt, omnia fermè talia sunt, vt in nullo dicãtur, nisi fortuito: dicimus enim nonnunquam hoc album, esse Socratem, illud quod accedit, esse Calliam. Quod autẽ sursum versus procedendo aliquando sit status, alio loco iterum dicemus de confirmabimus, id hoc loco quasi concessum ponamus. In his igitur concludi non potest aliud dici, nisi fortè quorum-

dam opinione id fiat, quin ea ipsa in aliis dicẽtur. Nec item singularia in aliis, sed alia in illis dicuntur. Quæ autem in iis media sunt, vtrãque rationem admittere possunt. Nam & ipsa de aliis, & alia de ipsis dicẽtur: ac omnis fermè disputatio ac commẽtatio de iis potissimum instituitur: in iis autem omnibus propositiones hoc modo sumẽdæ sunt: principio proponendum est, de quo agitur, eius finitionem, ac omnes rei proprietates: tum rei consequẽtia, & antecedentia, ac repugnantia ea, quæ in re esse nullo modo possunt: nec enim ea sunt sumenda, in quibus res esse nequit, cum retro commeet negatio: in consequentibus distinctione est vtendum, quæ sint, quæ in rei essentia sint posita, quæ verò illius proprietates, quæ item vt accidentia dicantur, in iisque quænam opinione sint in re, quæ re vera. Nã quò maior fuerit eorum omniũ vis ac copia, eo expeditius propositum concludemus: quò autem veriora fuerint, melius rem demonstrabimus. Sunt autem ea deligenda, non quæ rem aliquam, sed quæ totum cõsequantur: verbi causa, nõ sunt sumenda quæ homini alicui, sed quæ omni sint consequentia. Constat enim ratiocinatio vniuersalibus pronunciatis: vbi autem sumitur indefinitũ effatum, ambiguum est vniuersale sit nécne: cum definitum est, facile intelligitur. Eodem modo sumenda sunt antecedentia ea, quæ omnino res ipsa consequatur, idque ob eam ipsam causam. Nec verò sumendum est, consequens totum sequi, nempe ad hominem omne animãs, aut ad musicam omnem scientiam: sed sequi tantùm, quemadmodum etiam proponimus illud ipsum. Illud enim præterquam quòd inutile est, fieri sanè nullo pacto potest: verbi causa, vt omnis homo, sit omne

Universidad de Deusto
Biblioteca

animans, aut iustitia omne bonum: antecedenti verò illi quidē iungi solet illud omne. Cum autem aliquo contineatur propositum, cuius consequentia sunt sumēda, tum non sunt ea diligenda, quæ totum sequantur, vel non sequantur, quippe cū in illis iam sumpta sint. Quæ enim animās consequuntur, ea quoque omnia hominem sequuntur: quæ verò in illo non insunt, ne in hoc quidem reperiuntur. At proprietates vniuscuiusque rei sumi debent: quippe cum quædam sunt speciei peculiares non communes generi: in formis enim diuersis necesse est quasdam proprietates reperiri. Nec verò illud vniuersale in iis requirendū est, quæ antecedunt id quod continetur, vt se habent ad animans hominis antecedentia. Nam si animans hominem consequitur, illa quoque consequatur necesse est. Hæc autem ad hominis ipsius delectum propriè pertinent: sumi quoque debent, quæ plurimum consequuntur vel antecedunt. Nā ad quæstiones eas, quæ plurimum eueniunt, ratiocinationes struuntur ex pronunciatis, aut omnibus, aut nōnullis, quæ plurimum ita sint: quippe cum cōplexio rei cuiusuis suorum initiorum similitudinem quandā referat. Nec verò ea diligenda sunt, quæ aliquid omnino cōsequantur, vt ex quibus ratiocinatio componi nequeat, cuius rei causa in progressu aperietur.

Ei igitur, qui aliquid de aliquo toto confirmare velit, in ea inspiciendum est, quæ illi subiiciūtur, quod sit astruēdum, de quibus illud dicatur. Item in consequentia omnia eius, de quo id dici debeat. Nam si in iis vnum & idem reperiatur, necesse est alterum in altero esse. Si verò sit propositum non in toto, sed in aliquo tantum esse, sumenda sunt

vtriusque antecedentia. Si enim in iis aliquid vnū sit, necesse est alterum in altero esse: quando verò concludendum erit, quippiam in alio nullo esse, tum ratio habenda est consequentium eius, in quo aliud esse probandum est: expendenda sunt & repugnantia, quæ inesse nequeunt ei, quod probandum est non inesse. Aut verò contrà, subiecti repugnantia, & attributi consequētia accipienda erunt: Nam si hæc quæcunque illa sint, eadem reperiantur, alterum in altero nullo esse poterit: ita enim fit ratiocinatio, modò in prima figura, modò in media. Quod si in aliquo aliud non esse concludendum sit, eius antecedentia accipienda sunt, cui inesse oporteat: & ea repugnantia, quæ ei inesse nequeant, eius quod in altero non esse probādum est. Nam si ex iis aliquid vnum & idem reperiatur, necesse est, vt alterum in altero aliquo non reperiatur: verū quæ à nobis dicuntur, singula hoc modo forsan magis erūt perspicua. Cōstituamus enim consequētia ipsius a in b, eius vero antecedentia in c, repugnantia vero, & quæ illi inesse nequeant, in d: rursum in f intelligantur ea, quæ ipsi e insunt: antecedentia vero, & quæ ipsum consequitur in g: ea autem quæ ipsi inesse nequeant, in h. Sanè si quoddam c cum aliquo f conueniat & idem sit, necesse est a in toto e esse: ipsum enim f in toto e inest, a vero in toto c: ita fit, vt a sit in toto e. Quod si c & g idem sint, necesse est a in aliquo e reperiri: quippe cum a consequatur c totum: e vero ipsum g quoque sequatur omnino. Quod si fortè f & d conueniant, in nullo e inerit a, idque per prosyllogismum. Cum enim negatio reciprocetur, & f & d idem sint, in nullo f erit a: e verò in toto f inest. Rursus si b & h concurrant, in nullo

Universidad de Deusto
Biblioteca

e ipſum a inerit: nam b in toto a ineſt, in e verò nullo: cum ipſum b cum h idem ſit, & h in nullo e ineſſe diximus. Si verò d & g in idem redeant, a in aliquo e non erit. Nam in ipſo g non erit a: quandoquidem ne in d quidem ineſt: g verò ſub e continetur, ita ipſum a in aliquo e non erit. Quòd ſi g & b eadem ſint, inuerſa erit concluſio. Nam g in toto a erit, quippe cum b ſit in toto a: e verò in toto b, cum idem ſit atque g: hinc non efficitur neceſſario, vt a ſit in toto e: at in aliquo eſſe eſt neceſſe, quia reciprocatur affirmatio in toto in eam, quæ ſit ex parte. Conſtat igitur in vtraque cuiuſuis quæſtionis parte, ea eſſe ſpectanda, quæ diximus, cum ex his ſtruantur ratiocinationes omnes. Ac in conſequentibus quidem, aut cuiuſuis rei antecedentibus inueſtigandis, priorum ac communiorum ratio eſt habenda potiſſimum: verbi cauſa, in ipſo e potius quærenda ſunt l f, quàm f tantum: in a etiam ſunt prius ſumenda l c, quàm c tantum. Nam ſi a in c f reperitur, tum in f, tum in e ineſt. Quòd ſi illa non ſequatur, fieri poteſt, vt ipſi f ſit conſequens. Eadem eſt ratio habenda in antecedentibus illius. Nam ſi communioribus ſit conſequens, a quoque ſequatur, quæ illis continẽtur: quòd ſi illa non ſequatur, hæc tamen ſequi poſſit. Apertum eſt autem ac perſpicuum in tribus extremis, ac pronũciatis duobus rationem illam eſſe poſitam, omnes item concluſiones in tribus figuris ſuperioribus effici: tum enim probamus ipſum a in toto e reperiri: cum c, & f eadẽ ſint, ex his autem medium efficitur: extrema autẽ ſumpta ſunt a e, ita ſit prima figura: illud autem in ipſo aliquo oſtenditur, cum c & g pro eodem ſumuntur, quo modo efficitur figura poſtrema:

ipſum enim g pro medio habetur, in nullo verò eſſe concluditur, cùm d & f eadem ſint: at tum & prima, & media figura efficitur: prima quidẽ, quia a in nullo f ineſt, quandoquidem retrocedit negatio: f autem in toto e ineſt. Media verò efficitur, quia d in nullo a reperitur: in e verò toto ineſt. Colligitur autẽ in aliquo non eſſe, cum d & g eadem ſint, quo modo poſtrema figura ſtruitur. Nam a in nullo g ineſt, e verò in eo toto eſt. Hinc igitur luce clarius apparet omnem ratiocinationem in figuris illis ſtrui, quas expoſuimus, nec in delectu ſumenda eſſe vtriuſque conſequentia, vt ex quibus nulla ſtruatur ratiocinatio: ex conſequẽtibus enim nulla planè fuit confirmatio: nec item quidpiam negare licet ex vtriuſque conſequentibus. Nam ad hoc efficiendum oportet aliquid in vno eſſe, in alio non item. Hoc autem per ſe eſt manifeſtum, alias omnes rationes, ac vias delectus habendi ad ſtruendum ſyllogiſmum, eſſe planè inutiles: nempe ſi conueniant vtriuſque conſequẽtia, aut antecedẽtia ipſius a, & repugnãtia, quæ ipſi e ineſſe nequeũt, vel quæ neutri ineſſe poſſunt: ex iis enim nulla eſt ratiocinatio. Nam ſi conſequentia eodem conueniant, vt b, & f, efficitur media figura ex ambobus pronunciatis affirmantibus: ſi verò eadem ſint antecedentia ipſius a, & quæ ineſſe non poſſunt, vt c, & h, fit prima figura ex poſteriore pronunciato priuante: quòd ſi eadem ſumãtur, quæ neutri ineſſe queant, vt d, & h, priuantia ſunt ambo pronũciata in prima aut media figura, quo modo nulla efficitur cõclu ſio. Quòd autẽ certa quædã eadem ſumi oporteat, non alia aut aduerſa ea, quæ hac arte cõtinentur, hinc erit apertum: primum, quòd cura ac cogitatio tota medij inueſtigandi

Universidad de Deusto
Biblioteca

causa suscipitur, medium autem vnum est sumendum, & idem non varium: deinde aduersa omnia ac repugnantia, quæ eidem inesse nequeãt, ex quibus fortè syllogismus strui possit, omnia ad superiores modos referentur, vt si b & f sint cõtraria, aut quæ in eodẽ esse non possint. Nam si hæc ita sumãtur, concludetur a in nullo e esse, quod ex iis sumptionibus non efficitur, sed ex ratione superiori: cùm enim b sit in toto a, & in nullo e, necesse est vt b cũ aliquo h conueniat: præterea si b & g in eodem esse non possunt, cõcluditur a in quodam e non esse: nam eo modo fiet media figura. Nã b in toto a inerit, & in nullo g: ita g cõueniet cum aliquo d: nihil enim refert, an b & g eidem repugnant, & inesse nequeant, an g cum quodam d sit idem. Nam in d compræhẽsa sunt omnia, quæ repugnant ipsi a: liquet itaq; ex obseruatione huiusmodi, nullam effici ratiocinationem. Quòd si b & f sint aduersa, profectò b cum aliquo h conuenit: atque ita ex iis efficitur conclusio. Profectò qui res eo modo obseruant, iis accidit, vt viam quãdam ac rationem aliam inuestigent ab ea, quæ necessaria sit: idque quia non intelligunt b & h eadem esse.

VT autem fit in ratiocinationibus iis, quæ institutum probant, eodem planè modo & in iis, quæ ad incommodum ducunt. Sunt enim hæ ex consequentibus & antecedentibus amborum, eadémque in ambabus adhibenda est obseruatio. Nam quod probando concluditur, ab absurdo quoque colligi potest, idq; per eos ipsos fines. Quod item ab absurdo colligitur, id etiã probatione colligitur: verbi causa, nullum e esse a, ita probatur: faciamus quoddam e esse a, tum quia omne a est b, quoddã item e est a: sanè aliquod

e esse b necesse est: at confessum erat nullum planè esse. Rursus ita colligetur in aliquo esse: nam si a est in nullo e, e verò in toto g, ipsum a in nullo g reperietur, cùm antea in eo toto fuerit. Hoc idem fit in aliis quæstionum generibus: semper enim & in quouis cõcluditur propositum ab incommodo per vtriusque antecedentia & consequentia. In quauis etiam quæstione eadem est sequenda ratio, seu propositum concludere velis, seu aduersarium ad incommodum deducere: quippe cùm ex iisdem sint extremis ambo modi concludendi: vt si cõclusum sit in nullo e esse a, colligetur ipsum b in aliquo e inesse, quod fieri nequit. Si sumatur ipsum b, in e quidẽ nullo, in a verò toto inesse, perspicuum est ipsum a in nullo e fore. Rursus si rectà conclusum sit, ipsum a in nullo e inesse, hoc ipsum ex incommodo monstrabitur, si faciamus in aliquo esse. Quod eodem modo fit in aliis quæstionibus: in quauis enim extremum quoddam commune sumẽdum est aliud ab iis, quæ subiecta sunt, in quo falsum colligetur: atque ita inuerso eo pronunciato, altero autem eodem manente, per ea ipsa extrema efficietur ratiocinatio probans. Hæc enim ab ea differt, quæ est ad incommodum, quòd in hac pronunciatum alterum falsum accipitur, in illa ambo re vera ponũtur. Hæc autem in progressu magis explicabuntur, vbi de incommodo disseremus. id tãtum in præsentia perspicuũ erit, ad illa præcepta aduertẽdum esse, seu rectà cõcludere velis, seu ad incommodum deducere. In aliis quoq; ratiocinationibus, quæ sunt ex hypothesi, cuiusmodi sunt, quæ ex trãssumpto fiũt, & quæ ex qualitate ducũtur, ad ea quoque aduerendũ est, quæ subiecta sunt non in quæstione proposita, sed in translatitia. Est autẽ eadem

Universidad de Deusto
Biblioteca

planè animaduersionis ratio: intelligendum verò nobis est, ac diuisione explicandum, quot sint modi ratiocinationum ex hypothesi. Hac igitur ratione vnaquæque quæstio concluditur: nonnulla tamen alia quoque via cõcludi possunt, vt vniuersales ex particularium inspectione, idque per hypothesim. Nam si e & g eadem sint, & sumatur ipsum e in solo g reperiri: ipsum a in toto e reperietur. Quòd si rursus d & g eadem sint, e verò in g solo dicatur, concludetur a in nullo e inesse. Constat itaque eam esse animaduersionem adhibendam. Eadem est in necessariis & contingentibus ratio: est enim in iis eadem obseruatio: & in contingenti ratiocinatio erit per eadem extrema, ac eodem ordine posita, atque in absolutis. Contingentis autem nomine ea quoque intelligenda sunt, quæ cùm non sint, esse tamen possunt: ostendimus enim contingens per ea quoque concludi. Eadem quoque est ratio in aliis dicendi modis.

EX iis, quæ adhuc exposuimus, id cõstat, non modò hac via ratiocinationes omnes strui posse, sed & alia nullo pacto posse. Cùm enim antea probatum sit, ratiocinationes omnes in figuris antea expositis strui, illæ verò ex aliis ac cõsequentibus & antecedentibus rei cuiusuis componi nequeunt, quippe cùm ex iis pronunciata fiunt, & medium sumatur, profecto nulla ratiocinatio ex aliis potest effici. Omnium igitur quæstionum concludẽdarum, tum quæ in Philosophia sunt, tũ quæ in quauis arte ac disciplina tractantur, vna est & eadem via & ratio: in re enim quauis cogẽda sunt simul, quæ in ea insunt, & in quibus ipsa inest, earúmque maximam copiam parare, atque ita illa in tribus extremis contẽplari, si euertas, hoc modo: sin confirmes,

illo: idque si ad veritatẽ agas, in veris pronũciatis, & quæ re ipsa ita sint: sin de dialectica ratiocinatione cogites, in probabilibus & verisimilibus. Ac ratiocinationum initia in totum exposuimus, tum quomodo inter se affecta esse debeant, tum quæ sit eorum conquirẽdorum ratio, ne præcepta omnia, quæ exposuimus, in singulis inspiciamus, néve in confirmãdo & refutãdo eadem sequamur: in toto item ac in parte astruendis, aut in iis euertendis: sed pauca quædam, ac certa nobis sint ad obseruandum proposita. In singulis autem rebus sic sunt deligẽda principia, vt aut ipsius rei quæ proposita sit, principia quæras, vt boni aut scientiæ principia. Sunt autem propria cuique arti permulta: vnde & initia illa in quaque re afferre, hominis est in ea maxime versati & periti: verbi causa, ex peritia, quæ in rebus est astrologicis, astrologiæ petita sunt principia: quippe vbi astrorum ratio longa obseruatione comperta est, tum inuentæ sunt, & institutæ de astrologia demonstrationes: id quod in cæteris tum artibus, tum scientiis eodem modo habet, quæcunque sunt illæ tandem. Vbi igitur inuenta fuerint, quæ in vnaquaque re insunt, nostrum tum erit, demonstrationes continuo ex iis edere. Nam si in inuestigãda rei natura nihil sit prætermissum, quod illi reuera & planè insit, licebit sanè rerum omnium, quæ ostẽdi possint, demonstrationem instituere & adferre. Explicare etiam facile erit, si quid ita sit natura comparatum, vt demonstrari nequeat. Quo igitur pacto pronunciata deligenda sint ad opus, in totũ fermè exposuimus, de qua ratione diligentius ac subtilius in commentario de arte dialectica disseruimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huius autẽ viæ ac rationis particulam quandam esse eam, quæ per genera fit, diuisionem, facile intelligi potest, cùm diuisio sit, quasi imbecilla quædam ratiocinatio: postulat enim id quod probare oportuit: semper autẽ quidpiam superius concludit: id quod ignorarunt, quicunque ea sunt vsi, atque inde rei naturam probare conati sunt: quasi verò natura rei ac essentia demonstratione concludi possit: ita nec intellexerunt, quid diuisione concludi possit, nec hoc item eo, quo diximus, modo concludi potuisse. Ac cum demonstratione concludendũ est, quidpiam esse, medium id, quo struẽda est ratiocinatio, semper sumi oportet minus ac angustius priori extremo, non de eo toto dici. At contrà fert diuisio: sumit enim vniuersum medium. Nam ponamus pro a, animans, pro b, mortale, in c verò immortale, homo verò, cuius definitio sumi debet, loco ipsius d locetur: sanè sumit, qui diuidit, omne animans mortale esse, aut immortale, perinde ac si dicas omne a aut esse b, aut c: tum ponit hominem esse animans: sumit igitur, ipsum a in d inesse: concluditur itaque omne d, aut esse b, aut c, atque ita hominem necessario mortalem esse, vel immortalem. At animans esse mortale solum, non efficitur necessario, sed postulatur, cùm tamen concludendum id fuisset. Rursus si quis constituat, a esse animans mortale, b verò pedestre, loco ipsius c, expes, in d verò hominem intelligat: eodem pacto sumit a, aut in b esse, aut in e: nã omne animal mortale, aut pedestre est, aut expes: atitem in d esse: sumpsit enim hominem animal esse mortale: ita necessario efficitur, vt homo sit animal pedestre, vel expes: non autem vt sit pedestre: sed hoc sumit, cùm id rursus illa argumentatione concludendum esset. Ita in omni diuisione hoc modo accidit, medium vniuersale sumi. Extrema verò, id de quo sit concludendum, & differentia: demum nihil planè afferunt, quo efficiãt necessario ac doceant, quidnam homo sit, vel aliud quiduis, de quo agatur. Hæc enim illis vna ratio est pro omnibus, nec interim quæ huius probationis vis esse possit, suspicãtur. Perspicuum est autem, nihil hac via nec in accidentibus, aut proprietatibus, aut genere euertì posse, aut concludi. Denique in quibus omnibus quæstio est, itáne an secus res habeat: cuiusmodi hoc est, sitne dimetiens rationalis, an irrationalis. Nã si sumat qui diuidit, lineã omnem rationalem esse, aut irrationalem, ac dimetientem esse lineam, inde efficitur dimetientem rationalem esse, aut irrationalem. Quòd si sumat, eam esse irrationalem, idipsum ponit, quod concludi oportuit, atque ita propositũ probari nequit: cùm enim hæc sit diuisionis ratio, & per eam probari nõ possit, aut rationale, aut irrationale (sit loco a, linea: in b verò, rationale aut irrationale, in c dimetiens) constat non ad omnem modò disputationem, non conferre illã inuestigandi rationem, sed ne ad eam quidem, cui maxime accommodata videretur. Est igitur ex iis, quæ adhuc exposuimus, dilucidum, quibus ex rebus, quáque ratione ac modo demonstrationes componantur, quæ item sint in quouis genere quæstionis obseruanda.

De ratiocinationum resolutione, pars tertia. Cap. XXI.

DICENDVM autem deinceps fuerit, quomodo ratiocinationes referamus ad figuras eas, quas antea exposuimus. Nã hoc vnũ ex proposita disputatione restat: tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

demum enim ad finem perductum erit propositũ, cùm & syllogismorum structuram intellexerimus, & eorum inueniendi facultatem habuerimus, & structos iam & cõpositos in figura superiores resoluendi. In quo hoc etiam consequemur, vt ex iis quæ postea explicabuntur, confirmentur quæ antea exposuimus, eorúmque clarior sit & apertior veritas: quippe cum vera omnia necessario cõsentiant. At principio enitendum est, vt duo pronũciata ratiocinatonis secernas, quandoquidem facilior est diuisio illa, quæ in maiores partes sit, quàm quæ in minutiores, tota autem suis partibus sunt maiora. Tum animaduertendũ, vtrum in toto sit, vtrum in parte. Quòd si ambo sumpta non sint, & expressa, alterum sumendũ est, & supponẽdum. Nam & qui scribunt, & qui disserunt, vbi pronũciatum vniuersale proposuerint, quod est in eo comprehẽsum, omittũt, aut hæc quidem ponunt, ea autem prætermittunt, ex quibus hæc concluduntur, quippe quæ frustrà postularentur. Est autẽ diligenter hoc obseruãdum, sitne sumptum quidpiam superuacaneum, an prætermissum quicquam, quod necessarium esset: ac hoc adiungendum est, illud abiciendum, quousque ad duo tãdem pronunciata peruentum sit: nisi enim hæc ita fiant, resolui ac reduci non possunt ratiocinationes rogatæ. Ac in nonnullis statim perspici potest, si quid desit: in aliis res est obscurior: ratiocinari enim videntur, quia ex pronunciatis semel positis ac cõcessis quidpiam efficitur necessario: verbi causa, si sumptum sit, nisi essentia aliqua tollatur, essentiam nõ tolli: quòd si partes tollantur, illud quoque perire, quod illis constat. Nam si semel ea sint posita, necessario inde efficitur partem essentiæ, essentiam

esse: ex pronunciatis tamen assumptis id non est ratiocinatione conclusum: imò pronũciata desunt, quibus id efficiatur. Rursum, si vbi homo sit, necesse est animans esse: quando verò animans sit, essentiam esse, necessario quidem efficitur, si homo sit, essentiam quoque esse: necdum tamen ratiocinatione id effectum est, quippe cum non eo modo collocata sint pronunciata, quo præcepimus. In his autem ideo decipimur, quia quemadmodum syllogismus argumentatio est necessaria, ita hic ex pronunciatis concessis efficitur aliquid necessario: at argumentatio necessaria in pluribus dicitur, quàm syllogismus, quippe cũ ratiocinatio omnis necessaria est, non quicquid necessario concludit, ratiocinatio est. Itaque non si quid ex pronunciatis propositis necessario efficitur, continuo est enitẽdum, vt ad suam figuram referatur ea argumentatio, sed sumenda sunt primùm duo pronunciata, atque ita in sua extrema dissoluenda, ac pro medio id habendũ, quod in vtroque pronunciato sumitur. Nam in quauis figura medium in vtroque pronũciato reperiri est necesse: vbi igitur de alio dicatur medium, & aliud de eo, aut de alio illud quidẽ enuncietur, de eo autem negetur aliud, tum prima erit figura: si de alio illud dicatur, & negetur de alio, media erit figura: sin de illo alia dicantur, seu vnum negetur, affirmetur alterum, postrema erit: ita enim medium disponi docuimus in singulis figuris. Eadem autem erit ratio, etiam si pronunciata vniuersa nõ sint. Est enim tum eadem medij collocandi ratio. Hinc igitur perspicuum est, argumentationem eam syllogismũ non esse, in qua res eadem sæpius dicta non sit: neque enim in ea medium aliquod sumptum est. At verò quando iam intel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligimus quænam quæstio in quaque figura concludatur, in qua vniuersalis colligatur, qua itē particularis, constat non esse omnium figurarum rationem semper habendam, sed eius, quæ cuique quæstioni accommodata erit: in iis autem quæstionibus, quæ per multas figuras cōcluduntur, ex medij collocatione figuram deprehendemus. At enim ferè fit, vt in syllogismis decipiamur ob concludendi necessitatem, id quod paulò antè diximus, nonnunquam ex similitudine extremorum collocandorum, id quod profectò ignorare non debemus: verbi causa, si a dicatur in b, & hoc in c, videri posit cōstitui ratiocinatio extremis ita collocatis, cum tamen nulla sit argumentatio necessaria, nedum syllogismus. Nam agnoscemus in a perpetuum, in b verò Aristomenem intelligibilem: in c, Aristomenem: sanè a in b reuera inest: nam Aristomenes intelligibilis est perpetuus: b item in ipso est, nam Aristomenes, intelligibilis est Aristomenes, a verò non est in c, cum Aristomenes sit caducus & mortalis: ex ea igitur extremorum dispositione syllogismus non efficiebatur, sed pronunciatum a b in toto sumi oportuit: at falsum est, si quis postulet, omnem intelligibilem Aristomenem esse perpetuum, cum Aristomenes sit mortalis. Rursus loco ipsius c, Miccalus: pro b verò, Miccalus musicus: vbi est ipsum a, ponatur ipsum perire cras, sanè b, de c verè affirmatur, nā Miccalus est Miccalus musicus: a itē in b verè dicatur, nam crastino die perierit musicus Miccalus: cū tamē falsum sit a in c esse, id quod superiori exēplo est simile: mendaciū est enim, si dicas, omnem Miccalum musicū cras periturū: id quod si prætermittatur, nihil planè cōcludetur: ac is error ob rem exiguā admittitur: nā quasi nihil referat

hoc in illo dicere, aut hoc in illo toto esse, ita id concedimus.

Sæpenumero etiā errare ac falli ex eo solemus, quòd fines ij non rectè explicantur, qui in pronūciatis adhibētur: verbi causa, si a sit sanitas, morbus verò loco ipsius b, in c verò sit homo: sanè verè dixeris, nullū b posse esse a, quippe cum nullus morbus posit esse sanitas: b itē in toto c esse: nā homo quiuis morbo est obnoxius: hinc profectò cōsequi videatur, vt in nullo homine morbus esse posit: quod ideo fit, quia fines non sunt aptè digesti in voce. Neq; enim ratiocinatio efficietur, si pro habitu sumas res eas, quæ ab habitu appellationem habēt, vt si pro sanitate, sanū collocetur, pro morbo ægrū: neque enim verè dixeris, qui ægrotat, eum valere non posse: quòd si non sumas, nihil concludas, nisi fortè quidpiā accidere, id quod fieri sanè potest: accidit enim, vt in nullo homine sit sanitas. In media etiā figura falsa cōclusio eadē ratione colligitur. Accidit enim in nullo morbo sanitatē esse, in quouis autē homine esse, atq; ita in nullo homine morbum reperiri. At in tertia figura falsa conclusio efficietur ex ipso contingente. Fieri enim potest, vt in re eadem tota sit sanitas, ac morbus: scientia item ac ignoratio, contraria item quæuis: cum tamen in se mutuo inesse nō posint. Id autem cum iis, quæ suprà dicta sunt, minimè consentit: nā quandocunque plura in eodē esse possunt, illa quoque in se mutuo esse poterant. Constat igitur deceptionē in iis, ex finium collocatione oriri. Nā si res affectas, & quæ ab habitu appellationē habent, commutes, nihil concluditur falsum. Liquet igitur in pronūciatis huiuscemodi rem affectam commutandā esse in affectionē, ac pro extremo esse collocādam.

Nec verò in omnibus conandum est, vt extrema vna

Universidad de Deusto
Biblioteca

dictione explicentur: quippe cum in multis ipsæ orationes sint, in quibus nomen vnũ positum non est: vnde paulò difficilius est ratiocinationes huiuscemodi in suas figuras referre. At in nonnullis ob eam inuestigationem, falli ac errare accidet: verbi causa, immediatorum videbitur esse conclusio. Faciamus enim, vt in a sint duo recti, in b triangulus, in c verò æquicrurus: sanè a est in c per b medium: in b verò per aliud medium non item: quippe cum triangulus duos rectos suapte natura habeat, & per se: ita ipsius a b nullum erit medium, cum tamen demonstrari possit. Perspicuum est igitur medium non esse in omnibus sumẽdum, quasi quidpiam vnum, sed vt orationem nonnunquam. Id quod in exemplo proposito accidit. Cum autem primum in medio, & hoc in postremo dicitur, non est ita accipiendum, quasi extrema de se mutuo eadẽ ratione dicantur, aut primum de medio, eo modo, quo medium de vltimo: sed quot modis quidpiam esse dicitur, & verè enunciatur: totidem sanè modis arbitrandũ est, intelligi aliquid in alio esse: verbi causa, aduersorum scientia est vna. Ponamus enim, in a vnam esse scientiam, in b verò inuicem aduersa: sanè a in ipso b inest, non quasi aduersa sint vna scientia, sed idcirco, quia verè in his dicitur, vnam esse eorum scientiam. Accidit autem nonnunquam primũ in medio dici, mediũ in tertio non item. Verbi causa, si sapientia est scientia, est autem sapientia rerum bonarum, concluditur rerum bonarum esse scientiam: hic nõ assumptum est, in recto scientia est bonum: at propositio in recto fuit, sapientia est scientia. In nõnullis medium in tertio quidem dicitur, primum in medio minimè: exempli gratia, omnium qualitatũ vel

etiam aduersorum est scientia, bonum autem & aduersum est & qualitas: atque inde efficitur, quòd boni est scientia, non quòd bonum scientia sit. Neque hic propositio in recto fuit, quòd scientia esset, aut qualitas, aut contrarium: at assumptio in recto fuit, quòd bonum hæc ipsa esset. Aliquando nec primum in medio dicitur, nec medium in tertio: vbi primum in tertio aliquando quidem dicitur, aliquãdo non dicitur. Vt quia quarum rerum scientia est, earum est genus aliquod: at boni est scientia: concluditur inde boni esse genus aliquod: nihil autem de alio dicitur in recto. Si verò illud est genus, cuius habetur scientia, boni autem scientia quædam est, concluditur bonum esse genus: profectò primum in postremo dicitur, de se mutuo non item. Quod eodem modo in negatione est intelligendum, cum enim hoc in illo non esse dicimus, non semper intelligimus, hoc non esse illud: sed nonnunquam hoc non esse illius, aut illi: vt mutationis non est mutatio, nec generationis generatio est: at voluptatis est generatio, non est igitur ipsa voluptas generatio. Rursus ipsius risus aliquod est signum: signi autem non est aliud signum, risus igitur non est signũ: hoc idem fit in cæteris aliis, in quibus euertitur quæstio, ex eo quòd genus ad rem quodam modo referatur. Rursus quòd occasio non sit tempus opportunum, ita cõcluditur. Nam deo sua est occasio: at nullum illi tempus est opportunum, quippe cùm deo nihil vtilitatem afferre possit: extrema enim collocanda sunt, occasio, tempus opportunum, deus: pronunciatum autem in casu nominis sumi debet. Hoc enim omnino ac in omnibus præcipimus, quòd fines & extrema in recta appellatione accipi debent, vt homo, bonum, contra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ria:non autem hominis boni,contrariorum. Pronunciata autem accipi debent ex variis singulorũ casibus,nempe aut huic,quemadmodum æquale: aut huius, vt duplum: aut hunc,vt pulsans,videns:aut hic,vt homo est animans: aut siquo alio modo nomen in pronunciato inflecti potest. Illud autem esse quippiam in alio,ac de eo verè dici,tot modis intelligi oportet, quot sunt genera summa: eáque aut certo quodam modo,aut omnino,simplicia item, aut coniuncta, quod in negatione eodem modo accidit. Sunt autem ea obseruanda,ac quàm optimè fieri possit,distinguenda.

ID autem quod in pronũciatis iteratur,extremo priori coniungendum est, non medio: quod dico tale est,si concludatur iustitiæ esse scietiam,quòd bona sit,illud bonum, quà bonum, extremo iungendum est. Constituamus enim in a scientiam,quod bonum,in b verò,illud quod bonum, in c,iustitia:sanè a d b verè dixeris:nam boni quòd sit bonum,scientia est,& b quoque in c verè dicitur:est enim iustitia id quod bonum. Ad hunc igitur modum resolutio efficitur. Quòd si ipsi b coniungatur illud,quod bonum,iam non erit verum: nam a de b verè dicetur, b de c non item: nam si in iustitia dicas,eam bonam esse,quà bonum: id & falsum est,& intelligi nequit. Eadem erit ratio,si salubre ostendatur esse cognobile quà bonum,aut hirco ceruus quà non est, aut homo caducus quà sensibilis: est enim in omnibus iis, quæ adprædicantur, extremo apponenda geminatio. Nec verò eadem est extremorum dispositio, vbi quid omnino concludatur,& quãdo hoc vel illud,vel quodamtenus,vel alio quodam modo: verbi gratia,cum bonũ probabitur esse cognobile, & cum quid concludetur cognobile,quà bonum. Quin si cognobile omnino concludatur, medium collocandum est, id quod est: sin quà bonum sit, aliquod ens. Constituamus enim in a, scientiam, quà est quoddam ens,in b verò aliquod ens,in c,bonum:profectò a in b verè dicitur:quippe cum scientia sit alicuius entis,quà ens est: b item in c: nam quod loco ipsius c constitutum est, quodpiam ens est:ita & a in c verè dicitur,erit igitur boni scientia,quà bonum quoddã est:nam quoddam ens certam quandam naturam modo designabat. Quod si ens medium locetur,& extremo ens omnino,non quoddam ens adiectũ sit, diximus non effici scientiam esse boni, quà bonum est, sed quà ens: vt loco a,est scientia,qua ens: in b vero ens,in c bonum. Ac constat extrema eo modo esse sumenda in iis,qui in parte sunt syllogismi.

NOMINA etiam nominibus,quæ idẽ valent,commutare oportet,orationẽ item oratione, nomen etiã ac orationem,ita vt orationem semper nomine cõmutes. Nam facilius eo modo extrema digeruntur: exempli gratia,si nihil referat,dicas,suspicabile nõ esse genus opinabilis: an opinabile non esse id,quod suspicabile:nã idem significat,id quod pro oratione sumptũ est, tum suspicabile & opinabile pro extremis sint collocãda. At vero quia hæc diuersa sunt, voluptas est bonũ,& voluptas est ipsum bonũ,non sunt eodẽ modo extrema constituenda. Sed si cõcludatur voluptatem esse ipsum bonum,extremum est collocãdũ, ipsum bonum: sin esse bonum,bonum modo id, quod in aliis eodem modo fit. Nec vero hæc aut in re,aut in sermone idem valent,cui ipsum b ineſt,eidẽ toti ineſt a,& in quo toto reperitur b,in eo ipso toto ineſt ipsum a. Nihil enim prohibeat,b in c quidẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse,sed non omni,nempe si b sit quippiam pulchrum, c verò album:profectò si in re quadam alba quippiam pulchri insit,verè dixeris,album esse pulchrum,non omne fortasse. Itaque si a est in b,nec tamen in iis omnibus est, de quibus ipsum b dicitur,seu ipsum b in toto c reperiatur,seuin aliquo,non est necesse,an in c,nõ modò toto,sed ne vllo quidem inesse. Quòd si in quacunq; re ipsum b verè dicatur,ipsum a insit in ea omni,inde efficietur,in quo toto ipsum b dicitur, in eo quoque omnino dici ipsum a:si verò de quo b dicitur,in eo toto dicitur ipsum a,nihil prohibet b in c quidem esse,in eo verò non toto a esse,vel etiam omnino non esse. Vbi igitur tria sunt extrema, perspicuum est illud,de quocunque b dicitur,ipsum quoque a dici, idem valere,ac de quibuscunque dicitur b,de iis quoque omnibus ipsum a dici:quòd si b de aliquo omnino dicatur, a quoque eodem pacto dici,sin in aliquo non omnino dicatur, non est necesse ipsum a in eo toto esse. Nec verò existimandum est ob dispositionis exempla, alienum quid, aut absurdum euenire:neque enim in exemplum adducimus hoc esse illud: sed vt geometra lineam istam pedalem esse dicit,ac rectam & illatabilem,cum ea nõ sit: nec iis vtitur,quasi inde aliquid concludat:qui enim quippiam demonstrat, id nullo pacto ex eo efficiet,quòd totius rationem ad partem suam nõ habeat: aliud autem ad hoc, vt pars sit toti comparata: cum ne ratiocinatio quidẽ isto modo fiat:sed ea expositione vtimur eodem modo, ac qui dicunt rem percipere sensu eum qui instituitur. Neque enim hæc ita fiunt,quasi sine his res ipsa demonstrari nequeat: vt sunt ea, ex quibus ratiocinatio struitur. Nec vero ignorare id debemus, non omnes

conclusiones, quæ vna & eadem ratiocinatione efficiuntur,ad eandem figuram pertinere:sed alias per hanc,alias per illam colligi. Vnde constat resolutionem, eo quoque modo esse facinendam. Cùm autem quæstio nõ omnis in quauis figura, sed in singulis certè probetur,ex complexione facile intelligitur, in qua figura res inuestigari debeat. Ac in definitionibus probandis, vbi definitionis particulã vnam probaueris,ea ad quam probatio pertinet,pro extremo collocanda est,non tota oratio. Ita enim accidet,vt prolixitate minus turbemur. Exempli gratia,si quis probauit aquam esse humorem potabilem, potabile & aqua pro extremis sunt collocanda.

IAM enitendum non est,eos syllogismos referre in figuras,qui sunt ex hypothesi. Nec enim referre eos possis ex iis,quæ proposita sunt:quia syllogismo non probant, sed ex conuentione & pacto admittuntur. Verbi causa,si quis id ponat, si vna contrariorum non sit facultas,nec scientiam quidem eorum vnam esse: tum probet contrariorum non esse vnam facultatem, nempe quia salubris & insalubris non est eadem:ita enim fieret, vt res eadẽ salubris esset, & insalubris:profectò probatiũ est eo modo non vnam esse contrariorum omniũ facultatem:at eorum scientiam non esse vnam,probatum quidem id non est, quanuis necessario fateri id oporteat:non ratiocinatione quidem,sed ex pacto ac consensu. Non potest igitur hic syllogismus ad figuram referri: sed ille potest, quo concluditur non vnam esse contrariorum facultatem:is enim fortasse ratiocinatio fuit:illa hypothesis tantum. Eodem pacto res habet in iis, qui per incommodũ concludunt. Nec enim resoluere eos possis:du-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum autem ad incommodum, maxime. Nam is ratiocinatione probatur. Illum quidem facere non possis, quia ex hypothesi concluditur. Est autem inter hos syllogismos & superiores discrimen: quòd in illis præconcessione est opus, vt rem confiteatur aduersarius. Vt si probatur vnam esse contrariorum facultatem, ac eorum eandem esse scientiam: in his autem sine vlla præconcessione, rem confitebuntur ob perspicuam falsitatem: verbi causa, si ponas dimetientem esse rationabilem, consequitur, vt numeri impares paribus sint æquales. Sunt autem permulti quoque alij, qui ex hypothesi concludunt, syllogismi, qui diligenter & aptè obseruandi sunt & annotandi: ac quot sint syllogismorum ex hypothesi genera, quótque modis illi fiant, posterius explicabimus. Quod ad rem præsentem attinet, hoc tantum intelligi debet, syllogismos eiusmodi in figuras referri non posse ob eam, quam exposui, causam.

IN quæstionibus autem omnibus, quæ per plures figuras probantur, si quæ in vna concluſa sit, ipsam argumentationem in alteram figuram referre possis, vt quæ priùs in prima concluditur, in secundam, quæ in hac, in primam referatur, non omnes, sed aliquæ, id quod in progressu perspicuum erit. Nam si a in nullo b reperitur, & b est in toto c, a sanè in nullo c reperitur: nam hoc pacto prima figura efficitur. Quòd si inuertas pronũciatum priuans, media erit figura. Ita enim b in nullo a erit, & in c toto. Hoc idem fiet, vt in parte tantum, non omnino concludet ratiocinatio. Vt si a in nullo b, & hoc in aliquo c insit. Nam efficietur figura media, si reciprocetur pronunciatum priuans. Ex iis autem ratiocinationibus, quæ in secunda fi-

gura struuntur, vniuersales quidem in primam figurã referentur: ex iis quæ in parte concludũt, altera tantum. Faciamus enim, vt nullum b sit a, omne verò c sit a: sanè si retro commeet negatio, prima figura dicetur. Nam eo modo nullum a est b, & omne c est a. Quòd si ipsi b affirmatio iungatur, ipsi verò c negatio, illud c in maiori extremo collocandum est. Ita enim fiet, vt nullum a sit c, & omne b sit a. Atque ita nullum b erit c, nec vllum quidem c erit b. Reciprocatur enim priuans pronunciatum. Quòd si ratiocinatio in parte concludat, vbi maiori extremo negatio fuerit iuncta, in primam figuram reducetur, vt si a in nullo b insit, & in c aliquo: efficietur enim prima figura, si retro commeet negatio. Nam b in nullo est a, & hoc in aliquo c inest. Vbi verò affirmatio ita fuerit, resolui non possit, vt si omne b sit a, non omne verò c sit a: nam illud a b reciprocationem non admittit. Quòd si fortè illa fiat, non stabit conclusio. Nec item quæ in tertia figura struuntur ratiocinationes, in primam omnes referri possunt: contrà quæ in hac fiunt, ad tertiam omnes referantur. Faciamus enim exempli causa, vt omne b sit a, & aliquod c sit b: cùm igitur affirmatio in parte reciprocetur, c quoque in aliquo b inerit: a autem in toto b erat: sit igitur figura tertia. Eadem erit ratio si priuans sit ratiocinatio. Nam quia affirmatio in parte inuertitur ac retro commeat, efficitur, vt a in nullo b insit, & c in aliquo. Ex ratiocinationibus autẽ, quæ in postrema figura struũtur, vna modo in primam figuram resolui nequit, nempe vbi negatio in toto non fuerit, reliquæ referri possunt omnes. Ponamus enim, vt & a, & b in toto c dicantur, profecto ipsum c in vtrumuis retro commeabit

Universidad de Deusto
Biblioteca

in parte: atque ita ipsum a in aliquo b inerit, & efficietur prima figura, dum a in toto c ineſt, & hoc in aliquo b. Eadem erit ratio, vbi a in toto c inerit, b verò in c aliquo. Nã ipsa b c inuertuntur ac reciprocantur. Quòd si b in toto c, & in hoc aliquo ipsum a insit, collocandum est ipsum b in primo limite. Nam eo modo ipsum b in toto c erit, & hoc c in aliquo a: atque ita ipsum b in aliquo a: & quia pronunciatum in parte retro commeat, ipsum b in aliquo a inerit. Ac vbi ratiocinatio priuans fuerit, & extrema omnia in toto sint, eodẽ modo omnia sumi debent. Sit enim exempli gratia, b in toto c, & in hoc nullo ipsum a: profectò ipsum c in aliquo b non erit: a verò in nullo est c: ita medium erit ipsum c. Hoc idem fit, vbi negatio est in toto, affirmatio in parte: nam a in nullo c ineſt, c verò in b aliquo: quòd si negatio in parte sumpta sit, resolutio nulla erit, nempe si omne c est b, quoddam autem c non sit a. Si enim illud b c inuertatur, pronunciata ambo illa quidem in parte erũt. Constat autem in mutua illa reductione in figuras, pronunciatum, quod minori extremo iunctum est, in vtraque figura esse inuertendum: hoc enim commutato, egresio efficitur. Ex his autem, quæ in figura media sunt ratiocinationes, vna in figuram quidem tertiũ resoluitur: altera non item. Refertur enim ea, in qua negatio est vniuersalis. Nam si a in nullo b ineſt, & in c aliquo, vtrumuis cũ ipso a æquè inuertitur: atque ita nullum a erit b, & quoddam a erit c. Erit igitur ipsum a medium. Quòd si a in toto b ineſt, in aliquo c nõ item, nulla fit resolutio, cùm neutrum ex pronũciatis post reciprocationẽ sit vniuersale. Resoluentur etiã in mediam figurã, quæ in tertia sunt ratiocinationes:

quandocunque negatio in toto fuerit: vt si a in nullo c ineſt, & in b, aut aliquo, aut omni: nam c in nullo a inerit, & in b aliquo. Quòd si priuatio sit in parte, nulla erit resolutio. Neque enim reciprocationem admittit negatio ea, quæ est in parte. Hinc igitur constat eos ipsos syllogismos in his figuris non resolui, qui in primam referri non potuerunt. Ac cùm alij syllogismi in primam figuram referantur, ij ex incommodo tantùm probantur. Ita ex iis, quæ hucusque exposuimus, perspicuum est, quo pacto ratiocinationes reduci oporteat, quòd etiam figuræ in se mutuo commeant & resoluuntur.

NEC verò parum refert ad confirmandum vel refutandum, arbitrerisne, hæc idem valere, an diuersa esse: non est, inquam, hoc, & est nõ hoc. Verbi causa, non est album, & est non album: neque enim idem valent: nec huius, esse inquam album, negatio est illud, esse non albũ, sed non esse album. Cuius rei ea est ratio: nam eodem modo se habet illud, potest ambulare, ad alterum, potest non ambulare, quo modo illud, est album, ad alterum, est non album: & hoc nouit bonum, ad illud, nouit non bonũ. Nihil enim refert dicas, hic bonũ cognoscit, an est peritus boni: nec item refert dicas, potest incedere, an est potens incedere. ita que illorum contraria eadem sunt, non potest ambulare, non est potens ambulare. Quòd si idem valent, illud non est potens ambulare, & est potens non ambulare, vel etiam nec ambulare, profectò hæc eadem in eadem re simul reperientur: quippe cùm homo idem facultatẽ habeat, vt ambulet, & non ambulet, & est peritus boni, & non boni. At affirmatio & negatio contrariæ, in eadem re simul nunquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

insunt. Atque ita quemadmodũ hæc non idem valent, non nosse inquam bonum, & nosse non bonum: ita nec illa, esse non bonum, & non esse bonum, rem eandem significant. Nam in his, quæ similitudine inuicẽ comparãtur, si vnum sit alterum, aliud quoque necessario est: nec idẽ valent, esse non æquale, & non esse æquale. Ei enim quod est, esse non æquale, aliquid subiicitur, quod est inæquale: alteri planè nihil: quo fit, vt non quæuis res æqualis sit, aut inæqualis: æqualis, vel non æqualis maxime. Iam hæc nõ simul perpetuò reperiuntur, est non album lignum, & non est album lignum. Nam si quid est lignũ non album, illud est lignum: si quid verò non sit lignum album, non est necesse, vt sit lignum: vnde constat ipsius pronunciati, est bonum, illud, est non bonum, negationem nõ esse contrariam. Quòd si de re quauis vna, vel affirmatio verè dicitur, vel negatio opposita, profectò vbi negatio non verè dicetur, affirmatio quodã modo verè enunciabitur. At cuiusuis affirmationis sua est negatio: illius igitur ista erit cõtraria, nõ est non bonum. Porrò hunc ordinem hæc omnia seruant inter se: ponamus loco ipsius a, esse bonum, in b, non esse bonum, in c verò, esse non bonum, idque sub ipso b, demum non esse nõ bonum in d, ac subiiciatur ipsi a: sanè in re quauis, aut ipsum a inerit, aut b, ipsum itẽ c, vel d, & in nulla re eadẽ inesse simul possint ac in quacunque re c reperitur, necesse est, ipsum b in quauis reperiri. Nam si verè dicitur, aliquid esse non album, verum quoque est, illud non esse album: quippe cùm fieri nequeat, vt quid simul sit album, & non album: nec item sit lignum non album, & sit lignũ album: quòd si affirmatio ipsa non insit, inerit negatio, ipsum autem c non

perpetuo in toto b reperitur. Nam quod planè non est lignum, nec lignum quidem est non album: contra sit in his, in quocunque reperitur ipsum a, in eo reperitur ipsum d, quandoquidem necesse est, vel c, vel d in eo reperiri. At verò quoniam fieri nequit, vt res eadem simul sit non alba, & sit alba, ipsum d semper inerit. Nam de ea re, quæ alba sit, verè dixeris, eam non esse non albam: at ipsum a non dicitur in toto d. Nam de ea re, quæ lignum planè nõ sit, non verè dixeris ipsum a, nempe quòd ea sit lignũ album, atque ita ipsa ipsum d verè dicitur: at ipsum a, nempe quod ea sit lignum album, non ita. Constat etiam in nulla re eadem inesse posse a & c, quanuis b & d in nonnullis iisdẽ reperiri possint. Eandẽ rationem seruãt priuationes ad enunciationes, modò is obseruetur situs: collocemus in a æquale, loco ipsius b, non æquale, vbi est c, ponatur inæquale, in locum d, succedat non inæquale: ac in rebus permultis, quibus aliquid idem partim insit, partim non insit, æquè vera negatio fuerit, nempe quòd non omnia illa sunt alba, vel etiam quòd non est album vnumquodque ex illis, cùm tamen falsum sit, vnumquodque esse non album, vel omnia esse non alba. Eodem modo illius pronunciati, omne animans est candidum, non est hæc negatio contraria, omne animans est non album (hæc enim modo falsa sunt) sed illud, non omne animal est cãdidum. Iam vero ex quo cõstat, hæc pronunciata res diuersas significare, est non album, inquam, & non est album: cúmque alterum aiat, alterum neget, perspicuum est, non eandem esse vtriusque probandi rationem: verbi causa, omne animans non esse candidum, aut posse non esse candidum, & verè dici non album,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod idem est, atque esse non album. At verò horum omnium, nempe quod verè dicatur, esse album, vel non album, eadē est concludendi ratio: ambo enim hæc per rationes cōcludendæ affirmationis cōcludūtur in prima figura. Nam ipsum verum eādem vim & situm habet, ac ipsum est: nam ipsius pronūciati, verum est asseuerare hoc album non est hæc negatio cōtraria, verum est asseuerare hoc non album: quin potius illi contraria est, non verum est asseuerare albū. Quòd si verè dicatur, quisquis homo fuerit, eum musicum esse, vel non musicum, sumendum est, omne animans musicum esse, vel non musicum: atque ita res est confecta. At verò illud, omnem hominem non esse musicum, in modum refutationis cōcluditur, idque in tribus modis, quos superius exposuimus. At vt semel dicam, quandocunque a & b ita sunt inter se affecta, vt in nulla re eadem ambo inesse possint, & in re quauis necesse sit alterum esse: c item, & d eandem inter se rationem seruāt: ac ipsius c illud a sit consequens, nec retro commeet: profectò ipsum d consequens erit ad b, nec reciprocabitur: atque a, & d in re eadem esse possunt, b & c non possunt: ac primū hinc planè intelligitur ipsum d consequi ad b. Nam cùm alterū horū, c inquam, vel d, necesse sit esse: in qua autē re b inest, ipsum c esse nequit, quia ad ipsum statim cōsequitur a: hæc autē, a inquā & b, in re eadē simul esse nequeunt: manifestum est igitur, quòd ipsum d consequitur. Iā verò cū c nō reciprocetur cū ipso a, & in re quauis vel c dicitur, vel d, ita accidit, vt a & d in eadē re insint: b verò & c esse simul nequeunt, eo quòd ipsum a sit consequens ad c. Inde enim res quædam absurda cōsequitur, & quæ fieri nō possit. Constat igitur ne

ipsum quidem b cum c reciprocari, quandoquidem ipsum a cum d stare potest. At verò in nonnullis accidit, vt decipiamur in huiusce modi finium dispositione, idque ex eo quòd non bene sumantur contraria ea, quorum alterum in re quauis inesse sit necesse: verbi causa, si a & b in re eadē simul esse non possunt, & necesse est in qua re alterum non sit, in ea alterum esse: c item & d eodem modo inter se sunt affecta, ac ipsum a in totū consequitur ad c: ita enim concludetur, in qua re sit d, in ea necessario esse b: id quod falsum est. Sumamus enim negationē ipsorum a b, quæ sit in loco f: illorum item c d, quæ sufficiatur in locum ipsius g: profectò necesse est in re quauis, aut a verè dici, aut f, nempe affirmationem aut negationem: c item vel g, cum hæc sint aientia & negantia, ac in quacunque re c inest, in ea quoque a ponetur: atque ita in quacunque re inest ipsum f, in ea quoque inest & g. Rursus quādo in re quauis, vel f, vel b dicitur: g item, vel d: g autem consequitur ad f: atque ita ipsum b consequens erit ad d, id quod iam intelligimus. Itaque si a consequitur ad c, b quoque ex d consequens erit: id quod planè falsum est. Nam in his, quæ ita sunt inter se affecta, consecutionem cōtra valere docuimus: nec enim fortasse est necesse, vt in re quauis, aut a dicatur aut f, f item aut b: nec enim ipsum f negatio est illius a. Nam boni, non bonum, negatio est: at non idem valet, hoc non est bonum, ac illud, non est nec bonum, nec non bonum. Eadem est ratio ipsorum c d: nam duæ negationes in his sumptæ sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS DE PRIma Resolutione, Liber secundus.

Cap. 1.

VCusque igitur id à nobis expositũ est, quot figuris, quot item, quibúsque pronunciatis, quãdo, quaq; ratione struatur ratiocinatio, quæ etiam inspectãda sint ac obseruãda ei, qui aliquid refutare vel confirmare velit, quæ etiã sit inuestigãdi propositi ratio in arte quauis, qua item via ad ratione vniuscuiusque quæstionis principia reperiamus. At verò cũ ex syllogismis alij in toto sint, alij in parte qui in toto sunt, multa semper concludũt: qui verò in parte sunt, si affirment, plura quidem concludunt: sin negent, vnã tantum conclusionem colligunt: quod ideo fit, quia pronunciata alia retro commeant, at negatio in parte non item. Conclusio autem aliquid de aliquo significat: ita fit, vt ratiocinationes aliæ multa concludant. Verbi causa, si conclusum sit, a in toto b inesse, vel etiam in aliquo, necessario inde efficitur, vt b in aliquo a reciprocetur: quòd si a in nullo c insit, ne in vllo quidem a ipsum b inerit. Hoc autem pronunciatum à superiori diuersum est. Quòd si a in aliquo b non insit, non ideo efficitur ipsum b in aliquo a nõ reperiri: quippe cum fieri possit, vt in eo totum insit. Atque ea est vna omnium syllogismorum ratio, tam qui in toto, quàm qui in parte colligunt. In vniuersalibus autem alia quoque ratio afferri potest. Eorum enim omnium, quæ vel medio continentur, vel cõclusione, vna est & eadem ratiocinatio, si hæc in conclusione ponantur, illa in medio: verbi causa, si cõclusio a b colligatur per c, necesse est, vt a de omnibus iis dicatur, quæ ipso b aut c continentur. Nam si d in toto b est, hoc verò in toto a, profecto d in toto a continebitur. Rursus si e in c toto contineatur, c verò in a, profecto & e in ipso a toto continebitur. Eadem est ratio, vbi priuans fuerit conclusio. In secunda autem figura concludere tantum licet quod complexione continetur, vt si a in nullo b insit, & in c toto, efficietur ipsum b in nullo c inesse. Quòd si d sub c cõtineatur, constat in eo non esse ipsum b: ex ea autem ratiocinatione non constat, ipsum b non inesse iis, quæ sub a continẽtur: tametsi re ipsa in ipso e non insit, si sub a ipsum cõtineatur. At ratiocinatione est effectum, b in nullo c inesse: in a verò non esse, citra probationem, & vt confessum est sumptum. Itaque ratiocinatione non efficitur, b in e non esse. In iis autẽ, qui in parte colligũt syllogismi, quod ad ea attinet, quæ cõplexione continentur, nulla est eorum necessitas. Neque enim efficitur ratiocinatio, vbi illa in parte sumpta sit propositio. Eorum autem, quæ medio continentur, omniũ quidem cõclusio erit, non tamen ex ratiocinatione: vt si a in toto b, & hoc in aliquo c insit, profecto id quod sub c collocatum est, non concludetur: quod autem sub ipso b est, maxime, non tamen ob ratiocinationẽ antecedentem. Hoc idem fit in aliis quoque figuris. Neque enim concludetur id quod complexione comprehensum est. Alterum autem concludetur illud quidem, sed non per ratiocinationem: quomodo in vniuersalibus probabantur, quæ sub medio erant, per pronunciatum nondum probatum, atque ita in his concludetur: alioqui ne in illis quidem conclusio erit.

Potest autem fieri, vt pronunciata vera sint ea, quibus constat ratiocinatio, nõnunquam etiam falsa aliquan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

do, vt alterum verum sit, alterum falsum. Complexio autem necessario vera est vel falsa, ac ex pronũciatis veris cõplexio falsa concludi nequit: ex falsis vera quidẽ colligi potest: non tamẽ per causam colligetur, sed quòd sit modo. Neque enim ex falsis ratiocinatio vnquam est, eáque per causam: cuius rei ratio in progressu explicabitur. Principio igitur ex veris falsum cõcludi non posse, ex iis erit perspicuũ: nam si vbi a sit, necesse est b esse, vbi hoc non sit, necesse est a non esse: vbi igitur verum sit ipsum a, necesse est quoque ipsum b verum esse. Alioqui accidet, vt res eadem simul sit, & non sit: id quod fieri nequit. Neque verò suspicetur aliquis, ex ea quòd ipsum a extremum vnicum positum sit, ex vno posito quidpiam necessario effici. Neque enim hoc fieri potest: nam id quod efficitur necessario, cõclusio appellatur: ex quibus autem ea efficitur, illa minimũ tria sunt extrema, interualla autem, ac pronunciata duo. Vbi igitur verũ sit, in quo b insit, in eo toto ipsum a inesse: in quo verò sit c, ipsum b quoque insit, necesse est in quo sit c, in eo quoque a inesse: nec falsum id vllo modo esse potest. Illud igitur a, quod quasi vnum acceptum est, pro pronunciatis duobus coniunctis est intelligendum. Eadem quoque est priuãtium ratio. Neque enim ex veris falsum probari vllo modo potest: ex falsis autem verum concludi, illud quidem potest, seu falsa sint ambo pronunciata, seu alterum: nec tamen vtrumuis, sed secundum, si pronunciatum in totum falsum sumamus, alioqui vtrumuis indiscriminatim. Faciamus enim, vt a in toto c insit, & in b nullo, profectò ne b quidẽ in c erit. Quod autem dicimus, accidere potest: verbi causa, nullus lapis est animãs, nullius item homo est lapis. Vbi igi-

tur sumptũ sit, a in toto b inesse, & hoc in toto c: a in omni c inerit: atque ita vt pronunciatis ambobus falsis vera efficitur cõclusio. omnis enim homo est animãs. idem est existimandũ de complexione priuante. Nã ponamus a in nullo c inesse, item & b, a verò in toto b inesse, vt si ea ipsa extrema sumantur, & in iis homo mediũ collocetur. Nam & animans & homo in nullo lapide insunt, animal autem omni homini inest: atq; ita si sumamus in eo nullo inesse, cui toti inest: contrà in quo nõ inest, in eo toto esse, ex ambobus pronunciatis falsis vera efficietur conclusio. Hoc idẽ probabitur, vbi vtrũque in parte falsum sumatur. Quòd si alterũ modo falsum ponatur, vbi primũ in totum falsum fuerit, vt ipsum a b, non efficietur vera conclusio: vera autẽ erit, si b c sumatur falsum. Appello autẽ pronunciatum in totum falsum, quod contrariũ est vero: vt si in toto esse sumptũ sit, quod in nullo inest, aut cõtrà quod in toto inest, in nullo inesse. Ponamus enim, vt a in nullo b insit, b verò in c omni, profectò si pronunciatum b c verum sumptum sit, a b verò planè falsum, ac ipsum a in b omni inesse sit positum, fieri non potest, vt vera sit conclusio: ipsum enim a in nullo c inerat, quãdoquidẽ cuicũque insit b, in eo nullo inerat ipsum a: at illud b in c quouis erat. Nec conclusio quidem vera esse posset, si a in b quouis insit, b verò in omni c, ac pronunciatum b c verũ sumptum sit, a b verò in totum falsum, hoc modo, nullum b est a, conclusio sanè falsa erit: nam ipsum a in toto c reipsa inest: in quocunque enim ipsum b inest, in eo quoque inest a: at b est in omni c. Constat itaque conclusionem veram non fore, vbi pronunciatum prius omnino falsum sit sumptum, seu affirmet illud, seu neget, alterum au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem verũ sit: quòd si falsum quidẽ illud ponatur, nõ omnino tamen vera tum erit conclusio. Nam si a in omni c ineſt & in b aliquo, b item in omni c, quemadmodũ animans in omni cygno ineſt, & in albo aliquo, album verò in toto cygno ineſt, profectò si sumptum sit, a in omni b ineſſe, b verò in omni c, a in omni c re vera inerit: eſt enim omnis cygnus animans. Eadẽ erit ratio, vbi pronũciatum a b priuãs fuerit: fieri enim poteſt, vt a in aliquo b insit, in c verò nullo, b autem in c toto: verbi gratia, animans eſt in aliquo albo, & in nulla niue, candor autem in omni niue reperitur: si ergo ponatur, a in nullo b ineſſe, & hoc in omni c, ipsum a in nullo c inerit. At verò si proloquium a b in totum verum sumatur, & b c omnino falsum, efficietur vera conclusio: nihil enim causæ eſt, quominus ipsum a in b & c totis insit, b autẽ in nullo c reperiatur. Huius rei indicio sunt omnes eiusdẽ generis formæ, quæ non se inuicẽ contineant: animans enim in equo & homine reperitur, equus autem in nullo homine visitur: erit igitur falsa cõclusio, vbi a in toto b sumatur, & hoc in toto c inerit, vt omnino sit falsum proloquiũ b c. Hoc idem fiet, vbi propositio a b priuans fuerit, quippe cũ fieri possit, vt a in nullo b, in c item nullo insit, b item in nullo c, vt se habet alterum genus ad formas alterius. Nam animal nec musicæ, nec medicinæ ineſt, nec musica etiã medicinæ: ita si sumatur, a in nullo b esse, b verò in c toto, vera erit complexio. Quòd si pronũciatum b c, non omnino, sed in parte falsum sit, ita quoque vera erit cõclusio: nihil enim quicquam prohibet, quominus a in b & c toto insit, b verò in c quodam, vt genus in specie eſt & differente: animans enim in omni homine ineſt, & in omni

terrestri, homo verò in aliquo terrestri ineſt, non omni. Si igitur sumatur, a in omni b ineſſe, & hoc in omni c, efficietur a in omni c ineſſe, id quod verum erat. Idem fieri existimandum eſt, vbi proloquium a b priuans sit: accidit enim vt a in b ac c nullo insit: b verò in aliquo c, quomodo se habet genus vnum ad formam & differẽtiam generis diuersam. Animans enim nulli prudentiæ ineſt, nulli item cognitioni, prudentia autem alicui cognitioni ineſt: atque ita si sumatur, a in nullo b, & hoc in omni c, a in nullo c inerit: id quod antea verũ erat. In ratiocinationibus item in parte accidit, conclusionem veram esse, vbi prius pronunciatum in totum sit falsum, alterum verum, vel illud in parte falsum, hoc omnino verum. Item cum a b verum sit, particulare autem pronunciatum falsum: quando item ambo falsa sint: nihil enim vetat, a in nullo b esse, & in c aliquo, vt b in c aliquo sit: exempli gratia, animans in nulla niue eſt, & in aliquo albo, & in albo aliquo eſt nix. Ita si nix medium collocetur, animans verò primum, & sumatur a in toto b esse, & hoc in aliquo c, effatũ illud a b in totum falsum eſt, alternm autem b c inquã verum, & conclusio inde vera efficitur: tantundẽ fiet, si propositio a b neget: quippe cum fieri possit, vt a in toto b insit, in aliquo autẽ c non insit, b verò alicui c insit: verbi causa animãs in toto homine ineſt, & alicui albo non eſt cõsequens, cum tamen homo alicui albo insit. Atq; ita vera erit conclusio, si homo medius ponatur, ac sumatur a in nullo b esse, & hoc in aliquo c, cum tamen pronunciatum a b omnino sit falsum. Conclusio item vera erit, si proloquium a b in parte sit falsum, & b c verum: neque enim quicquam vetat, a in b, & c aliquo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineſſe & b in aliquo c, vt animans in aliquo pulchro reperitur, in aliquo item magno, & pulchrũ in aliquo magno eſt: ſi igitur ſumas, a in omni b eſſe, & hoc in aliquo c, propoſitio illa a b quadamtenus eſt falſa, illa autem b c vera, & concluſio ex his eſt vera. Eodem modo res habebit, vbi pronunciatum a b negetur: nam ad huius rei probationem iidem ſumentur fines, ac eodem modo diſponentur. Rurſus ſi a b verum ſit, b c falſum, vera erit cõplexio. Quid enim cauſæ eſt, quominus a in toto b inſit & in aliquo c, b autẽ in nullo c inſit? verbi cauſa, animãs in omni cygno ineſt, & in aliquo nigro, cum cygnus in nullo nigro inſit. Si igitur a in toto b ſumatur, & hoc in c quodam, vera erit concluſio, cum pronunciatum b c ſit falſum. Idem fiet, ſi pronunciatum a b priuans ſumatur: fieri enim poteſt, vt a in nullo b inſit, & in c aliquo non inſit, b autem in nullo ſit c, quo modo ſe habet genus ad formam generis alterius & diuerſi, & ad accidentia ea, quæ illius formis inſunt: animans enim in nullo numero ineſt, & in quodam albo: numerus autem in nullo eſt albo. Ita ſi numerus medius ponatur, & ſumatur a in nullo b, & b in aliquo c, a in quodã c non erit, id quod modo verum erat: ac pronunciatũ a b verũ eſt, b c falſum. Vera etiam erit concluſio, ſi a b in parte ſit falſum, b c item falſum: neque enim quicquam vetat, quominus a in b, & c quibuſdam inſit: b verò in nullo c, vt ſi b c ſint aduerſa, eáque eiuſdem generis accidentia ambo: animans enim in quodam albo eſt, quodam item nigro, & albũ in nullo nigro ineſt: ſi igitur ſumas a in toto b ineſſe, & hoc in aliquo c, vera efficietur inde cõcluſio. Quòd ſi a b priuãs ſumatur, itidem fiet: ad id enim monſtrandum iidem fines eadem diſpoſitione ſumentur. Quòd ſi pronunciata ambo falſa ſint, vera quoque eſſe poſſit concluſio: fieri enim poteſt, vt a in nullo b inſit, in c verò quodam ſit, cum b in nullo c inſit, vt genus aliquod formæ generis diuerſi omnino non ineſt, & in accidente quodam ſuarum formarum ineſt. Animans enim in nullo eſt numero, & in aliquo eſt albo, cùm numerus in numero ſit albo: ſi igitur a in toto b ponatur, & hoc in quodam c, vera efficietur concluſio, cum falſa ſint ambo pronunciata. Hoc idem fiet, ſi pronunciatum a b negetur: nihil enim prohibet, a in toto b eſſe, in c quodam non eſſe, b item in nullo c, animans in omni cygno eſt, in aliquo nigro non eſt, cygnus autem in nullo nigro: vbi igitur ſumptum ſit, a in nullo b ineſſe, & hoc in quodam c efficietur, a in quodam c non eſſe: atque ita vera ſit concluſio, cum ambo pronunciata ſint falſa.

Secunda figura. Cap. II.

IN media verò figura ex falſis verum planè cõcludere licet, ſeu pronunciata ambo in totum falſa ſumantur, ſeu in parte, ſeu alterũ ſit verum, mẽtiatur planè alterum idq; vtrumuis. Vbi etiam ambo in parte mentiantur, vbi item alterum ſit planè verũ, alterum in parte falſum, & cõtrà, ſi alterum ſit plauè falſum, alterum verum in parte, idque tum in vniuerſalibus ſyllogiſmis, tum in particularibus. Nã ſi a in nullo b ineſt, & in c omni, quo modo animans in nullo lapide ineſt, & in omni homine: atque tũ propoſitiones cõtrario modo ponantur, vt ſumatur a in omni b ineſſe, & in c nullo, ex pronunciatis planè falſis, vera efficietur complexio. Hoc idem fiet, ſi a in toto quidem b ineſt, & in

Universidad de Deusto
Biblioteca

c nullo: idem enim efficietur syllogismus. Rursus si propositio altera tota falsa sit, altera tota vera: nihil enim vetat, quominus a in b, & c in totũ insit, & b in nullo c insit, quo modo se habet genus ad formas non continentes inuicem: animans enim in equo & homine en totum ineſt, cùm tamen nullus homo sit equus. Ita si sumatur animãs in altero toto ineſſe, & in altero nullo, pronũciatum alterũ in totum falsum erit, alterum planè verum: & vera erit cõclusio, vtriuis negatione adiecta. Item si alterũ in parte sit falsum, alterum sit omnino verum: fieri enim potest, vt a in b aliquo insit, & in c omni, & b in nullo c insit, eo modo animans ſst in albo aliquo, & in toto coruo, cùm candor in nullo coruo insit. Igitur si sumatur a in b nullo, & in c toto ineſſe, pronunciatum a b in parte erit falsum, a c omnino verum, ac vera erit conclusio: hoc idem fiet, si commutetur negatio: ex iisdem enim finibus id mõstrabitur, si affirmatio sit in aliquo falsa, negatio planè vera. Quid enim vetat, quominus a in quodam b insit, & in c toto non insit, b sit in nullo c? verbi gratia, animans est in quodam albo, & in nulla pice, & album in nulla pice ineſt. Itaque si sumatur a in toto b ineſſe, & in c nullo, propositio a b in quadã parte erit falsa, a c vera omnino, & conclusio erit vera. Vera item erit conclusio, vbi ambo pronunciata in parte falsa sint: quippe cum a in b, & c quibusdam ineſſe possit, cum b in nullo c insit. exempli gratia, animãs in quodam albo, quodam item nigro ineſt, cùm album in nullo nigro reperiatur. Itaque si a in toto b sumatur, & in c nullo, propositiones ambæ in aliquo erunt falsæ, & vera conclusio: hoc idem fiet, si commutetur negatio in finibus iisdem: hoc

etiam fieri perſpicuum est in iis, qui in parte concludunt syllogismi. Neque enim quicquam prohibet a in toto b ineſſe, & in c aliquo, cum b in c aliquo non insit, vt animans in toto homine ineſt, & in quodam candido, cùm homo in quodam candido non sit. Si igitur a in nullo b ponatur ineſſe, & in quodam c eſſe, pronũciatum illud vniuersum in totum falsum est: quod autem in parte est, verum, & conclusio vera. Eadem erit ratio, si a b sumatur affirmatio. Nam fieri potest, vt a in nullo b insit, & in quodam c non sit, & b in aliquo c non sit, vt animans in nullo inanimato ineſt, & in quodam albo nõ est, cùm inanimatum in quodam albo non sit. Ita si ponatur a in toto b ineſſe, & in quodam c non eſſe, proloquiũ illud vniuersum a b omnino est falsum, a c verum, & conclusio vera. Itidem fiet, si vniuersalis propositio vera ponatur, particularis falsa. Quid enim prohibet, quæso, ipsum a nulli b, nulli item c eſſe cõsequens, cum b in quodam c non sit? Exempli gratia, animãs nulli numero, nulli item inanimato eſt conſequẽs, & numerus cuidam inanimato non ineſt. Si igitur ponatur a in nullo b, & in quodam c, vera erit conclusio: propositio autem vniuersalis quidem vera, particularis autem falsa. Idem fiet, si affirmatio sit vniuersalis: potest enim a in b, & c totis ineſſe, cum b alicui c non sit consequens: quo modo se habet genus ad formam & differens: animans enim totum hominem, totum item terrenum consequitur: homo verò non omne terrenum. Itaque si sumatur a in toto b ineſſe, & in c aliquo nõ eſſe, pronunciatũ vniuersale verum erit, particulare falsum, vera autẽ complexio. Cõstat etiam ex ambobus falsis veram effici complexionem, si quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest a in b & c totis inesse, cum b alicui c non insit. Si enim sumatur a in nullo b, & in quodam c inesse, pronunciata ambo falsa erunt, conclusio vera. Idem fiet si affirmet pronunciatum vniuersale, quod in parte est, neget: potest enim a toti c, & nulli b esse consequens, cum b alicui c non insit: verbi causa, animans nullam scientiam consequitur, & totum hominem, & scientia non omnem hominem. Ita si ponatur a in toto b inesse, & cuidam c non esse cõsequens, pronunciata falsa erunt, complexio vera.

Figura tertia. Cap. III.

IN postrema quoque figura ex falsis efficietur verum, tum ex ambobus in totum falsis, tũ ex vtroque in parte falso, & ex altero omnino vero, altero falso: ex vno itẽ in parte falso, altero omnino vero, & cõtra. Demum quibuscunque aliis rationibus pronunciata immutari possunt. Nec enim quicquam vetat, & a & b in nullo c inesse, cum a in aliquo b insit: verbi gratia, homo & pedestre nulli animo sunt consequentia, & homo alicui pedestri inest: Itaque si ponatur a, & b in toto c inesse, pronũciata in totum falsa erunt, connexio vera: eadem est ratio, vbi alterum ait, negat alterum. Fieri enim potest, vt b in nullo c insit, & in eo toto insit a, cum a alicui b non insit: verbi causa, nigrum in nullo est cygno, & in hoc toto est animal, animal autem non omni nigro inest. Ita si sumatur b in omni c, & in hoc nullo ipsum a, a in quodam b non erit, & conclusio erit vera, propositiones falsæ. Vera item efficietur complexio, vbi vtraque in parte falsa sit propositio: neque enim quicquam vetat, a & b in quodam c inesse: a verò in aliquo b: verbi causa, album & pulchrum in aliquo animãte insunt, &

album in re quadam pulchra inest. Si igitur ponatur, tum a, tum b in toto c inesse, pronũciata ambo in parte falsa erunt, complexio autem vera: hoc idem fiet, si pronũciatum a c ponatur priuãs. Quid enim vetat, quominus a in quodam c non sit, b verò in c aliquo sit, cum a in b non toto insit? Exempli gratia, album in quodam animãte non est, & in eo aliquo est pulchrum, album autem non omni pulchro inest: ita si sumatur a in nullo c, & b in eo ipso toto, propositiones ambæ in parte falsæ erunt, complexio vera. Eadem erit ratio, si propositio altera in totũ falsa sumatur, altera omnino vera, quippe cùm fieri possit, vt & a & b ipsi c omnino sint cõsequentia, cum a in quodam b non sit, vt animans & candidum omni olori cõsequentia sunt, cùm animans non omni cãdido insit. Propositis igitur huiuscemodi extremis, si b in toto c sumatur, a verò in eodem nullo profectò pronũciatum b c omnino verum erit: illud autem a c planè falsum, cum ipsa cõclusio sit vera: hoc idem fiet, si illud b c, falsum sit, ac verum: ad id enim confirmãdum ij assumentur fines, nigrum, cygnus, inanimum. Quinetiam vbi ambo affirmantia sint pronunciata, tantundem fiet. Nihil enim vetat, vt b toti o sit consequens, & in eodẽ toto ipsum a nõ sit, cum a in quodam b insit. Hoc modo animãs in omni cygno reperitur, & in eodem toto ipsum a non sit, cum a in quodam b insit. Hoc modo animãs in omni cygno reperitur, & in eodem nullo nigrum, cùm nigrum alicui animãti insit. Si igitur ponãtur a & b in toto c inesse, pronũciatio b c vera planè fuerit: a c verò planè falsa, conclusio autem vera. Illud idẽ fiet, si ac ponantur falsa, quod per eosdem fines ac exempla cõfirmabitur. Rursus vera erit cõ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clusio ex pronunciato planè vero, & altero in parte falso: fit enim nõnunquam, vt b in toto c insit: a autẽ in c aliquo, & a in quodã b insit, vt bipes omni homini ineſt, pulchrum non omni, & tamen pulchrum alicui bipedi ineſt. Itaque ſi ponatur a & b in toto c eſſe, propoſitio b c vera planè erit, a c in parte falſa: concluſio autem vera. Idem fiet, ſi pronunciatum a c verum ſumatur, b c in parte falſum: iiſdem enim finibus commutatis id oſtendetur. Item ſi propoſitio altera neget, altera aiat: quandoque enim accidit, vt b in toto c inſit, & a in eo aliquo: at dum hæc ita ſe habeant, a non omni b ineſt. Itaque ſi ſumatur b in toto c ineſſe, a verò in c nullo, negatio erit in parte falſa, altera propoſitio planè vera, concluſio item vera. Præterea quandoquidem probatum eſt, vbi a in nullo c inſit, b verò in eo aliquo, fieri poſſe, vt a in aliquo b nõ ſit, perſpicuum vbi a c planè verum ſit, b c in parte falſum, concluſionem poſſe eſſe veram. Nam ſi ſumatur a in nullo c ineſſe, b verò in c omni, pronunciatũ a c planè verum erit: b c autem in parte falſum. Conſtat item in ratiocinationibus, quæ in parte ſunt, ex falſis verũ omnino concludi. Eadem enim extrema ſumi debent, quæ ſumpta ſunt, dum vniuerſalia eſſent pronunciata, in aientibus aientia, negantia in negantibus. Nam quod ad extremorum expoſitionem pertinet, nihil refert, quod nulli in eſt, ſumere, quaſi omnino inſit, & quod alicui inſit, omnino ineſſe. Idem de priuantibus eſt exiſtimandum. Hinc igitur perſpicuum eſt, vbi concluſio eſt falſa, ea ex quibus argumentatio cõſtat, aut omnia, aut aliqua neceſſario eſſe falſa. Quòd ſi vera ſit, nec omnia, nec aliqua vera eſſe, neceſſe eſt: quin nonnunquã ſit, vt cum neutra ſyllogiſmi propoſitio vera ſit, cõcluſio ſit æquè vera, non tamen ex neceſſitate. Cuius rei hæc eſt ratio: nam quando duæ res ita ſunt inter ſe affectæ, vt ſi vna ſit, altera quoque ſit ex neceſſitate, hæc ſi non ſit, ne illa quidem erit: quòd ſi ea ſit, non eſt neceſſe vt illa ſit. Ex eo autẽ quòd aliquid ſit, & non ſit, fieri non poteſt, vt res eadem ſit neceſſario: quod dico tale eſt, cum a album eſt, ipſum b ex neceſſitate eſſe. Rurſus cum a albũ non ſit, ipſum b neceſſario eſſe. Nam quia ex eo quòd hæc res, nempe a, eſt alba, neceſſe eſt illam, b, inquam, eſſe magnam: at cum b eſt magnum, c non eſt album, profectò neceſſe eſt, ſi a ſit album, vt c nõ ſit album. Et cùm ex duobus propoſitis, ſi vnum ſit, alterum eſſe neceſſe eſt, vbi hoc non ſit, neceſſe eſt illud non eſſe: profecto cum b non eſt magnum, a nequit eſſe album. Quòd ſi dum a non eſt album, ex neceſſitate b eſt magnum: accidit, vt cum b non ſit magnum, illud ipſum b ſit magnum, ídque neceſſario: id quod fieri nequit. Nam ſi b non eſt magnum, a non eſt candidum ex neceſſitate: ſi igitur b erit magnum, dum a nõ eſt album, efficitur quaſi per tres fines, ſi b non eſt magnum, vt illud ipſum ſit magnum.

De probatione circulari. Cap. IIII.

PROBATIO autem in orbem & ex alternis tunc fit cum ſumpta concluſione, & propoſitione altera ratione dicendi inuerſa cõcluditur altera propoſitio, quæ in ſuperiori ſyllogiſmo ſumpta fuit: exempli gratia, ſi probãdum fuerit, omne c eſſe a, ídque probatum ſit per ipſum b. Rurſus ſi probetur b eſſe a, ex eo quòd c ſit a, & b ſit c, atque ita b ſit a, principio autem contrà ſumpſit, qui ratiocinatur, nempe c eſſe b. Vel etiam ſi probandum ſit b eſſe in c, ac ſumat a in

Universidad de Deusto
Biblioteca

c dici, quæ fuit conclusio, & b in a inesse: at antea contrario modo sumptũ erat, nempe a esse in b aliquo, nullo sit exalternis probatio. Nam si medium quoddam diuersum sumatur, nõ fit in orbem probatio: nihil enim idem sumitur. Quòd si quippiam ex illis sumatur: alterum tãtum accipi necesse est. Si enim ambo sumerentur, eadem efficeretur conclusio, cùm diuersam effici oporteat. In his igitur quæ nõ retro simul commeãt, ratiocinatio efficitur ex altero pronunciato non confirmato: neque enim in his extremis cõcludere possis tertium in medio inesse, aut medium in primo: in his autem, quæ vicissim commeãt, extremis, omnia ex se inuicem probari possunt, vt si a b c commeent inter se & sint æqua. Faciamus enim vt a c probatũ sit per b, rursus a b per conclusionem & propositionẽ b c conuersam: ita & b c per conclusionem & propositionem a b inuersam: sunt autem pronunciata c b, & b a probãda. Ea enim sola citra probationẽ vsurpauimus: sanè si b sumatur in toto c inesse, & c in omni a, afficietur, vt b sit in a. Rursus si ponatur c in omni a inesse, hoc verò in toto b, necesse est, vt c in toto b insit. Ac in ambabus illis ratiocinationibus pronũciatũ illud c a citra confirmationem sumptũ est: reliqua verò probata sunt. Itaque si illud confirmauerimus, omnia ex se inuicem cõfirmata fuerint: itaque si sumatur c in omni b inesse, hoc item in omni a, sumũtur duo pronũciata iam probata, & ex his efficitur necessario, vt c in ipso a insit. Perspicuum est igitur in his modò, quæ vicissim cõmeant, orbicularem probationem fieri, ac vicissitudinariam: in alius verò eo quo diximus modo. Probatur enim c de b, hoc item de a, si sumas c dici in a: at c in a dici, ex pronunciatis illis probatur: vtinur itaque conclusione ad id probandum. In priuantibus autem ratiocinationibus hoc modo fit mutua confirmatio. Ponamus b in omni c inesse, a verò in nullo b, efficitur conclusio, nullum c inquam esse a. Quòd si rursus concludendum sit, a in nullo b inesse, quod dudũ sumptum est, sumetur a in nullo c, & hoc in omni b: atque ita inuertetur pronunciatum. Quòd si concludi oporteat b in c inesse, non ita conuertendum erit illud a b, cum pronũciatum idem sit, b in nullo a inesse, & a in nullo b: sed sumendum est, in quo nullo ipsum a inest, ipsum b in eo toto inesse: ponamus a in nullo c inesse, quæ cõclusio fuit, & in quo nullo est a, sumamus ipsum b in eo toto esse: necesse est igitur ipsum b in toto c inesse. Atque ita cum tria sint pronunciata, vnumquodque effectum est conclusio, atque illud est in orbem demonstrare, nempe cum conclusionem sumis cum altero pronunciato inuerso, vnde concludis alterum pronunciatum. At in iis, quæ in parte sunt ratiocinationibus, vniuersale pronunciatum ex aliis probari nequit: particulare potest. Ac vniuersale concludi non posse perspicuum est, quandoquidem vniuersum ex vniuersis efficitur: conclusio autẽ in his non est vniuersa, & probatio efficienda est ex conclusione, & altero pronunciato. Adde quòd retro commeante pronunciato nullus efficitur syllogismus, cũ in parte sint ambo pronunciata. Potest autem, quæ in parte est propositio, probari: sit enim iam probatum a de quodã c per medium b, iam si sumatur b in omni a inesse, ac cõclusio eadem maneat, profectò b in aliquo c inerit: efficitur enim prima figura, ac medium est ipsum a. Quòd si priuans sit ratiocinatio, pronunciatum vniuersum concludi nequit, ob eam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam paulò antè dixi, rationẽ. Quod in parte esse nequit, si illud a b eodem modo retro commeet, atque in vniuersalibus. Potest autem concludi per assumptionem, nempe si sumamus in qua re in parte inest a, in ea ipsum b in parte quoque inesse: quòd si res aliter habeat, non efficitur syllogismus, quia negat quæ in parte propositio. At verò in secũda figura affirmatio hac via probari nequit, negatio maximè, ac non probatur affirmatio, qua non sunt ambo affirmantia pronunciata: complexio enim est priuans, affirmatio autẽ ex ambabus affirmationibus efficiebatur. Priuãs autem pronũciatum hoc modo probatur: faciamus vt a sit in b toto, in c nullo, conclusio est, b in nullo c inesse. Quòd si ponatur b in omni a inesse, & in c nullo, efficietur necessario, vt a in nullo c insit: efficitur enim in secunda figura, ac medium est ipsum b. Quòd si a b sumatur priuans, alterum autem affirmans, efficietur prima figura, siquidem in toto a est c, b verò in nullo c, ita b in nullo a erit, ne a quidem in b, c autem est medium. Non igitur efficitur ratiocinatio ex complexione, & propositione vna: quòd si assumatur altera, fiet. Quòd si vniuersi non sit ratiocinatio, quod in toto est, pronunciatum probari nequit, ob quam antea expositi causam, quod in parte est, maximè, vbi affirmatio vniuersalis fuerit: sit enim a in omni b, & in c non omni, conclusio est b c. Igitur si sumatur b in omni a inesse, & in c non omni, concludetur a in aliquo c non esse, ac medium est b. Quòd si vniuersalis propositio neget, pronunciatio a c non probabitur, etiam si retro commeet illud a b. Accidit enim vt vel ambo pronunciata negent, vel certè alterum. Itaque non efficietur syllogismus, sed eadem via ac ratione proba-

bitur ac in vniuersalibus, nempe si sumatur, cui ipsum b in parte non inest, in illius parte illud a inesse. In tertia autem figura, vbi vniuersa ambo pronũciata sumpta sint, nõ possunt ea ex se inuicem probari. Nã pronunciatum in toto ex iis probatur, quæ in toto sunt: ac in hac figura cõclusio perpetuò est in parte. Constat igitur in hac figura vniuersale pronunciatum cõcludi nullo modo posse: vbi verò alterũ sit in toto, alterũ in parte, aliquãdo sanè licebit, aliquãdo non item: licebit quidem, vbi ambæ affirmẽt, & illud totũ minori extremo iunctum sit: quòd si alteri iũgatur, nõ licebit. Ponamus enim, vt a in toto c insit, b verò in eo aliquo, conclusio est a b: quòd si sumatur c in toto a inesse, propositione vniuersa retro commeante, a rursus in b, quæ conclusio ante a fuit, effectum est; c in aliquo b inesse, non contrà b in aliquo c: etiã si necesse sit, si c est in aliquo b, b quoque in aliquo c inesse. Non tamen res est eadem, illud in hoc inesse, & hoc in illo: sed assumendum est, si hoc in illo aliquo sit, alterũ quoque in eo aliquo esse: quòd si sumatur, non iam efficitur syllogismus ex conclusione & altero pronũciato. At si b in toto c insit, a item in aliquo c, illud a c probari potest, si sumatur c in toto b inesse, a verò in eo aliquo: nam si c omni b inest, a itẽ alicui b, necesse est, vt a alicui c insit, ac b est medium. Probabitur item alterum pronunciatum, si vnum affirmet, alterum neget, & in toto sit, id quod affirmat. Ponamus enim b in toto c inesse, a verò in quodam c non esse in conclusione, efficitur, a in aliquo b non esse: quòd si assumatur c in omni b esse, a autem non omni b inerat, necesse est vt alicui c non insit: medium autem est b. Vbi verò pronunciatum priuans in toto sit, non probatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

alterum, nisi sumatur pronunciata eadem ratione atque in superioribus, nempe in quo illud in parte non est, in eodem aliquo alterum insit. Verbi gratia, si a in nullo c ineſt, & in hoc aliquo insit ipsum b, concluditur a in quodam b non esse. si igitur sumptum sit, ipsum c in eo quodã esse, cui aliqua ex parte non ineſt a, necesse est vt b in aliquo c insit: alioqui pronunciatum alterum probari nequit, etiamsi retro commeet, quod in toto est: nulla enim efficietur ratiocinatio. Hinc igitur perspicuum est, probationem vicissitudinariam in prima figura effici, tum per primam, tum per tertiam figuram: si enim affirmans sit conclusio, in prima efficitur: sin neget, in postrema: nam sumitur alterum in eo toto ineſſe, in quo nullo alterum inerat. At in figura media, si vniuersa sit ratiocinatio, tum in ea ipsa, tum in prima figura, ac in postrema efficitur conclusio: vbi autem in parte sit syllogismus, tum in ipsa, tum in postrema figura id efficitur: in postrema autem figura, omnia in ea ipsa probantur. Constat etiam, quum in media figura, & in tertia per eas ipsas non efficiuntur syllogismi, eos aut probationem orbicularem non efficere, aut certè imperfectos esse.

De ratiocinationum reciprocatione. Cap. V.

RETRO vertere, est conclusione commutata concludere, vel maius extremum in medio non esse, vel etiam hoc in postremo: nam si inuertatur conclusio, & alterum pronunciatum seruetur, necesse est alterũ euerti: si enim illud sit, conclusio quoque erit. Refert autem plurimũ, an in contradicens, an in contrarium conclusionem inuertas: nec enim idem efficitur syllogismus, si vtroque modo illa inuertatur, id quod ex progressu intelligetur. Contradicentia hæc appello, omne, non omne: aliquod, nullum: aduersa verò per contraria omni ineſſe & nulli, alicui item & non alicui ineſſe. Sit enim probatum a de c per medium b: profectò si sumptum sit, a in nullo c ineſſe, & in b toto, efficietur vt b in nullo c insit. Quòd si a in nullo c insit, b verò in toto c, a non omni b inerit: at nulli planè, non itẽ: quippe cum in tertia figura non cõcludi totum diximus. Eam autem propositionem, quæ maiori extremo coniunctã est, omnino ac in totum euertere per reciprocationem non licet, quippe cum in tertia figura semper euertatur: necesse est enim, vt ambo pronũciata ad minus extremum sumantur. Eadem est ratio, vbi syllogismus priuãs sit: sit enim probatum, a in nullo c ineſſe per medium b: si igitur sumatur a in toto c ineſſe, & in b nullo, ipsum b in nullo c inerit: item si a & b in toto c insit, a alicui b inerit, cum nulli antea ineſſet. Quòd si vertatur conclusio in contradicens, diuersi fient syllogismi, & contradicentes, nec vniuersi: nam alterum pronunciatum in parte est: ita fit, vt & conclusio in parte quoque sit: faciamus enim, vt syllogismus proponatur affirmans, ac eo modo commutetur, profectò si a non omni c ineſt, & ipsi b omni, ipsum b non omni c inerit. Rursus si a non omni c ineſt, & huic omni ineſt c, ipsum a non omni b inerit. Itidem fiet, si priuans sit ratiocinatio: nam si a in aliquo c ineſt, & in b nullo, ipsum b alicui c non inerit, at non omnino nulli. Item si a in c aliquo insit, & huic toti insit b, quo modo inetio sumptũ est, a in aliquo b inerit. In his autem, qui in parte sunt, syllogismis vertũtur ambo pronunciata, dum conclusio in contradicens commutatur: quòd si

Universidad de Deusto
Biblioteca

in contrarium vertatur, neutrum euertitur: nec enim in his fit, vt in vniuersalibus, nempe vt euertantur pronunciata, si cõclusio in conuersione deficiat, nec enim euertere vllo pacto licet. Sit enim ostensum a de aliquo c, tum si sumatur a in nullo c esse, b itẽ in aliquo c, a in aliquo c non erit. Quòd si a in nullo c insit, & in b omni, ipsum b in nullo c erit: atque ita ambo pronunciata euertuntur. Sin contrario modo commeet conclusio, neutrum tollitur: nam si a in quodam c non est, & in b toto, b in quodam c non erit. Necdum tamen euersum est pronunciatum intio propositum, quippe cum fieri possit, vt in aliquo sit, in aliquo non sit: ipsum autem vniuersale a b nullo pacto cõcluditur: nam si a in quodam c non inest, b verò in quodam est, neutrum pronunciatum in toto est. Idem fieri existimandum est, vbi prius fuerit ratiocinatio. Si enim sumptũ sit, a esse in toto c, euertuntur ambæ propositiones: sin in aliquo, neutra. Huius rei eadem est, quæ prius, demonstratio.

Figura secunda. Cap. VI.

AT in secunda figura euerti nequit pronũciatum maiori extremo iunctum ex contrario. quocunque modo reciprocatio fiat: quippe cum in tertia figura semper concludatur, in qua vniuersa conclusio non efficitur: alterum autem pronũciatum eodem modo euertemus, quo reciprocatio facta fuerit: eodem modo inquam, nempe si commutatio fiat, in contrarium contrario modo, sin in contradicẽs, cõtradictorio. Ponamus enim, vt a in toto b insit, & in c nullo, conclusio est b c. Si igitur sumptũ sit b in toto c ineſſe, dum a b idem seruetur, profectò a in toto c inerit, efficitur enim

prima figura: quòd si b in toto c, & a in nullo c ineſt, ipsum a non omni c ineſt: sit enim postrema figura. Quòd si b c in contradicẽs cõmutetur, illud a b eodem modo probabitur, a c verò contradictorio modo: nam si b alicui c ineſt, a verò nulli c, ipsum a alicui b non inerit. Rursus si b in c aliquo reperitur, & a in toto b, a in aliquo c ineſt: atque ita contradicens efficitur conclusio: eadem ratione id probabitur, si pronunciata contraria ordine sint dispositа. Quòd si ratiocinatio sit in parte, & conclusio in contrarium vertatur, neutrum pronũciatum euertetur, quemadmodum neque in prima figura: sin commeet in contradicẽs, vtrunque tolletur. Sit enim positum a in nullo b ineſſe, & in c aliquo esse, concluditur inde b c: tum si ponatur b in quodam c ineſſe, & maneat illud a b, concludetur a in aliquo c non esse: nec ideo euersum est, quod initio positum fuit, quippe cum fieri possit, vt quidpiam in alio aliquo insit, aliquo item nõ sit. Rursus si b est in aliquo c, a item in aliquo c, nulla efficitur ratiocinatio: neutrum enim pronũciatum sumptum est in toto, atque ita non subuertitur illud a b: quòd si in contradicens commeet conclusio, euertuntur ambo pronunciata: nam si b est in omni c, & a in nullo b, profectò a in nullo c erit: at alicui inerat. Rursus si b in toto c, & a in aliquo c insit, efficietur vt a in aliquo b sit: eadẽ est demonstrandi ratio, vbi vniuersale illud affirmauerit.

Figura tertia. Cap. VII.

NEVTRVM item pronũciatum euertetur in syllogismo quouis in tertia figura, vbi conclusio in cõtrarium vertatur: vbi verò mutatur in cõtradicẽs, tollẽtur ambo in

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratiocinatione quauis: sit enim probatum a in aliquo b inesse, ac medium sumptum sit c, & pronunciata sint vniuersa: tum si sumatur a in quodam b nõ esse, b verò in omni c, non concluditur a de c: nec item b, nec c concludũtur, si a in aliquo b inest, & in c omni. Eadem via id monstrabitur, si in toto non sint pronunciata: aut enim ambo in parte sint oportet ob conuersionem, aut illud totum minori extremo iungi, quo modo nec in prima figura, nec in media efficiebatur ratiocinatio. Quòd si contradictorio modo commeent, pronunciata euertuntur ambo: nam si a in nullo b, & b in toto c inest, a in nullo c inest. Rursus si a in b nullo, & in c toto reperitur, b in nullo c inest. Idem fiet, si in toto alterum non sit: nam si a in nullo b, & hoc in aliquo c inest, a in quodam c non erit. Si verò a in nullo b, & in toto c inest, ipsum b in nullo c erit. Eadem est ratio, si priuans sit ratiocinatio. Sit enim effectum, a in quodam b non esse, ac illud b c affirmet, a c verò neget, hoc enim modo efficiebatur ratiocinatio: non erit igitur syllogismus, dum sumatur contrarium complexionis: nam si a in aliquo b, & hoc in omni c insit, diximus non concludi a & c: nec concludebatur quidem, si a in quodam b sit, & in nullo c: quare non euertuntur pronunciata: vbi verò contradicens conclusionis sumitur, maximé. Nam si a in omni b, & hoc in omni c inest, a in omni c erit, cum antea nulli inesset: rursus si a in toto b, & in c nullo est, b in nullo c est: at antea omni inerat. Eadem ratione id probabitur, si pronunciata in toto non sint: nam illud a c efficitur vniuersale, & priuans, alterum in parte affirmans. Si igitur a sit in omni b, & hoc in quodam c, efficitur vt a in quodam c insit: at verò nulli

inesse positum erat. Rursus si a in toto b inest, & in c nullo, b in nullo c inest. Quòd si a est in quodam b, & hoc in quodam c, nihil concluditur: & si a in b quodam insit, & in c nullo, ne sic quidem syllogismus fiet: quapropter illo modo euertuntur pronunciata: hoc verò nequaquam. Ex his igitur, quæ exposuimus, dilucidũ est, quo pacto in singulis figuris efficiatur ratiocinatio, dum commutatur conclusio, quando pronunciati contrarium colligitur, quãdo contradicẽs. Constat etiã ex his syllogismos in prima figura fieri, tum per figurã mediam, tũ per postremam: pronunciatum item minori extremo iũctum semper in media figura tolli, quod verò ad maius est, per postremam: at in secunda figura, tum per primam, tum per postremam: per hanc pronunciatum maius, per illam minus pronunciatũ semper euerti. In tertia autem per primam ac mediam: maius quidẽ per primam semper: minus verò per mediam perpetuo. Atque ita planè constat: quid sit illud commeare, quóque pacto in singulis figuris, & quis efficiatur syllogismus.

De probatione per incommodum. Cap. VIII.

Ratiocinatio autem per incommodum tum demum fit, cùm conclusionis contradicens ponitur, & pronunciatum aliud assumitur, idq; in omni figura efficitur: accedit enim ad reciprocationem, à qua eo differt, quòd reciprocatione quidẽ vtimur, vbi iam structus est syllogismus, & posita sunt ambo pronunciata, deducimus autem in incõmodum citra præconcessionem cõtradicentis, sed quia dilucidè verum est: fines autem in ambobus eandem seruãt collocationem, & est eadem in ambobus propositionũ sumendarum ratio: verbi causa, Si a est in toto b, & medium est c, si pò-

Universidad de Deusto
Biblioteca

natur a nõ omni, aut nulli b ineſse, & ipſi c omni, quod antea verum concedebatur, neceſse eſt, vt c in b, aut nullo, aut non omni inſit: hoc autem fieri nequit: falſum eſt igitur id, quod poſitum eſt, ac illius contradicens verum. Eodem modo fit in aliis etiam figuris: quæ enim reciprocationem admittunt, ſyllogiſmum quoque ad incommodum recipiũt. Ac quæſtiones omnes aliæ in omnibus figuris per incommodum probantur: ea autem, quæ in toto affirmat, per mediã quidem, ac tertiam figuram probatur, per primam nequaquã. Ponamus enim a in b, aut non omni, aut nulli ineſſe, ac vndecunque aſſumatur pronunciatum aliud, ſeu quod c inſit omni a, ſeu quòd b in toto d inſit: eo enim modo fuerit prima figura. Si igitur ponatur a nõ omni b ineſſe, ſyllogiſmus non efficitur, vndecunque pronunciatum alterum petatur: ſin in eo nullo eſt, cùm ſumetur pronunciatum b d, concludetur quidem falſo, non efficietur propoſitum: nã ſi a in nullo b, & hoc in omni d ineſt, a in nullo d inerit: ſit autem hoc ex numero eorum, quæ fieri nequeunt: falſum igitur eſt a in nullo b eſſe: quòd ſi hoc falſum ſit, non continuò verum eſt in eo toto eſſe. Quòd ſi propoſitio c a aſſumatur, nulla fit ratiocinatio: ne tum quidem fit, cùm ponitur a nõ omni b ineſſe: perſpicuum eſt igitur, vniuerſalem affirmationem in prima figura per incommodũ probari non poſſe: probatur autem ea quæſtio, quæ quidpiam in aliquo, tum quæ in nullo, tũ quæ in non omni ineſſe dicitur. Fingamus enim a in nullo b eſſe, & ſumatur b in c, vel toto vel aliquo, neceſſe eſt igitur, a non omni c, aut nulli ineſſe: hoc autem eſt impoſsibile. Faciamus enim ſit verũ ac perſpicuum a in omni c ineſſe: ſi igitur hoc falſum eſt, neceſſe eſt, vt a in

aliquo b inſit, quòd ſi alterum pronunciatum aſſumatur, nullus efficietur ſyllogiſmus: ne tum quidem, cùm contrarium concluſionis ponetur, nempe in aliquo non eſſe, vnde conſtat contradicens eſſe ponendum. Rurſus fingamus a in quodam b eſſe: ſumatur item c in toto a, neceſſe eſt igitur c in quodam b eſſe, ſit autem hoc impoſsibile, falſum igitur eſt quod eſt poſitum, atque ita verum eſt, in nullo eſſe. Eadem eſt ratio, ſi c a ſumatur priuans: quòd ſi ea ſumatur, quæ ipſi b iuncta eſt, non efficietur ſyllogiſmus. Si verò contrarium ponatur, ſyllogiſmus quidem efficietur, ac concludetur quid abſurdum: inſtitutũ autem non probatur: ponamus enim a in toto b ineſſe, & ſumatur c in toto a, ſanè efficitur, vt c in toto b inſit: id autẽ eſt impoſsibile: falſum igitur eſt a in omni b ineſſe: at ſi non omni ineſt, non continuo neceſſe eſt, vt nulli inſit. Idem fieri arbitrandum eſt, ſi alterum pronunciatum ad ipſum b ſumatur: concludetur enim aliquid, idque abſurdum: at hypotheſis non tollitur: contradicens igitur ponendum eſt. Vt autem probemus a non omni b ineſſe, ponendum eſt omni ineſſe: nam ſi a omni b ineſt, & c omni a, c omni b inerit: quod ſi hoc fieri nequeat, falſum eſt quod poſuimus. Itidem fiet, ſi pronunciatum alterum ad b ſumatur. Item ſi illud c a ſit priuans, eodem modo res habebit: ita enim ſyllogiſmus efficitur: quod ſi negatio ad ipſum b poſita ſit, nihil probatur: quod ſi ponatur non ineſſe in omni, ſed in aliquo, nõ efficitur nõ omni ineſſe, ſed nulli: nam ſi a in aliquo b, & c omni a ineſt, c alicui b inerit: quod ſi id fieri nequit, falſum fuit a alicui b ineſſe: verum igitur erat, nulli ineſſe: cùm autem id oſtẽditur verum, rurſus euertitur: nam a in quodã b erat, in quodam

Universidad de Deusto
Biblioteca

non erat. Præterea absurdum non est sequutum ex illa hypothesi, falsa enim fuisset, quandoquidem ex veris falsum concludi nequit: at modò est vera: a enim alicui b ineſt: nõ fuit igitur fingendum, alicui ineſſe, sed omni. Idem quoque fit, si probemus a in quodam b non esse: si enim idẽ valent, alicui non ineſſe, & non omni ineſſe, eadem erit in ambobus probandi ratio. Constat igitur in omni ratiocinatione contradicens ex fictione ponẽdum esse, non contrarium. Eo enim modo, & probandi necessitas erit, & locum habebit postulatum illud præclarum. Nam si in re quauis affirmatio vera est, aut negatio, & probetur negatio non esse vera, necesse est affirmationem esse veram: contrà si affirmationem veram non admittit, par est, & verisimile postulare negationem: contrarium autem neutro modo postulare decet: nec enim necesse est, si falsum est, nulli ineſſe, vt verum sit, ineſſe in toto: nec est verisimile, si vnum falsum sit, alterum verum esse. Constat igitur vniuersalem quæstionem affirmatam in prima figura non probari per incommodum, alias autem omnes concludi.

De secunda figura. Cap. IX.

IN media autem, & postrema figura illa quoque probatur. Fingamus enim a nõ omni b ineſſe, & sumatur a omni c esse: tum si a non omni b ineſt, & ipsi c omni, c non omni b ineſt: hoc autem est impossibile. Sit enim manifestũ c in omni b ineſſe: est igitur falsum id, quod ex fictione positum est: est igitur verum, quòd omni insit. Quòd si fingatur contrariũ, syllogismus quidem efficietur & concludetur quid absurdum, non tamen efficitur quæstio proposita: nam si a in nullo b, in toto c insit, c in nullo b erit:

id autem absurdũ est: falsum est igitur, nulli ineſſe: vt autem hoc falsum sit, non continuo verum est, vt omni insit. Cùm autem a alicui b ineſt, ponatur a in nullo b esse, & sit in omni c, necessario efficitur, vt c in nullo b insit: quòd si fieri nequit, ex necessitate cõsequitur, vt a alicui b insit: quòd si ponatur alicui non esse, ea ipsa efficientur, quæ in prima figura fieri diximus. Rursus fingamus a alicui b ineſſe, ac ipsi c nulli insit, necesse est vt c in b non sit: at inerat omni: falsum est igitur, quod positum est: nulli igitur b ipsum a inerit. Quando verò concludendum est, a non omni b ineſſe, fingatur quasi omni insit, ipsi verò c nulli, necessario efficitur, vt c nulli b insit: id autem est absurdum, verum est igitur quòd non omni ineſt. Atque ita constat, conclusiones omnes in media figura effici.

De tertia figura. Cap. X.

EADEM ratione concludetur in postrema figura. Ponamus enim a, vt in aliquo b non sit, c verò in omni b insit, hinc efficietur, vt a cuidam c non insit. Quòd si hoc fieri nequeat, falsum est, cuidam nõ ineſſe: verum est igitur omni ineſſe. Quòd si ponatur, nulli ineſſe, absurdũ quidem ea ratiocinatione concludetur, sed non tamen efficietur propositum. Nam si ponatur contrarium, ea ipsa efficientur, quæ prius. At vt alicui insit, id poni oportet: nam si a in nullo b ineſt, & c in b quodam, a non omni c ineſt: quòd si falsum sit, verum est a alicui b ineſſe. Vbi verò nulli b ineſt a, ponamus quasi alicui insit, ac sumatur c in toto b ineſſe, inde efficitur necessario, vt a alicui c insit: at nulli ineſſe diximus: falsum est igitur, quod a alicui b insit. Quòd si ponatur a in toto b, non probatur propositum. Sumi autem debet ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

hypothesis ad concludendum non omni inesse. Nam si a in omni b ineſt, & c in quodam b, a in quodam c ineſt: at nõ ita erat: falsum est igitur, quòd omni insit, atque ita verum non omni inesse. Quòd si ponatur, alicui inesse, idipsum accidet, quod & in iis, quæ superius exposita sunt. Constat igitur in omni syllogismo, qui per incõmodum probat, contradicẽs esse ponendũ, ac in figura media affirmationem quodam modo concludi, in tertia etiã quæstionem vniuersam.

INTER eam autem probationem, quæ fit per incommodum, & eam, quæ propositũ concludit, eò interest, quòd illa ponit id quod euertere vult, deducẽdo hominẽ in mendacium confessum: ea autem quæ propositũ concludit, initium sumit ex quæstionibus veris ac cõcessis. Sumũt igitur ambæ pronunciata concessa, sed altera ea sumit, ex quibus efficitur syllogismus: altera verò vnum quidem ex his sumit, alterũ autem sumit conclusionis contradicens, & illic conclusionem notã esse nihil oportet, nec prius sumi ita esse, vel non esse: hic verò necessario sumi debet, non esse ita. Neque verò quicquã refert, affirmet, aut neget conclusio: nam vtrobique eadẽ est ratio, ac quicquid recta probatione concluditur, ex incommodo quoque probabitur. Itidem quod ex incommodo efficitur recta probatione efficietur, ac per eosdem fines, non tamen in iisdem figuris: nam vbi syllogismus in prima figura efficitur, verum colligetur, aut in media, aut in postrema figura. In media quidem, si sit priuãs, in postrema verò, si affirmet: at quando in media figura efficietur syllogismus, vera conclusio efficietur in prima figura: ídque in quouis genere quæstionum. Quòd si in postrema figura syllogismus fiat, efficientur conclusiones veræ,

tum in prima, tum in media figura: in illa quidem affirmantes, in hac negantes: ponamus enim, vt in prima figura effectum sit, a in nullo b inesse, aut non omni, tum hypothesis erat, quòd ipsum a alicui b ineſſet, c verò sumptũ est omni a ineſſe, & in b nullo: ita enim syllogismum effici diximus & incommodum concludi, mediam item esse figuram, si c in a quidem omni, & nullo b insit: ex quibus effici constat, ipsum a in nullo b esse. Eodem modo fiet, si probatum sit, a non omni b inesse: ponitur enim, quòd omni insit, c verò sumebatur in toto a esse, in ipso verò b non omni: hoc idem fiet, si illud c a priuans sumatur, hac enim via efficitur media figura. Rursum probetur a in quodam b esse, profectò singendum est, nulli inesse, b verò in toto c inesse sumebatur: a verò in ipso c, aut omni, aut quodam: ita enim incommodum efficietur, ac tum fit postrema figura, cum a & b in toto c insunt, inde concludi constat, a in quodam b inesse, ídque necessario. Itidem fiet, si b vel a in quodam c inesse sumantur. Rursus probetur in media figura, a in omni b inesse, profectò fingendum est, quasi non omni insit, sumptum est autem a in omni c inesse, b verò in omni c: hoc enim modo incommodum concludetur, ac prima figura est, cum a in omni c, & hoc in omni b ineſt. Tantundem fiet, si in aliquo ineſſe probatum sit: nam hypothesis est, a in nullo b ineſſe, sumptum est autem a in omni c, & c in quodam b: quòd si priuans sit syllogismus, poni quidem debet, a in aliquo b esse, at sumptum est a in nullo c, & c in omni b: efficitur igitur prima figura. Eadem erit ratio: si non in toto sit conclusio, sed effectum sit modo a in quodam b non esse: ponitur enim a in omni b: iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò positũ est a in nullo c, & hoc in omni b: hac enim via efficitur prima figura. Rursus faciamus, vt probatũ sit in tertia figura, a omni b ineſſe, ponitur ex hypotheſi, a non omni b ineſſe: eſt autem iam ſumptũ, eſſe in omni b, & a in omni c: ita enim concludetur incommodum, & fiet prima figura: eadem ratione fiet, ſi probatũ ſit in aliquo eſſe: nam ponitur ex hypotheſi, a in nullo eſſe b, & ſumptum eſt c in aliquo b, & a in omni c. Quòd ſi concluſio ſit priuans ex ſi ctione, ponendum eſt a in quodam b eſſe, poſitum eſt autem c in nullo a, & in omni b, ac media eſt ea figura. Itidẽ fiet, ſi in toto nõ ſit probatio. Sumetur enim ex pacto, a in omni b ineſſe, & ſumptum eſt c in nullo a, & in quodã b, atque ea eſt media figura. Perſpicuum eſt igitur vnamquanque quæſtionem per eadem extrema, tum probatione recta, tum per incommodum cõcludi poſſe. Eadem quoque ratione licebit, vbi ratiocinationes recta probantes fuerint, eas in incommodũ conuertere, in his quæ ſumpta fuerint extrema, dum contradicens propoſitio in cõcluſione ſumatur: efficiuntur enim iidem ſyllogiſmi atque ſunt, qui per conuerſionem fiunt, vnde & continuo figuras ipſas habemus, per quas vnaquæque quæſtio cõcludatur. Cõſtat igitur omnem quæſtionem vtraque via probari, tum per incommodum, tum recto ductu, nec poſſe alteram viam ab altera ſeiũgi.

De ratione concludendi ex contrariis. Cap. XI.

PERSPICIETVR autem hac via, in quanam figura ex pronũciatis contrariis cõcludere liceat, in qua nõ liceat. Contraria autem pronunciata in voce quatuor eſſe dico, nempe omne nullum, omne nõ omne, aliquod nullum, aliquod non aliquod: reuera tria tantùm ſunt contraria: nam quoddam, & non quoddam voce modo pugnant. Ex his autẽ aduerſa ea dico, quæ in toto ſunt, vt omne & nullum: verbi cauſa, omnis ſcientia eſt ſtudioſa, & nulla ſciẽtia eſt ſtudioſa. Alia verò contraria appello. Ac in prima figura ex pronunciatis contrariis non efficitur ſyllogiſmus, nec affirmans, nec negans: affirmans quidem, quia oportet ambo pronunciata affirmantia eſſe: contraria autem ſunt affirmatio & negatio: negans autẽ effici nequit, qua contraria idem de eodem affirmant, & negant. At medium in prima figura de ambobus non dicitur, ſed aliud de eo negatur, ipſum autem de alio affirmatur hæc autem contraria non ſunt. At verò in media figura ſyllogiſmus effici poteſt, tum ex contradicentibus, tum ex aduerſis: ponamus enim bonum in a, ſcientiam autem in b & c: profectò ſi ſumpſit omnem ſcientiam eſſe ſtudioſam, item & nullam: a in toto b ineſt, & in c nullo, atque ita b in nullo c inerit, nulla igitur ſcientia eſt ſcientia. Eadem eſt ratio, ſi primùm ſumpſerit omnem ſcientiam eſſe ſtudioſam, dein ſumat medicinam non eſſe ſtudioſam. Nam a in omni b ineſt, & in c nullo, atque ita quædam ſcientia non eſt ſcientia: item ſi a in toto c, & nullo b ineſt: ac b eſt ſciẽtia, ac vero medicina, a opinio: cũ enim ſumpſiſſet, nullam ſcientiam eſſe opinionem, poſtea accepit quandam ſciẽtiam eſſe opinionẽ. Inter hunc autem ſyllogiſmum, & ſuperiorẽ hoc intereſt, quod extrema conmutentur: nam antea affirmatio ipſi b iungebatur, nũc autem ipſi c. Eodem modo fiet, ſi alterũ pronunciatum in toto altero non ſit: perpetuo enim mediũ manet, quod de vno affirmatur, de altero negatur, atque ita poſſint hîc con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

traria concludi, verum non ſemper, nec ratione quauis, ſed ſi ea ſint inter ſe, quæ ſub medio continentur, vt vel eadem ſint, vel vnum ad alterum rationem totius ad partem habeat: alioqui id effici nequit: neque enim pronunciata, aut contraria, aut contradicentia vllo pacto erunt. At in tertia figura nunquam ex contrariis pronunciatis efficietur ſyllogiſmus affirmans, ob eam, quam ſuperius expoſui rationem, in prima figura: efficietur autem negans ſyllogiſmus, ſeu in toto ſint extrema, ſeu non ſint. Faciamus enim vt loco b & c ſit ſciẽtia, & in locum a ſuccedat medicina: tum ſi quis ſumat omnem medicinam eſſe ſciẽtiam, ac nullam medicinam eſſe ſcientiam, is ſumpſit b in toto a, c autem in eodem nullo: vnde efficietur, quandã ſcientiam non eſſe ſcientiam. Idem fiet, ſi pronunciatum a b in toto ſumptum non ſit: nam ſi quædam medicina eſt ſcientia, rurſus nulla medicina ſcientia ſit, efficitur, ſcientiam quandam non eſſe ſcientiã: ac vbi extrema in toto ſumũtur, efficiuntur pronunciata contraria: quòd ſi alterum in parte accipiatur, ſunt contradicentia. Eſt autem aduertendum, contraria nonnunquam ita accepi poſſe, vt diximus, nempe omnem ſciẽtiam eſſe ſtudioſam. Rurſus aut nullam, aut certè quandam eſſe ſtudioſam, id quod nõ ſolet eſſe obſcurum. Licet & alterũ concludere, vel etiam ſumere ex variis interrogationibus, quemadmodum in Topicis dictum eſt. Cum autem affirmationum tres ſint oppoſitiones, accidit contraria ſex modis accipi, vt totum & nullum, totũ non totum, quoddam & nullum, idque in extremis commutare: verbi cauſa, a in omni c, & nullo b, aut in c toto, in b verò nullo, aut in altero quidem omni, in altero verò nõ omni.

Rurſus id in extremis commutare licet: eadem eſt ratio & in tertia figura. Perſpicuũ eſt igitur, quot modis, ac in quibus figuris ex contrariis pronũciatis ſyllogiſmus effici poſſit. Conſtat etiam ex falſis verum concludi poſſe, quemadmodum antea expoſuimus, ex contrariis non poſſe: concluſio enim ſemper eſt rei aduerſa, vt ſi ſit ea bona, concluditur eam non eſſe bonam: aut ſi animal ſit, efficitur non eſſe animal: idque quia ſyllogiſmus ex contradictione conſtat: extrema autem propoſita aut eadem ſunt, aut alterum eſt totum, alterum verò pars. Liquet etiam nihil vetare in ratiocinationibus vitioſis, quominus concludatur quæſtionis poſitæ contrarium, vt ſi quid ſit impar, id non eſſe impar. nam ex pronunciatis contrariis efficiebatur ſyllogiſmus contrarius: vbi igitur talia pronunciatum ſumpſeris, efficietur contradicens quæſtionis poſitæ. Hoc autem intelligi debet, ex vno ſyllogiſmo contraria non poſſe ita concludi, vt complexio dicat, quod non eſt bonum, eſſe bonum, aut aliquid huiuſcemodi, niſi tale pronunciatum ſtatim initio ſumptum ſit, vt omne animans eſſe album, & non album, hominem autem eſſe animans: quin vel contradictio aſſumi debet, vt quòd ſcientia omnis ſit opinio, & non ſit opinio: deinde ſumendum eſt, medicinam ſcientiam quidẽ eſſe, opinionem tamen nullam, quomodo reprehenſiones fieri ſolent, aut duplici ratiocinatione illud efficiendum eſt: vt autem contraria ſint re vera, quæ ſumuntur, pronunciata, alia ratione, quàm hac fieri nequit, quemadmodum antea expoſitum eſt.

De ratione poſtulandi propoſiti. Cap. XII.

Poteſt autem eius quod in quæſtione eſt, petitio ac ſum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptio, vt pars quædam comprehendi in vniuerſo genere eorum modorum, quibus non bene id, quod propoſitũ eſt, demõſtratur. Id quod multis modis fieri accidit, nempe ſeu nihil omnino cõcludatur, ſeu ex his quæ minus nota ſunt, aut æquè ignota, & ſi ex poſterioribus probetur id, quod prius eſt: demõſtratio enim efficitur ex veriſimilioribus & prioribus: ac in nulla iſtarum poſtulatur propoſitum, ſed cum alia per ſe cognoſci comparata ſint, nonnulla ex aliis (Initia enim per ſeipſa cognobilia ſunt, quæ initiis continentur aliunde) cum id quod per ſe notum nõ eſt, conatur quis per ſe idipſum probare, poſtulatur tum initio poſita quæſtio, id quod ita fieri poteſt, vt continuo poſita quæſtio poſtuletur. Poteſt etiam accidere, vt ad res nonnullas egrediamur, quæ per alias natura probari erãt comparatæ, & ex his prima quæſtio probetur. verbi cauſa, ſi a probetur per b, & hoc per c, c verò ſuapte natura probari poſſit per a. Ita enim fit, vt illud ipſum ex ſeipſo probẽt, qui ita ratiocinantur, id quod faciunt, qui lineas æquè diſtãtes deſcribere ſe arbitrantur: neque enim intelligunt homines illi, ſe ea ſumere, quæ probari nõ poſſunt, niſi lineæ ſint æquè diſtantes: iis itaque qui ſic ratiocinãtur, euenit, vt dicant res ſingulas eſſe, ſi ipſæmet ſint, quomodo res omnes per ſe cognobiles erunt, id quod fieri nequit. Si quis igitur poſtulet a eſſe in c, cum ignotum ſit b eſſe in c, item & a in b, nondum conſtat, an principium poſtulet, ſed manifeſtum eſt eum non demonſtrare: nam quod æquè eſt ignotum, principium demõſtrationis eſſe nequit. Quòd ſi b & c ita ſint inter ſe affecta, vt vel in idem conueniant, vel conſtet ea reciprocari, aut alterum in altero eſſe, poſtulatur quæſtio prima: ſi

enim ea reciprocentur, per illa quoque probauerit a eſſe in b: nunc autem id vetat, nõ modus: ſin id faciat, fecerit quidem id quod dictum eſt, & in tribus reciprocationem efficit. Eadem erit ratio, ſi ſumat b in c ineſſe, cum æquè ſit ignotum, & a in ipſo c, nec dum poſtulatur prima quæſtio, non tamen demonſtrat. Quòd ſi a & b idem ſint, aut ea retro commeent, aut a ſit conſequens ipſi b, poſtulatur quæſtio ea ipſa de cauſa: expoſuimus enim antea, quã vim habeat illud initio propoſitum, nempe quòd ſit per ſe monſtrare, quod per ſe manifeſtum non eſt. Quòd ſi propoſitum poſtulare, eſt per ſe confirmare id, quod per ſe nõ eſt notum. Id autem eſt propoſitum non demonſtrare, cum demonſtratio ſit, & æquè ſint ignota, quod demonſtratur, & ex quo id demonſtratur: aut quia eadem in aliquo eodem inſint, aut quia res eadem iis inſit. Sanè in media figura, & in tertia vtroque modo æquè poſtulari poteſt propoſitum. In ſyllogiſmo autẽ affirmante, tum in tertia, tum in prima. In negante verò, vbi eadem ab aliquo eodem abſunt, nec eodem modo ſe habent ambo pronunciata: Item in media figura, quia extrema non retro commeent in ſyllogiſmis negantibus: ac in demonſtrationibus poſtulatur principium, cum reuera ita ſe habet: in diſputationibus autem dialecticis, non ita fit opinione hominum.

ILLVD autem, quod in diſputationibus ſæpe dicere ſolemus, falſum inquam eam ob cauſam nõ accidere, in iis primum ratiocinationibus accidit, quæ in incõmodum deducunt, cum ad contradictionẽ eius rei pertinebit, quæ per incommodum probata ſit. Neque enim quiſquam dixerit illud non propter hoc, niſi qui cõtradicens dederit, ſed quid-

Universidad de Deusto
Biblioteca

piam falsum esse contendet ex iis, quæ antea sunt posita, nec in ea probatione, quæ propositum concludit, vt in qua non ponitur contradicens. Præterea cum quidpiam recta probatione euersum fuerit, vt per a b c, tum dici non potest syllogismũ ex pronunciato posito non fieri. Tum enim eam ob causam non fieri dicimus, cum ea sublata nihilominus concluditur syllogismus. Id quod in probantibus non accidit, quippe si propositio euertatur, nulla ad eam erit ratiocinatio. Constat igitur ob eam causam in iis syllogismis dici, qui ad incommodum ducunt, cum hypothesis initio proposita ita se habuerit ad incommodum, vt sit ea, vel nõ sit, nihilominus sequatur illud. Ac vnus est modus maximè cõspicuus, quo falsum propter hypothesim nõ efficitur, cum syllogismus ex mediis ad incommodum factus ab ipsa hypothesi absolutus sit, nullo modo coniunctus: quẽadmodum in Topicis dictum est. Illud enim est ponere causam, quòd causa non sit. Verbi causa, si quis probari volent dimetientem esse irrationabilem, conetur Zenonis rationem probare, nihil inquam moueri posse, & in id incommodum rem deducat: nulla enim ratione coniuncta est hæc falsa conclusio cum eo, quod initio dictum est. Alius est modus, cũ conclusio absurda hypothesi quidem continens est & coniuncta, ob eam tamen non sequitur: id enim fieri potest, seu sursum, seu deorsum versus sumas continens: vt si ponatur a esse in b, b in c, c rursus in d: sit autẽ falsum, b esse in d, sanè si vbi a tolletur, nihilominus b ipsi c insit, citem ipsi b, conclusio falsa ex hypothesi initio posita non sequebatur. Rursus si quis sursum versus cõtinens & coniunctum sumat, vt si a sit in b: e verò in a, & f in e, cũ falsum sit f esse

in a: nam hac ratione nihilominus efficietur incõmodum, vbi tollatur hypothesis posita: absurdũ autem cõiungi debet, cum extremis initio positis: ita enim ex hypothesi concludetur. Vt si coniunctum & continens sumas deorsum versus, prædicato coniungas: nam si impossibile sit a esse in b, ipso a sublato nõ sequetur falsa conclusio: sin sursum pergas, subiectum accipi debet: nam si fieri nequit, vt f sit in b, ipso b sublato non manebit incommodum. Eadem erit ratio, vbi priuantes fuerint ratiocinationes. Constat igitur conclusionem falsam expositione nõ sequi, si incommodum cum extremis in initio positis non sit iũctum, ac ne sic quidem falsum perpetuo ob hypothesim cõcludetur: nam si ponatur a, non quidem in b, sed in g inesse, g verò in c, & hoc in d, hoc etiam modo manet absurdum. Idem fiet, si sursum versus extrema sumas: cum igitur seu illud sit, seu non sit, semper sequatur incommodum, expositione non est consequutum: vel certè, quod dicitur, eo sublato nihilominus falsum effici, non est ita accipiendum, quasi si aliud ponatur, sequatur incommodum: sed cum eo sublato idem incommodum ex pronunciatis, quæ restant, efficitur: quandoquidem nihil est absurdum, eandem conclusionem falsam per multas hypotheses effici. Verbi causa, quod æquè distantes concurrant, seu interior angulus exteriore sit maior, seu triangulus plures duobus rectos habeat.

De falsa ratione. Cap. XIII.

Efficitur autem ratio falsa ex eo, quod prius falsum fuit, quippe cũ syllogismus omnis duobus pronũciatis aut pluribus constet. Quòd si ex duobus constet, necesse est aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

alterum, aut vtrunque falsum esse, quandoquidem ex veris falsa conclusio effici non potuerit: sin ex pluribus constet, vt si c per a b probetur, & hæc per d e f g: nam in his est aliquid ex superioribus falsum, gratia cuius collecta est conclusio: nam a & b ex illis concluduntur: ex illis igitur efficitur conclusio, eáque falsa. Vt autem ratione non decipiamur, & vincamur, obseruãdum est diligenter, dum aduersarius rationes postulat sine conclusionibus, ne in pronunciatis eadem res bis concedatur: quandoquidem intelligimus sine medio syllogismum nullum effici. Mediũ autem appellatur id, quod sæpius dicitur: quòd si nouerimus, quid in quaque figura concludatur, perspicuum inde fuerit, qua ratione medium sit obseruandum in vnaquaque conclusione. Illud autem non potest tibi esse obscurum, si quidem intelligis quale sit propositum, quod defendis. Quod autem respondentibus obseruandum præcipimus, id occultare debent, qui argumẽtantur, vel certè id conari: id quod fiet primum, si conclusiones antea non confirment, ac concludant, sed post propositiones necessarias assumptas illæ obscuræ maneant, ac prætermittentur. Præterea si quis ea, quæ propinqua sunt, non roget, sed ea inter quæ plurima sint media: verbi causa, faciamus, vt concludi oporteat a de f, ac media sint b c d e: peti igitur debet, an a sit in b. Rursus non quidem, an b sit in c, sed vtrum d sit in e, deinde an b sit in c: eadémque ratione cætera sumi debent: quin & à medio incipiendum est, si per medium vnicum efficitur syllogismus, eo enim modo respondentem maximè fefellerit. At verò quoniam intelligimus, quando, quáque ratione dispositis extremis efficiatur syllogismus, perspicuum

est, quando sit futura reprehensio, quando non sit: fieri enim potest reprehensio, vbi omnia conceduntur, aut ordine mutato ponuntur responsa, nempe si alterum neget, aiat alterum. Syllogismum enim fore diximus, seu hoc, seu illo modo dispositis extrema. Itaque si quid concedatur conclusioni contrariũ, necesse est reprehensionem fieri: est enim reprehensio, syllogismus contradictionis. Quòd si nihil concessum sit, fieri nequit reprehensio: nec enim efficiebatur ratiocinatio, vbi omnia pronunciata negantia essent: quare nec reprehensio. Nam si sit reprehensio, syllogismum quoque esse oportet: non tamen si sit syllogismus, continuò reprehensionem esse necesse est. Eadem erit ratio, si in respondendo nihil ponatur vniuersum, cum reprehensionis ac syllogismi eadem sit ratio.

De deceptione quæ in opinione oritur. Cap. XIIII.

QVEMADMODVM autem in extremorum dispositione decipimur, ita in opinione deceptio quoque accidit: vt si quid duobus primum inesse posit, & alterum quis ignoret, putétque nulli inesse, alterum verò nouerit. Faciamus enim, vt a in b & in c per se insit, ea item in toto d eodem modo: profectò si putet a in toto b esse, & hoc in c: a verò in nullo c, hoc autem in toto d, rem eandem simul cognoscet, & ignorabit. Rursus si quis fallatur in iis, quæ sunt ex eadem cõiugatione, vt si a sit in b, & hoc in c, c rursus in d: & opinatur a in toto b inesse, & in nullo c: simul enim nouerit, & non opinabitur inesse, aliúdne igitur hinc sibi vult, quàm quòd nouit, id se non opinari? Nouit enim quadamtenus a esse in c per b, quo modo pars in

Universidad de Deusto
Biblioteca

toto cognoscitur: atque ita quod quis quadamtenus nouit, id se planè opinari putat: id quod fieri nequit. In eo autem, quod prius est dictum, nemo opinari potest, ambas propositiones secundum media ambo, si non ex eodem ordine medium sumptum sit, vt si a sit in toto b & in nullo c, & hæc ambo in toto d: ita enim euenit, vt prima propositio sumatur, vel in totum, vel certè quadamtenus cõtraria. Nam si arbitretur, cuicunque insit b, illi omni inesse a, ac nouerit b esse in d, profectò is nouit d esse a. Si igitur è cõtrario putet, cuicunque insit c, in eo nullo esse ipsum a, is non putat a esse in aliquo, cui insit b: hæc autem aut omnino, aut aliqua ex parte cõtraria sunt, arbitrari, inquam, cui b insit, illi omni inesse a, & rursus cui b insit, ipsi alicui nõ existimare a inesse. Ac eo modo opinio concipi nequit. At nihil vetat ex vtroque pronunciatum alterum opinari, vel ex altero vtrunque, vt a in toto b esse, & b in d, rursus a in nullo c: est enim is error ei similis, quo in particularibus hallucinamur, vt si a sit in toto b, & hoc in toto c, a in toto c inerit. Si quis igitur nouerit, cuicũque b insit, ei toti inesse a, profectò nouit inesse ipsi c: at nihil prohibet, quominus ignoret ipsum c esse. Vt si a sit duo recti, in b verò triangulus, in c triangulus sensibilis. Posit enim quis arbitrari c non esse, etiã si nouerit omnem triangulum habere duos rectos: simul igitur rem eandem nouerit, & ignorabit: nosse enim triangulum omnem habere duos rectos, varium est ac multiplex: est enim tum in toto id scire, tum sigillatim: ac nouit quidem scientia vniuersa c habere duos rectos: singulari verò non item: ita fit, vt non habeant cõtrarias opiniones. Idem existimandum est de ratione illa scripta in Menone, scientiam

inquam esse reminiscentiam: nunquam enim fit, vt res singularis anticipata cognitione sciatur, sed dum inductione vtimur, simul rei particularis scientiam sumamus, quasi eam in memoriam reuocemus. Quædam enim sunt, quæ statim vbi vidimus, cognoscimus: vt duobus rectis, si nouerimus triangulum esse: id quod eodem modo fit in aliis. Cognitione igitur vniuersa particularia cognoscimus: propria ac particuliari nescimus. Quo fit, vt in iis hallucinemur, nõ tamen opinione contraria: sed dum cognitionem vniuersalem habemus, decipimur particulari. Eadẽ est ratio eorum, quæ superius exposuimus. Error enim ex medio non est ei scientiæ contrarius, quæ syllogismo parta est, nec opinio ea, quæ ex vno medio nascitur, contraria est ei, quæ ex altero comparatur. Nihil autem prohibet, qui nouerit a in toto b esse, & hoc in c, eum arbitrari, non esse a in c: verbi causa, omnem mulam sterilem esse, opinari potest, & hanc esse mulam, cùm tamen eam vterũ ferre putet: nec enim is scit a esse in c, nisi qui vtrunque simul cognoscit. Constat igitur si alterum nouerit, & alterũ ignoret, eum falsum iri: quo modo se habẽt vniuersales scientiæ ad particulares: neque enim sensibilium quicquam scimus, si à sensu absit, ne si illud quidem etiã senserimus, nisi fortè eo modo, quo rem vniuersam scimus, & quatenus propriam cognitionem illius habemus, non quasi actu illam exerceamus. Scire enim tribus modis dicitur, nempe aut cognitione vniuersali, aut particulari, aut actu & operatione: quare totidẽ etiã modis intelligitur hallucinari. Nihil igitur vetat, quempiam in re eadem tum scire, tum decipi, non tamen contrario modo ei accidit, qui ex vtraque propositione rem nouit, neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

has prius expendit: qui enim putat mulam vterum gestare, is non habet actu veram scientiam, nec item errorẽ scientiæ contrarium, ob huiuscemodi opinionẽ. error enim vniuersali contrarius est syllogismus. At verò qui bonũ malũ esse arbitratur, is idem esse putat, bonũ esse, ac malum: ponamus enim, bonum esse in a, malum verò in b. Itẽ bonum esse in c, tum quia idem esse putat b & c, profectò arbitrabitur c esse b, item & b esse a: eadẽ ratione, atque ita c esse: vt enim si verum sit, de quo c dicatur, b dici, item de quo b, ipsum a, profectò a de c verum fuerit: nõ aliter in opinione res habet. Idem existimãdum, in quo res sit: cùm enim c & b eadem sint, b item & a, profectò c & a eadem fuerint. Ac in opinione eodem modo res habet: an verò si quis primum admiserit, id protinus necessarium est? at illud fortasse falsum est, quempiam, inquam, arbitrari bonum esse malum, nisi fortè accidentario: nam id variis modis arbitrari licet: id autem diligentius est perspiciendum.

De iis quæ in prima figura fiunt reciprocationibus. Cap. XV.

VBI extrema retro commeent, necesse est medium quoque cum vtroque reciprocari: nam si a est in c per medium b, si illa commeent, vt cuicunque ei insit a, c quoque omni insit, profectò b cum a reciprocatur: & cuicunque inest a, ei omni inest b per medium c, ac c cum b reciprocatur per medium a. In negatione tantundẽ fit, vt si b sit in c, a vero in b non sit, ne a quidem in c erit: profectò si b cum a commeat, c quoque cum a commeabit: faciamus enim b inesse in a, nec c igitur erit: quãdoquidem b omni c inerat: quod si cum b commeet, c quoque cum a commeabit. In quocũque

enim dicitur b, c quoque dicitur. Item si c cum a conuertatur, b quoque conuertetur: nam in quo est b, in eo quoque est c: in quo autem est c, a non inest, & id solùm à conclusione initium ducit: aliorum non est eadẽ ratio, quemadmodum & in affirmãte syllogismo. Rursus si a & b conuertẽtur, c item & d, sit autem necesse in re quauis a vel c inesse, profectò b & d eiusmodi erunt, quorum alterum in re quauis insit: nam quia in quocunque est a, ineſt b, in quo item est c, ineſt quoque d: at in re quauis aut a aut c ineſt, nõ in eadem simul: liquet igitur in omni re aut b dici aut d, & nõ ambo simul: verbi causa, si quod ingenerabile est, incorruptibile quoque est. Item quod est incorruptibile, est ingenerabile: necesse est quicquid generatum est, caducum esse, & quicquid caducũ est, genitum esse: cõponũtur enim duæ ratiocinationes. Rursus si in re quauis a ineſt aut b, itẽ c vel d, nec in eadem simul, si a & c reciprocantur, b quoq; & d retro commeent: nam si cui rei d ineſt, in ea non sit b, constat a in ea esse: quòd si sit, c quoque ineſt, quippe cùm retro cõmeent: simul igitur c & d in eadem re erunt: id autem fieri nequit. Quando verò a in toto b, in c item toto ineſt, & de nulla re alia dicitur, b item in toto c ineſt, necese est a & b retrouerti: cùm enim a de b & c tãtum dicatur (dicetur autẽ b, tum de seipso, tum de c) perspicuũ est de quibus dicitur a, de iis quoque omnibus b dictum iri, præterquã de ipso a. Quando item a & b in toto c insunt, & c retrouertitur cũ b, necesse est a in toto b ineſse: cùm enim a in omni c insit, c item in b, quia commeent illa, a quoque in omni b inerit: quãdo verò ex duabus rebus propositis altera fuerit magis, quàm altera expetenda, vt a quàm b, cùm illæ con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trariæ sint. Eadem ratione b magis expetendum quàm c: si a c magis sunt expetenda quàm b d, ipsum a magis expetendum est quàm d: æquè enim a persequẽdum est, ac b fugiendum, cùm hæc sint contraria, c item æquè ac d, quippe cùm illa quoque cõtraria sint: si igitur a æquè expetendum est, ac d: profectò b æquè fugiendum est, ac c: vtrunque enim æquè fugiendum est, atque alterum expetendum: quòd sit, vt ambo a inquam & c, æquè atque illa b d fugienda sint, aut prosequenda: nam quod maius est, par esse nequit: nam b d æqualia erant. Sin d sit ipso a magis expetendum, sanè b minus fugiendum erit quàm c: minori enim minus opponitur: at maius bonum, & minus malũ magis expetenda sunt, quàm bonũ minus, & maius malum: totum igitur b a magis persequendum est quàm a c: at non ita est: a igitur magis expetendum est quàm d, & c quoque minus fugiendũ quàm b. Ac si id sibi proponit in amore, quicunque amat, ipsum inquam a nempe ita esse affectum, vt gratificetur, & non gratificari sit in c, vel certè gratificari in d, in b verò eum non esse, qui gratificetur: constat a talem inquam esse, magis esse expetendum quàm gratificari, atque ita in amore amor congressui est præponendus: amor igitur in affectu est potius quàm in congressu: quòd si in eo potius collocatur, vt is sit illius finis, profectò congressus, aut nullo pacto est, aut dilectionis causa: eo enim modo fiunt desideria alia, & artes. Perspicuum est igitur, quanam ratione se habeant extrema in reciprocatione, in comparatione. Item persequendorum & fugiendorum.

HOC loco nobis exponendum est, non dialecticas modo ratiocinationes ac demonstrationes per superiores figuras effici, sed & oratorias ac omnem omnino probationem in quauis ratione docendi. Res enim omnes probamus aut ratiocinatione, aut inductione. Ac inductio & ratiocinatio ex ea tum fit, cùm alterum extremum de medio concluditur per alterum: vt si in his a c, medium sit b, & probetur a esse in b per c: hac enim via inductiones facere solemus: verbi causa, sit a longæuum, b verò vacans bile, in c singula longæua, vt homo, equus, mulus: sanè a est in toto b, quicquid enim bile vacat, est longæuum: quinetiã b, nempe vacans bile, est in toto c: quòd si c retrouertatur cum b, nec medium excedat, necesse est a esse in b: quippe cùm antea à nobis probatum sit, vbi duo eidem rei insint, & extremum cum altero eorum reciprocetur, alterum eorum quæ dicuntur ei inesse, quod reciprocatur: est autem c intelligendum quasi quid ex vniuersis singulis compositum: nam inductio ex omnibus efficitur: ea autem ratiocinatio primam propositionem concludit, & quæ medio caret: in his enim quæ medium habent, efficitur syllogismus ex medio. In his verò quæ medio carent, fit per inductionem. Ac inductio ratiocinationi contraria est aliquo pacto: hæc enim ex medio probat extremum in tertio: illa verò ab extremo confirmat tertium in medio. Natura igitur antecedit, & est notior ea ratiocinatio, quæ per medium efficitur: ratione nostri magis est perspicua, quæ fit per inductionem.

De exemplo. Cap. XVI.

EXEMPLVM autem tum est, quum extremum in medio inesse probatur, ex eo quòd sit simile tertio: debet autem notius esse, & magis perspicuum, quòd mediũ sit in

Universidad de Deusto
Biblioteca

tertio: & primum in illo singuli: verbi causa, cõstituamus in a malum: in b, suscitare bellum in finitimos: in c verò, Athenienses aduersus Thebanos: in d, Thebanos in Phocenses: iam si probare velimus, perniciosum esse cõmittere bellum cum Thebanis, primum sumendum est, perniciosum esse in finitimos bellum gerere: id quod probatur ex simili, nempe quòd Thebanis aduersus Phocẽses perniciosum fuerit. Cùm igitur in finitimos bellum gerere perniciosum sit: in Thebanos autẽ bellare, est bellum gerere in finitimos: constat igitur in Thebanos bellare perniciosum esse. Ac constat b in c, & d inesse: vtrũque enim est in finitimos bellũ committere. Constat item a esse in b, nam Thebanis nullam vtilitatem attulit bellum in Phocenses: probabitur autem a esse in b per ipsum d. Eodem modo fiet, si ex multis similibus probetur medium in extremo esse. Hinc igitur manifestum est, exemplum non habere eam rationem, quam totum ad partem, aut pars ad totum: sed quam pars vna ad alteram habet, cùm ambæ in eodem toto cõtinentur, altera autem est notior: ab inductione autem eo differt, quòd ea ex vniuersis singulis extremum in medio esse confirmabat, nec connectebat syllogismum ad extrema. Exemplum autem coniungit quidem, ex omnibus autem non probat.

De abductione. Cap. XVII.

ABDVCTIO verò est, quando constat primum in medio esse: an verò medium sit in postremo, ignotũ quidem est: æquè tamen credibile est, vel certè magis quàm ipsa conclusio. Iam verò si pauca media intercedant inter postremũ & medium, ita enim fit, vt ad cognitionem propius omnino accedat: verbi causa, sit a res cognobilis, in b verò locetur scientia, in c intelligatur iustitia: sanè constat scientiam esse cognobilem. An verò iustitia sit scientia, obscurum est, & non compertum. Quòd si æquè, vel magis credibile sit, b esse in c, ac a in c, tum est abductio: cum enim rei scientiam antea non haberemus, propius ad eam accessimus, in assumendo pronunciato a c. Rursus si pauca sint media inter b & c: nam eo quoque modo propius cognitionem res est: exempli gratia, si d sit quadrati, & in e rectilinea figura, in f circulus: tum si inter e & f vnicum sit medium, nempe vt per vmbellas circulus efficiatur par figuræ rectilineæ, sanè res est prope cognitionem: quando verò b c magis credibile non sit, quàm a c, nec pauca eorum sunt media, abductionem tum non appello, nec item cum b c medio vacat: id enim est scientia.

De refutatione. Cap. XVIII.

REFVTATIO verò est pronunciatũ alteri cõtrarium. Inter hanc autem, & pronunciatũ hoc interest, quòd hæc in parte esse potest, pronunciatum omnino nequit, vel certè in syllogismis vniuersalibus nõ potest. Obiicitur autem refutatio duplici ratione, & in duabus figuris: bifariã quidem: aut enim in toto est, aut in parte omnis: in duabus figuris, omnes enim afferuntur cõtrariæ pronunciato: contrariæ autem in prima & tertia figura concluduntur tantum: nam cum quis postulat quidpiam in aliquo toto esse, occurrimus, vel quòd nulli insit, vel quòd in aliquo non sit: ex quibus illud in prima figura colligitur, hoc in postrema figura: verbi gratia, intelligamus in a vnam esse scientiam: in b verò collocetur, aduersa: sanè si quis proposuerit, vnam

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse aduersorum scientiam, occurrit alter, vel quòd contrariorum eadem non sit omnino scientia: aduersa autem sunt contraria, atque ita efficitur prima figura: vel quòd rei notæ & ignotæ non sit vna scientia, ea autem est figura tertia: nam in tertio, cognito inquam & incognito, verè dicitur, ea aduersa esse: cum tamen falsum sit, vna scientia illa contineri. Eadem est quoque ratio in pronunciato priuante: si quis enim petet contrariorum non esse vnam scientiã, continuo ei occurrimus, aut omnium contrariorũ esse eandem, aut certè quorũdam aduersorum, vt sani & ægri, ac omnium vnam esse probamus in prima, quorũdam verò in tertia. Nã in omnibus omnino pronũciatis vniuersalibus, quæ quis pro exceptione adfert, id videndum est, vt illud quod contra adfertur, sit vniuersale aliquid ad rem propositam: vt si petat non eandem esse aduersorum omnium scientiam, dicat ille, cõtrariorum vnam esse: eo autem modo necesse est primam figuram effici. Est enim mediũ vniuersale quid quæstionem initio propositam: In parte autem si quid opponere velis, aliquid afferendum est, ad quod subiectum propositionis sit vniuersale, vt cogniti & incogniti non esse eandem scientiam, aduersa enim totum sunt adilla, & ita fit tertia figura. Nã quod in parte sumitur, medium est, vt cognitum & incognitum: nam ex his refutationes afferre conamur, vnde contrarium concludere possumus: quapropter per eas figuras solas asserimus, nam in his tantùm contrariæ conclusiones efficiuntur: nam in media figura nulla affirmatio colligebatur. Iam verò vt in ea fieri posset, certè prolixiori ratione opus esset ad refutationem in media figura colligendam, vt si non concesserit, a esse b, quia c non sit ipsi consequens: id enim per alias propositiones facilè intelligitur, at refutationem aliò diuerti non oportet, sed continuo alteram propositionẽ perspicuam habere: quamobrem in vna hac figura non est signum. Sunt autẽ aliæ quoque refutationes expendendæ: cuiusmodi sunt, quæ de cõtrario feruntur cùm simili, tum etiam opinabili. Item, positne sumi particularis in prima figura, aut priuans in media.

De consentaneo & signo. Cap. XIX.

Non est autem res eadem, consentaneum & signum: sed consentaneũ & verisimile, est probabile quoddã pronunciatum: quod enim plurimum vulgo norũt ita fieri, vel non fieri, esse item, vel non esse, id est verisimile, ac consentaneũ: vt oderint qui inuident, diligant qui amant. At signũ suapte natura est pronũciatum, vel demõstrabile, vel necessariũ, vel probabile: id enim est signum, quòd res sit vel fuerit, quòd dũ est, vel fit, vel prius, vel posterius res ipsa facta est.

De enthymemate. Cap. XX.

EST igitur Enthymema ratiocinatio imperfecta ex verisimilibus vel signis. Intelligitur autẽ signũ tribus modis, quot & medium in figuris: aut enim ita se habet, vt in prima, aut in media, aut vt in tertia figura: verbi causa probare mulierem vterumferre, quia lac habet, ex prima figura est. nã medium est lac habere, ac in a ponatur vterum ferre: b verò sit lac habere, mulier verò in c ponatur. Illud autẽ sapientes inquã viros esse probos, quia Pittacus sit probus, per vltimã figuram efficitur: ponamus in a probũ, in b

Universidad de Deusto
Biblioteca

sapientes, in c Pittacum: profectò verè dicuntur a & b de c: cæterum alterum prætermittunt, quia illud norunt, alterum autem assumunt: illud autem, mulierem inquam vterum gestare, quia palleat, per secundam figuram effici solet. nam quia vterum gestantibus pallor est consequens, & huic quoque consequens est, effectum inde putant eam vterum gestare. Sit pallidum in a, in b vterum ferre, in c mulier: vbi igitur vna tantùm propositio dicitur, signum est modo: sin altera assumatur, tũ est syllogismus: verbi causa, Pittacus est liberalis: nam ambitiosi sunt liberales, & Pittacus est ambitiosus: vel contrà, sapientes esse viros probos, quia Pittacus est vir probus, & idem est sapiens. Fiunt igitur ad hunc modum syllogismi. Cæterum qui in prima figura efficitur, dilui nequit, si verus sit, cum sit vniuersalis: qui verò in postrema figura efficitur, dissolui potest, etiã si vera sit conclusio, quia nec vniuersalis est syllogismus, nec ad rem: vt enim Pittacus sit vir probus, non cõtinuo necesse est, alios sapientes esse probos. Qui verò in media figura efficitur, is semper, & ratione quauis solui potest: neque enim efficitur syllogismus vnquam, dum extrema ita sunt collocata: vt enim mulier vterum gestans sit pallida, hæc etiam mulier palleat, non ideo necesse est hanc vterũ ferre: in omnibus igitur figuris verum efficietur: differũt autem eo, quo dixi, discrimine. Sanè vel hac ratione diuidi debet signum, & medium in illis constituendum est indicium, ac propria rei nota: aiunt enim indicium esse id, quod rem cognoscendam præbet, medium autem maximè est istiusmodi: vel certè appellatione signi intelligenda sunt ea, quæ sunt in extremis: indicia autẽ appellanda sunt, quæ in media figura ponuntur. Nam quod in prima figura collocatur, admodum credibile est, & maximè verum.

De ratione naturæ coniectandæ. Cap. XXI.

POTEST autem fieri, vt coniiciatur natura & ingenium, si quis concedat, naturales affectiones corpus simul cum anima immutare: nam qui musicam edoctus est: animo fortasse est immutatus: at ea affectio non est ex earũ numero, quæ nobis naturales sunt, sed aliæ potius. Cuiusmodi sunt iracundia, concupiscentia naturalium mutationum: profectò si quis hoc concesserit, & vnius rei vnum esse signũ, & accipere possimus suam cuiusque generis affectionem ac signum, naturam coniectare poterimus. Nam si alicui generi vni sua est & propria affectio, vt in leonibus fortitudo, necesse est quoddam esse signum, quippe cum sit confessum ea sese mutuo afficere. Sit igitur illud, quod ingentes habent membrorum extremitates, id quod in aliis quidem generibus reperitur, sed non totis: nam ita demum signum est proprium, quia affectio totius generis propria est, non vnius tantum, quo modo loqui solemus. Sanè id in alio genere inerit, erítque homo fortis, item & quodpiam aliud animans: habebit igitur signum illud: vnius enim rei vnum esse signum diximus. Si igitur hæc ita habent, & in animantibus huiuscemodi, quæ affectionem vnam propriam habent, ea signa colligere poterimus, vnaquæque autem affectio suum habet signum: quãdoquidem vnum habeat necesse est, profectò naturam ac ingeniũ coniectare poterimus. Sin totũ genus duas habeat affectiones proprias,

quemadmodum leo & fortis est, & sauciabilis, quo pacto cognoscemus ex signis illis propriè consequentibus, vtrum vtrius sit signum? an si in alio quodam, non toto ambo sint, & in quibus non totis vtrunque insit, cum vnum habeat: alterum non item: nam si fortis sit, nec liberalis, & ex duobus hoc habeat, constat id in leone signum esse fortitudinis. Coniectatur autem natura, & ingenium in prima figura, cum medium cum priori extremo reciprocatur, & excedit tertium, nec cum eo commeat: verbi causa, sit a fortitudo, extremitates magnæ in b, leo in c: profectò in quo est c, in eo toto est b, item & in aliis. In quo autem est b, in eo toto est a, nec in pluribus dicitur, sed retrouertitur: alioqui non esse vnius rei vnicum signum.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS
de Demonſtratione, ſiue.
DE SECVNDA PARTE
Ἀναλυτικῶν, Libro duo.

Nicolao Gruchio Rothomagenſi interprete.

PARISIIS,
Ex officina Gabrielis Buon, in clauſo Brunello, ſub ſigno D. Claudij.
1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

NICOLAVS GRVCHIVS DISCIPVLIS SVIS S.

EGO semper in ea fui sententia (optimæ spei adolescentes) nullum esse Arist. librum, cuius non esset cùm propter rerum optimarum cognitionem, tum propter singularem exquisitámque docendi rationẽ, summa vtilitas. Sed inter omnes mihi multis nominibus, primas partes semper obtinere visus est liber de Demonstratione: in quo omnis docendi, discendi, ac tractandi quicquid sub scientiam cadere possit, ratio continetur. Ego verò illud etiam in omnibus, quas adhuc vidi, philosophiæ scholis animaduerti, nullum esse Aristotelis librum, qui negligentius legatur, cuiúsque vtilitas minus percipiatur. Vnde autem illud malum omnes scholas inuaserit, excogitare aliud non possum, quàm quòd nimis pertinaciter aliorum consuetudinem obseruamus: ita ut sæpe non tam quid verum sit, quàm quid in more positum, exquiramus. Neminem hac in re doctorem accuso: tantum consuetudinem, penes quam culpa est, non possum non damnare: per quam factum est, vt in omnibus philisophiæ scolis liber iste potius legeretur, nequid, quod in more esset, omissum videretur, quàm vt immensus fructus perciperetur. Eum librum ego vestro nomine, adolescentes mihi charissimi, horis succisiuis, quibus mihi à prælectionibus erat otium, de græco verti: vt in ea potissimum re in qua summa esset vtilitas, etiam otij nostri, quod non magnum esse scitis, fructum aliquem non illum quidem indebitum (nam quid præceptor tabus præsertim discipulis non debet?) sed vobis certè inexpectatum, percipere-tis. Id autem eò vehementiore studio feci, quòd eum librum tam malè, ne dicam barbarè, versum esse sciebam, vt non dubitarem quin ex vitiosa & barbara interpretatione nata obscuritas, studia vestra esset retardatura: & expectatã inde vtilitatẽ maxima ex parte impeditura. Verti itaque hũc librũ atque ita verti, vt Ciceronis ego cõsiliũ secutus, nõ singula verba pro singulis superstitiosè redderẽ: sed quia hoc tantùm mihi propositũ esse existimarẽ, vt quod optimè græcè Aristoteles scripserat, non malè latinè verterem: illud autẽ etiam non ignorarem, linguam latinam multis dicendi formulis vti non posse, quibus græca rectè vteretur, idcirco rebus quàm potui diligẽtissimè expensis, latina verba ad eas explicandas ita accommodaui, vt non verba verbis, sed sententijs modò sententiæ responderent. Hoc genus interpretandi si quis non probet, velit autem potius singula verba curiosius esse persequenda, eius iudicium eò minus reformidabo, quòd necesse est vt mecum Ciceronem non modò dicendi, sed etiam interpretandi principem, in eo accuset, in quo à viris doctissimis maximam laudem & admirationem est consecutus. Hunc ego authorem non in ratione tantum interpretandi, sed etiam in verbis, vbicunque potui, secutus sum: in

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus autem locis nil apud eum reperi quod pro græcis verbis reddere possem, partim ex alijs receptæ fidei authoribus, quod ad rem nostram pertineret, desumpsi: partim vsitato in scholis verbo vsus sum. Hinc sunt illa verba, mediatum, immediatum, suppositio, & alia nonnulla: quæ quoniam mihi à formis latinorum verborum non videntur longè remota, vsurpare illa non valde dubitaui. Ego enim vt semper nimiam in seligendis verbis negligentiam vituperaui, ita nunquam religionem nimiam probandam esse existimaui.

Accipite igitur adolescentes optimi, singularis mei erga vos amoris non obscuram significationem: & qui in vestram omnium gratiam liber scriptus est, vobis dicatus, sub vestro omnium nomine appareat Valete. Conimbricæ, Ex regio gymnasio, Idibus Februarij,

1542.

ARGVMENTVM.

MAGNA est & latè patens huius libri vtilitas, sed magno doctrinarum omnium incommodo paucis cognita. Id quod ij apertè indicant, qui nuper libris editis, cum omnes Aristotelis libros, tum verò hunc maximè insectati sunt. Nam si vllam partem ingenij Aristotelis attigissent, aut si suauitatem ipsius doctrinæ vel minimùm degustassent, aliud profectò scribendi argumentum quæsissent, quàm in Aristotelis libros animaduersiones. Sed potius tanti ingenij subtilitatem admirati, aut tarditatem suam accusarent, si quicquam minus intelligerent: aut quæ scripta in Aristotelem edi derunt, vel ad eum illustrandum, vel in ipsius aduersarios conuertissent. Nequis igitur his decipiatur impostoris, vt omnes intelligant quàm valde fallantur, qui parum aut nihil fructus in ijs libris esse existimarunt, conabor, quid, ad quem vsum, & quomodo hoc nos libro Aristoteles docuerit, paulò quidem latius quàm argumenti fortassè breuitas postulat, sed tamen quàm briuissimè potero, explanare.

Quodnam sit Aristotelis institutum, in ijs quatuor libris quos inscriptione ἀναλυτικῶν legimus, ipse Aristoteles docet, tù initio primi libri de Ratiocinatione, tum ad finem 17. cap. secundi de Demonstratione. Ex ijs enim locis intelligimus nil aliud ijs libris voluisse Aristot. docere, quàm quid, qualisque sit scientia demonstratiua. Nihil autem est scientia demonstratiua, quam omnis quæ per demonstrationem acquiritur scientia. Itaque qui demonstrationem nouerit, quid, qualis, & quomodo conficienda sit, demonstratiuam scientiam cognouerit. Iam autem quia omnis demonstratio est ratiocinatio quædam, in cõque maximè sita est omnis demonstrationis vis, vt vim tuæ conclusionis nunquam celes (in quo à Dialecticis rationibus distinguitur) sed quàm apertissimè peri potest, ex sumptionibus id necessariò efficias, quod demonstrandum proposuerat: propterea fuit necesse, vt non modò de Demonstratione ageret, sed etiam tum vniuersam, partes ac proprietates ratiocinationis explicaret. Continetur igitur duabus partibus vniuersa doctrina ἀναλυτικῶν. Vna est de syllogismo, duobus libris absoluta. Altera est de Demõstratione, duobus item libris cõprehensa. Idem enim est (vt scribit Aristoteles cap. 17. libri 2. de Demonstratione) nosse demonstratiuam scientiam, quod ratiocinationis atque demonstrationis naturam intelligere. Illa autem disciplina, cuius finis est demonstratiua scientia, subiectum, ipsa demonstratio, ab Aristotele Analytice appellatur, & primo Rhetoricorum, & primo libro de Demonstratione cap. 18. Itaque non incommodè Analyticen à fine hoc modo definies: Analytice est scientia quæ ad cognitionem omnis scientiæ demonstratiuæ pertinet. A subiecto autem, hoc modo: Analytice, est scientia quæ in explicanda natura, partibus ac proprietatibus demonstrationis versatur. A partibus verò hoc modo: Est scientia quæ tota ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiocinationis & demonstrationis cognitione continetur. Porrò autem huius appellationis causam intelligemus, si modò vsum ac vtilitatem huius doctrinæ cognoscamus. Ac primùm illud certum est, omnem certam ac firmam rei cognitionem, aut intelligentia concipiente impressas sensibus species contineri, aut argumenti necessaria conclusione. Duobus autem illis perficitur omnis scientia. Nam priore modo principia cognoscuntur, posteriore conclusiones. Sed quoniam in priore illo cognoscendi genere parum est artis: perficitur enim solis propemodùm naturæ instrumentis, sensu, cogitatione, experientia: alterum autem totum genus via & ratione continetur: propterea de priori illo cognoscendi modo, aut nil, aut parum tractandum est: alterum genus, quia arte quadam absoluitur, explicandum est. Non enim quæuis ratio ad probandum aliquid adhibita, scientiam parit: sed ea demum, quæ tibi rem ita facit perspectam, vt quin ita res habeat, dubitare non possis. Nihil enim scientia est, quàm certa ac firma rei quæ tibi dubia esse potuit, cognitio. Ergo quia omnes scire desiderant, nec hominis vnquam animus conquieuit, nisi cùm quàm certissimè fieri potest, quantumque rei fert natura cognouit: certò autem cognosci non potest, nisi adhibita ad fidem faciendam ratio sit necessaria: propterea necesse est, vt quænam & qualis sit illa ratio cognoscamus: vt quum res proposita erit, quam scire cupiamus, accommodare hanc rationẽ ad eam possimus. Illa autem ratio ἀνάλυσις appellata est à Græcis, à Latinis autem demonstratio, vel, vt Quintilianus vocat, euidens probatio. Est igitur Analytices summa vtilitas, quæ huius demonstrationis vim vniuersam, omnes partes, omnes proprietates explicat: si quidem hac adiuti scientia omnem docendi, discendi, explicandi, quicquid nobis sit propositum ad sciendum, rationem tenemus. Hanc si sciamus proposita quacunque re, de qua posit esse scientia, eam ita tractabimus, vt nulla ratione posit melius doceri. Hæc scientia est quæ ab Aristotele secundo Metaphysic. modus sciendi appellatur. Hac enim arte instructi, pro rerum subiectarum natura, rationes, aut magis aut minus accuratas postulabimus: nec semper in omni re probationes, mathematicis demonstrationibus similes requiremus, sed semper principia, cum re subiecta, societate quadam naturæ coniuncta esse debere intelligemus. Nam hominum imperitiam, qui omnibus in rebus pariter accuratas demonstrationes postulant, proficisci ab ignoratione Analytices, ipse Aristoteles 3. cap. libri quarti Metaphysic. ostendit, his verbis, διὰ ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν ὅτι δεῖ ζητεῖν· hoc est, quia imperiti sunt analiticarũ præceptionũ, idcirco id faciunt. Continet igitur hæc scientia, omnem rationem tractandarum omnũ scientiarum: continet rationem bene docendi, & discendi quicquid sub scientiam cadere possit: continet illam quæ παιδείαν ab Aristotele vocatur in principio libri de Partibus animalium: quæ nil est quàm eruditio & modus bene tractandæ ac distribuẽdæ scientiæ cuiusuis: ex quapaideuomenoi, hoc est, eruditi ac doctrina politi homines appellantur, quorum munus est, vt ait illo loco Aristoteles, via quadã & ratione posse citra vllũ errorẽ discernere quid in quaque re bene, quid malè dicatur. Huius παιδείας cõtrariũ est ἀπαιδευσία,

quæ tam sæpe obiicitur ab Aristotele veteribus philosophis, tum in Physicis, tum in Metaphysicis, quæ profectò nil est quàm analitices ignoratio. Postremò hæc scientia est, quam Aristoteles cap. 1. libri vndecimi Metaphysicorum circa demonstrationem ac scientiam versari, quasi circa proprium ac certum subiectum, dicit. Atque illa quidem de vtilitate sufficiant: nunc huius appellationis causam videamus. Ac primùm Analyticen ab analysi appellatam esse nemo non videt: significat autem analysis, in ea ex quibus quæque res constant dissolutionem. Quoniam igitur mathematicæ scientiæ vt sunt certissimæ, & maximè accuratæ, ita omnibus aliis quasi exemplar propositæ sunt, vt quàm maximè fieri potest, earum docendi ac probandi rationem sequantur. Continentur autem omnes mathematicæ hac ratione docendi, vt propositis primùm principijs quibusdam, tùm deinde ad theorematum ac problematum veniant demonstrationes: atque ita rei cuiusque scientiam efficiant, si alia ex alijs persequendo, ac veluti retexendo, ad prima principia perueniatur, quæ sunt in quaque scientia simplicissima. Quid autem est reuocare hoc modo vnamquamque rem ad sua principia, quàm dissoluere? Hac profectò ratione factum est, vt illa mathematicorum docendi ratio, analysis meritò appellaretur: nec modò mathematicorum, sed etiam aliarum scientiarum, quæ (vt suprà diximus) omnes, quoad eius fieri potest, mathematicarum perfectionem imitantur: ob idque eandem illam docendi rationem sequuntur. Quinetiam ipsæ artes & facultates quæ plurimùm à veris scientijs differunt, id docendi genus, quantum rerum in quibus versantur, natura patitur, non omittunt: sed suas probationes, quandocunque aliquid docere probando volunt, hoc modo conficiunt. Quo fit, vt quatenus cognitione quadam continentur, scientiæ numine interdum appellentur. Vt enim omnis quæ ad docendum adhibetur, ex proprijs quibusdam constans oratio (διδασκαλικὸν λόγον appellat Aristot. in libro de reprehẽsionibus sophistarum) appellatur non incommode demonstratio: ita omnes artes & facultates, quatenus veri cognitione aliqua continentur, catenus scientiæ non malè vocantur. Non quòd veræ illæ ac perfectæ sint scientiæ, quarum vis in sola rerum cognitione certa cernitur: sed quoniam in ijs etiam est causarum quædam cognitio, per quas, licet non omnino necessarias, quid tamen verius sit in actione, aut effectione, mens nostra intelligit. ob eam causam sæpe nomẽ ἐπιστήμης, id est, scientiæ, à Platone & Aristotele in ijs appellandis vsurpatur. Quia igitur hæc vna est omnium scientiarum via, quam in docendo ipsæ sequuntur, vt principia quædam initio proponantur, ex quibus omnium quæ in quacunque scientia traduntur, tum oriatur cognitio, cùm ad illa initia reuocantur: nil est autem hæc docendi ratio, quàm analysis: profectò non incommode illa ars quæ explicat omnium scientiarum docendi modum, Analytice appellata est. Analysin autem ex Aristot. 3. Ethic. cap. 3. hoc modo definire possumus, Causarum ex causis continuatam eoúsque persecutionem, donec ad prima illius rei, de qua quæritur, principia perueniamus. Sed quoniam aliæ etiam docendi rationes non minus accommodatæ ad sciendum videntur, quàm analysis, consilium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARGVMENTVM

Aristot. hoc loco nobis videtur esse explicandum, cur hanc vnam rationem potissimùm secutus sit Plato, quemadmodũ exmultis eius locis intelligimus, duas maximè docẽdi rationes probauit, διαίρεσιν & συναγωγήν, id est, diuisionẽ & compositionem. Appellatur autem compositio, multorum in vnum aliquam ideam, ac rursus huius & aliarum generis eiusdem, in aliam cõmunem ideam collectio, eoúsque continuata, dum ad summum aliquod, vniúmque genus perueniamus. Diuisio verò huic contraria, est distributio, quæ ducto à summo aliquo primóque genere initio, eoúsque perducitur per omnia media genera, dum ad species vltimas perueniatur. Aristotelis verò aliud fuit consilium: illam enim quam Plato vocat compositionem, vix, ac ne vix quidem, admisit in tractanda scientia. Ostendit enim Aristoteles statim initio primi De partibus animalium, hanc à rebus singulis ad vniuersas progressionem in docendo ineptã esse, ac inutilem: quandoquidem necesse sit eum, qui hac via persequetur rerum subiectarum proprietates, eadem sæpe repetere: quemadmodum illo loco exemplis apertissimè demonstrat. Ergo in explicanda aliqua scientia, hanc rationem Aristotel. non admisit, sed, hactenus tantùm vtilem esse voluit, vt ad inuentionem, itémque ad cognitionem principiorum valeret, quemadmodum satis indicant verba illius, vltimo capite, 2. libr. de Demonstratione. Alteram autem rationem, quam diuisionem appellari diximus, suam quidem habere vtilitatem in tractandis scientijs existimauit Aristotel. sed eam tamen, vt minimam particulam Analytices censeri debere ipse scribit, cap. 32. libr. 1. de Ratiocinatione. Quam verò vtilitatem habeat hæc diuidendi ratio, tum illo eodem cap. breuiter ostendit, tum verò amplissimè secundo lib. de Demonstratione, cap. 5. 14. & 16. Quanquam igitur sit vtilis ad tractandas scientias ratio diuidendi, non putauit tamen Aristot. tantùm in ea esse momenti, vt hanc faceret vnam quandam explicandæ scientiæ rationem, sed eam quasi particulam analyseos tractauit in Analyticis. Quinetiam definiendi rationem, cui tantùm non modò Plato, sed etiam ipse Aristot tribuit, vt alterum hunc scientidi modum, 2. cap. primi de Demonstratione, itémque 3. cap. secundi libri, appellaret ad analysin vt partem quandam, reuocauit. Quanquam enim ex quatuor quæstionum generibus tres, an sit, quale sit, & quamobrem sit, demonstratione obsoluantur, quæstio autem quid sit, tantùm definitione, ob idque sit ipsa per se quædam scientia, nosse quid res sit: non tamen id statim existimandum est, definiendi rationem non esse analytices partem. Est enim omnis definitio (vt inquit Aristoteles, cap. 7. primi de Demonstratione, & cap. 10. secundi) aut principium demonstrationis, aut ipsa hoc dempto demonstratio, quòd paulò diuersus est verborum in demonstratione, quàm in definitione contextus, aut demonstrationis conclusio. Cùm igitur omnis cuiúsque modi definitio, vt illis verbis indicat Aristot. aliquo modo pertineat ad demonstrationem, subiectum autem analytices sit demonstratio: profectò negari non potest ad subiectum analytices, ideóque ad ipsam analyticen pertinere definitionem. Vnam igitur Aristoteles existimauit esse viam tradendarũ omnium scientiarum

OPERIS.

analysin: in qua vna omnes reliquæ rationes ab aliis inuentæ cõtinentur: scientia autem quæ illius analyseos naturam, partes, ac proprietates explicat, Analytice vocatur. Neque enim mihi placet omnium quos adhuc vidi, Aristotelis interpretum ratio, quam reddunt, cur Analytica inscripserit libros illos quatuor, quorum duo sunt de Syllogismo, & duo de Demonstratione. In eam enim sententiam ferè omnes Græci veniunt, Analytica appellata esse ab ea parte, in qua de analysi syllogismorum docet. Quod quàm verum sit, ipsi videbunt: mihi certè non sit verisimile à minima parte, quæ in quatuor libris tractatur, librorũ quatuor inscriptionem esse desumptam: maximè cùm analysis syllogismorum illo loco tractetur, vt vna quædam proprietas ratiocinationis, inter alias, quas duobus libris de Syllogismo tractat. Adde quòd illi minus non videntur intellexisse, quatuor quidem librorum inscriptionem fuisse Analytica, quemadmodum ex Aristotele intelligimus, citante sub hoc nomine tum priores, tum posteriores libros. Nam loquens Aristoteles de aliqua re quæ in libris de Syllogismo à se tractata sit, quam sæpe Analytica citat? vt capite primo secundi de Interpretatione, item 4 & 5. cap. octaui libri Topicorum, item primo Rhetoricorum & secundo, multis in locis. Et cùm loquitur de aliquo à se explicato in libris de Demõstratione, nunquid sub hac eadem inscriptione sæpe citat? vt 6. Ethic. cap 3 duobus in locis item 7. Metaphysico. cap. 12. item 2. cap. de Reprehensionibus sophistarum: quo sanè in loco aperiè indicat, horum quatuor librorum inscriptionẽ fuisse Analytica. Mihi, inquam, hoc videntur nostri interpretes ignorasse, hanc fuisse communem horum quatuor librorum inscriptionem, ἀναλυτικὰ: propriam autem Priorum inscriptionem fuisse, de Syllogismo, Posteriorum de Demonstratione. Quod ne fingere videamur, Galenũ testem laudabimus. Scribit enim in libello quodam vbi libros suos enumerat, de suis in libros Aristotelis de Syllogismo commentariis, in hanc ferè sententiam: inscribunt autem illos libros hoc tempore ferè omnes ἀναλυτικῶν πρότερων, sicut eos qui de Demõstratione sunt ἀναλυτικῶν ὑστέρων. ipse autem Aristoteles illorum, sub inscriptione de Syllogismo, horum sub inscriptione de Demõstratione meminit. Item in libro quarto de differentiis pulsuum. ad finem, scribit iis verbis: Sed iam libros etiam de Definitionibus duos conscripsi, tertium & quartum commentarium in secundũ librum Aristotelis de Demonstratione, cui libro titulum multi indiderunt, ἀναλυτικῶν ὑστέρων, sicut & libris de Syllogismo, ἀναλυτικῶν πρότερων. Ex iis opinor Galeni verbis satis perspicuum est, verã inscriptionẽ Priorum librorum esse de Syllogismo, Posteriorum de Demonstratione: fuisse autem mutatam sua ferè ætate inscriptionem, in eam quæ etiamnum extat in omnibus libris: nisi quòd in noua inscriptione librorum de Demonstratione, vbi extat ὑστέρων, scriptum est ὑστέρων: quæ licet idem valeant, illud tamen non est cognitu indignum, veterem titulum post Galeni tempora, fuisse ἀναλυτικῶν ὑστέρων, non autem ἀναλυτικῶν ὑστέρων. Semper enim Galenus sub titulo ἀναλυτικῶν ὑστέρων citat, nunquam ἀναλυτικῶν ὑστέρων, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex duobus illis locis paulò antè citatis apparet: itémque ex libro quarto de differentiis pulsuum non longe ab initio, & ex libro secundo de placitis Hippocratis & Platonis. Quæ causa est, vt veterem secuti inscriptionem appellauerimus hunc librum de Demonstratione, siue de secunda parte ἀναλυτικῶν. Sed quoniam hæc aliquantò longius progressa sunt, redeamus vnde diuertimus. Si igitur est vera Priorum inscriptio, de Ratiocinatione: Posteriorũ, de Demonstratione, quemadmodum ostendimus: ridicula hæc profectò causa est, cur quatuor simul libri Analytica inscripti sint, quòd vno quoddam in loco, de analytisi, syllogismorum agatur. Scio adduci rationes quasdam, cur licet vno tantùm loco de analysi agatur, Analytica tamen potius quàm systatica, hoc est, quasi compositoria appellentur. Sed mihi illæ non satisfaciunt: nec cuiquam puto placerent accuratè illa exquirẽti. Itaque eas ego suis authoribus relinquo. Aliorum fuit alia sententia, ob id scilicet appellata fuisse Analytica, quòd eam docendi rationem quæ analysis vocatur, in explicando syllogismo & demonstratione secutus sit Aristot. Quod quanquam verum sit, non tamen hanc inscriptionis rationem existimo. Ego enim eos rogarem, cur illos potius libros, quàm alios quosuis, Analytica inscripserit Aristot. Siquidem id perspicuum sit, omnibus fere suis libris hanc secutum fuisse docendi rationem, nisi si quis se velit fateri doctrinæ Aristot. planè ignarum. Ergo reiectis aliorũ sententiis, in nostra maneamus, Analytica ob id inscribi, quòd ijs quatuor libris explicatur vniuersa illa tradendarũ scientiarũ omniũ ratio, quæ Analysis appellatur, quam viam & probauit Aristoteles, & in omnibus suis libris, quàm maximè fieri potuit, secutus est. Postquam igitur superioribus duobus libris quæ est prior pars Analytices, syllogismi naturam vniuersam, partes & proprietates exposuit, nunc aggreditur ad explicationem demonstrationis, quæ duobus etiam libris cõprehensa est. Ac primo quidem libro, primùm quædam veluti principia, ad eorum quæ postea sequuntur demonstrationem necessaria, ponit, simul naturam demonstrationis, definitione explicãs: id quod ad quartum vsque caput facit. Illo loco incipit partes ac proprietates demonstrationis exquirere. Ac proprietates quidem sunt constare ex necessariis, constare ex iis quæ per se insunt, ex æternis, ex iis quæ propria sunt illius rei quæ demonstratur: item in prima figura maximè concludi: item contrariam habere ignorationem: item certo rerũ numero non infinito contineri, & huius generis multa, quæ illo libro docentur. Partes autem explicantur, cùm aliam, quòd ver sit, aliam cur ita sit, probare ostendit: item cùm aliam vniuersam, aliam de parte, vnam affirmantem, alteram negantem, denique vnam directò, alteram per incommoda rem de qua quæritur confirmantem, facit. Vbi simul partes explicando, partium explicat aut potius demonstrat proprietates. Nam comparatio partium inter se, quòd vna sit melior, altera deterior, & cur ita sit, quid est quàm rei proprietas? Atque in iis ferè liber primus continetur. In secundo autem nil fere tractatur quàm de Definitione: id quod eo (meâ quidem sententia) factum est, quòd secundo cap. primi libri dixerat, exquisiturum se postea,

an esset alius sciendi modus, quàm per demonstrationem. Vt igitur alterum illam sciendi modum exquireret Aristoteles, quia videbat id dubium esse, an esset: propterea an quid est, posit demonstratione probari, primùm exquirit. Nam si quid res sit, non demonstretur, sciatur autem per definitionem quid res sit: profectò dubitari iam non potest, quin aliud sit per definitionẽ scire, aliud per demonstrationem. Priusquam autem veniat ad illam quæstionem, an quid est demonstrari possit, statim initio quatuor quæstionum genera ponit, vt ex quatuor quæstionũ generibus, quibus omnia quæ sub scientiã cadũt cõtinentur, intelligeremus tria per demõstrationem cognosci, quæstionem autem quid est relinqueret, de qua quæreret, an etiam demonstratione cognosceretur. Et quoniam per definitionem sciri quid est, non per demonstrationem, ex longa vtranque in partem disputatione relinquitur, rationem definiẽdi vniuersam, absoluta illa disputatione exquirit. Quanquam autem ille per definitionem sciendi modus, diuersus est reuera à scientia quæ per demonstrationem acquiritur, est tamen ita affectus ad demonstrationem, quemadmodum suprà ostendimus, vt pars quædam scientiæ demonstratiuæ, non immeritò censeatur. vel hoc nomine, quòd licet demonstratione non probentur definitiones, in demonstratione tamen, ac per affectionem quam habent ad demonstrationem, ferè omnes cognoscuntur, ac per demonstrationem (vt ostẽdit Aristoteles) illustrantur, maximéque illæ, quas Aristoteles λόγους διὰ τί ἐστιν ἀπλῶντας, appellat, hoc est, definitiones causam cur res sit explanantes, quæ vt salæ sunt perfectissimæ, ita non sine ratione Galenus eas solas οὐσιώδεις appellandas esse existimat. Quia igitur non parum momenti est in definitione, sed ille etiam est vnus quidam per se sciendi modus, propterea amplissimè de ea agẽdum fuit. Sed etiam quia ad demonstratiuam scientiam pertinet, ob id in iis libris, vbi de demonstratione agitur, fuit tractanda: id quod Aristoteles fecit. Postquam autem vniuersam illam disputationem de definitione absoluit, ad extremum communes vniuersæ scientiæ demonstratiuæ quæstiones proponuntur & dissoluuntur: de vtilitate diuisionis ad cognoscendas rerum de quibus quæritur, causas: & quæ sint eadem, quæque diuersa problemata: & an reciprocentur semper causæ cum effectis: denique principiorum scientiæ demonstratiuæ, quæ & qualis sit cognitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aristotelis de Demonstratione,

SIVE DE SECVNDA

parte ἀναλυτικῶν, Liber primus.

OMNIS doctrina, omnisque disciplina, quæ ratione & intelligentia perficitur, ex antecedente constat cognitione. Id quod perspicuum erit, si singulas persequamur disciplinas. Primum enim mathematicæ scientiæ, atque adeò cæteræ omnes artes, hac ratione continentur. Deinde & dialectici hoc modo aut ratiocinatione, aut inductione, differunt. Vtraque enim argumentatione, ex iis quæ antè cognita sunt, id quod quæritur, docetur. Illa quidem, acceptis quibusdã quasi perceptis & cognitis ab iis quibuscũ disputatur. Hac verò, ob id quòd res vniuersa efficitur per singularia, quæ sunt vnicuique manifesta. Postremò & oratores hãc in probando rationẽ sequuntur. Aut enim exẽplis, quæ inductiones: aut enthymematibus, quæ ratiocinationes sunt, probãt. Prænotionũ autẽ duo sunt genera. Quædã enim sunt, in quibus necesse est quòd sunt antè cognoscere; Alia in quibus vis verbi ac significatio intelligẽda est: In aliis quibusdã vtrunque: veluti illud, in quacunque re vera est affirmatio aut negatio, quod sit, intelligẽdum est. Trianguli autem hanc esse significationem, nosse satis est. Vnitatis autẽ & significatio intelligenda est, & quod ipsa sit, statim initiò ac-

Cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipiendum. Neque enim eodem modo vnũ quodque horũ nobis cognitũ ac perſpectũ eſt. Sunt autẽ eorum quæ cognoſcuntur, quædã quæ ob id poſtea à nobis cognoſcũtur, quoniã anteceſsit aliarum rerũ cognitio. Alia verò ſunt, quorũ ſimul cum altero acquiritur cognitio: cuius generis ſunt ſingulæ partes quæ ſub vno genere vniuerſo, quod tibi cognitũ ſit, cõprehẽdũtur. Nã quòd omne triangulũ tres habeat angulos pares duobus rectis, prænoueras: quod verò etiã illud quod in ſemicirculo deſcriptũ eſt, tale ſit, ſtatim vbi animũ aduertiſti ad illud, agnouiſti. Sunt igitur res quædã quæ hoc modo in alius cognoſcũtur, nec medio adhibito extrema intelligũtur: cuiuſmodi ſunt omnis generis vniuerſi ſingulæ partes, omniáque quæ de nullo ſubiecto dicũtur. Ac fatendũ eſt quidẽ priuſquã aut inductione aut ratiocinatione illa concludamus, modo quodã illa iam ſciri, & modo quodã alio neſciri. Nã quod omnino neſcit quiſquã an ſit, quomodo illud tres habere angulos pares duobus rectis, planè ſcire poterit? Attamen illud perſpicuũ eſt, quòd ea ex parte id ſcit, qua in toto genere illud cognitũ ac perſpectũ habet: per ſe autẽ ac diſtinctè adhuc neſcit. Alioqui in laqueos illius quæſtionis, quæ eſt apud Platonẽ in Menone, incidemus, vt aut omnino nihil diſcamus, aut id quod iã antè ſciebamus. Neque enim cum iis conſentio qui hoc modo ſoluere iſta conãtur. Scíſne omnẽ binariũ parem eſſe? illo autem ſe ſcire dicẽte, tũ proferebatur binarius aliquis, quẽ illa ne eſſe quidẽ ſuſpicabatur, od idq; nec parem eſſe ſciebat. Ita enim diſſoluũt, vt ſe dicant neſcire quidẽ omnẽ binarium eſſe parem, ſed omnem quem ſciebant eſſe binariũ. At qui id dubiũ non eſt, quin id ſciant quod demonſtratione cõcluſum eſt, & eo modo quo is probatũ eſt. Probatum autem

tis eſt non de omni triangulo aut numero quẽ eſſe ſcirent, ſed omnino ac ſimpliciter de omni triangulo, aut numero. Nam nec ſumptionum vlla in demonſtratione cum hac adiectione ſumitur, quem ſcis eſſe numerum: aut, quod ſcis eſſe euthygrammum, id eſt quaſi rectilineum, ſed ſimpliciter in omni accipitur. Nihil igitur mea ſententia vetat quo minus quod diſcas, partim ſcias, partim neſcias: neque enim incommodum eſt id nos aliquo modo ſcire quod diſcimus: ſed nos hoc modo ſcire, hoc eſt qua ratione, & quomodo diſcimus id iam ſcire, id verò eſt incommodum.

Planè autem ac perfectè rem ſcire quiſque cenſetur, ac Cap. 2.
non ſophiſtarum modo (qui incertis ac fortuitis continetur) quãdo cauſam, per quam res eſt, ita ipſius rei cauſam eſſe cognoſcit, vt nõ poſſe omnino rẽ aliter habere credat. Nã quòd rem ſcire, ſit tale quidpiã quale dicimus, hoc argumento perſpici poteſt: quòd omnes qui aut reuera ſciunt, aut ſe ſcire putant, ob id aut ſciunt, aut ſcire ſe exiſtimant, quòd rem ita ſe habere vti diximus, aut re vera, aut ſua opinione cognoſcũt. Itaque res quæ ſub ſcientiã cadit, ita eſt certa, vt omnino aliter eſſe non poſsit. Ac ſítnet aliud quidẽ genus ſciendi, poſtea diſcemus: illud nunc certum eſt, ſcire illum, qui per demõſtrationem rem cognouerit. Demonſtrationem autem voco, ratiocinationẽ quæ ſcientiam gignere ob id dicitur, quòd illa animo cõprehenſa ſtatim rem ſcimus. Si igitur id eſt ſcire quod diximus, neceſſe eſt demonſtratiuam ſcientiã ex iis ſumptionibus cõſtare, quæ & veræ ſint, & primæ, & (vt ſic dicam) immediatæ, & notiores, & priores, denique & cauſæ cõcluſionis: nam ſi hæc ſint omnia, fiet vt accommodata ſint ad id quod demõſtratur, principia. Quanquam enim poſsit eſſe ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiocinatio, vt simul hæc non sint omnia in demonstratione tamen sunt necessaria: alioqui vt rem sciamus, nunquam efficiet. Ac veras quidem esse propositiones propterea oportet, quoniam id scire non possimus, quod aliter habet atque putamus: veluti quod diagonus quadrati cum aliquo ex lateribus cõuenire possit, cadere sub scientiã non potest. Primas vero, ac indemonstrabiles easdem illas esse oportet, quoniam ne illas quidem perspectas & cognitas habere sine demonstratione possemus, si etiam illæ demonstratione probari possent. Nam ea quæ demõstratione concludi possunt, tum demum certè, ac non fortuito sciuntur, cum est animo comprehensa eorum demonstratio. Sed etiam vt causæ sint cõclusionis & notiores, priorésque, necesse est. Nam tum demum rem scimus, cum causam cognoscimus. Atqui si causæ sint, necessario efficitur, vt priores sint & notiores: ac notiores quidem, non hoc tantùm modo, vt verborum vis ac significatio intelligatur: sed etiam vt quod ita res habeat, cognoscamus. Dicuntur autẽ priora & notiora duobus modis. Vt enim sunt alia quæ sunt naturæ ordine priora, alia quæ nobis: ita plurimum inter se differunt, quæ omnino ac per se notiora, & quæ nobis magis nota sunt. Ac nobis quidem illa priora & notiora appello, quæ nostris sensibus magis obiecta sunt: omnino autem ac per se, ea quæ sunt ab iis remotiora. Huius generis sunt res vniuersæ: illius res singulæ, quæ inter se res contrariæ sunt. Quod autem supra diximus, ex primis constare demonstrationem: id ita accipiendum est, vt ex propriis principiis cõstare eam intelligamus. Prima enim & principia pro eodem sumo. Est autem principium demonstrationis, propositio, quæ ob id immediata dicitur, quoniam

nulla est alia prior per quam ipsa confirmari possit. Propositio est enunciationis pars altera, in qua vnum de vno enunciatur. Ac dialectica quidem propositio est, vtrauis sine vllo discrimine pars contradictionis, ad probandũ aliquid sumpta. Demonstratiua autem, altera tantum, atque ea demum quæ est vera. Enunciatio est omnis cõtradictionis pars vtrauis. Contradictio autẽ est contrariorum illa oppositio, in qua nihil quod verè medium sit, reperiri potest. Huius pars vna affirmatio est, in qua vnum alteri attribuitur. Altera negatio, in qua vnum alteri detrahitur. Principia immediata, quæ in demonstrationibus accipiuntur, in duo genera distribui possunt. Vnum eorum quæ quãquam demõstrari non possint, non tamen ita aperta & per se manifesta sunt, vt necesse sit iam antè cognita esse ei qui artem aliquã discere velit: quas nos positiones appellamus. Altero genere continentur ea, quæ ita sunt per se ipsa perspicua, vt non possint non esse omnibus multò antè cognita ac perspecta, quam quicquam doceantur: quæ pronunciata dicuntur. Nam cum huius generis res quædam sint, tum verò in illis appellãdis hoc nomine pronunciatorum vti solemus. Sed & positiones rursus in duo genera diuiduntur: in hypotheses, quas suppositiones appellemus, & in definitiones. Ac suppositiones quidem sunt, cũ alterutra pars enunciationis, veluti aut esse aliquid, aut non esse, sumitur. Definitiones verò sunt, in quibus neutrum accipitur. Quanquam enim definitiones sunt positiones (id enim ab Arithmeticis initiò poni solet, vnitatẽ verbi gratia id esse quod per quantitatem diuidi non potest) suppositiones tamen esse non possunt. Neque enim idem est quid sit vnitas accipere, & esse in rerum natura vnitatẽ ponere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoniam autẽ ob id id certò rem scimus, ac credimus, quia perceptam animo habemus ratiocinationem illam, quæ demonstratio à nobis paulò antè dicta est: omnis autem ratiocinationis vis posita est in iis ex quibus cõstat sumptionibus: illud certè necessario efficitur, huiusmodi principia, aut omnia, aut aliqua, non modò esse ante cognoscenda, sed etiam multo magis quàm ea quæ ex iis concludũtur, scienda. Semper enim id magis tale est, quod causa est vt tale sit alterum: veluti, is nobis semper charior est, cuius causa alterum amamus. Si igitur hoc principia efficiũt, vt & sciamus, & quam ita res habeat non dubitemus, illa necesse est multo à nobis melius intelligi, quàm quæ per ipsa concluduntur. At qui nemo aliis rebus maiorẽ fidem habet, quàm iis quas certò scit: si illas aut per demonstrationem, aut certiorẽ aliqua ratione non sciat. Quod tamen fatendum erit, si ea non sunt nobis ante cognita, quæ faciunt nobis fidem rei quæ demonstratione cõcluditur. Planè enim necesse est credibiliora esse principia aut omnia, aut quædã, ipsa conclusione. Qui igitur per demonstrationem alicuius rei scientiam cõsecuturus est, eum necesse est non modò magis nosse principia, eisque maiorem fidem habere, quàm rei quæ demonstratur: sed etiam omnino illi nil debet esse credibilius principiis: atque adeò nil certius scire debet, quàm horum principiorum contraria talia esse, vt si quid ex iis concludatur, summam insscientiam atque ignorationem rei efficiat. Alioqui id verè dicere non poterimus, Scientem hominem ita esse immutabilem, vt omnino labi atque errare non possit.

Cap. 3. *Sed quoniam principia antè sunt scienda, quàm id quod concluditur, ob id quibusdam visum est, nullã omnino posse*

esse scientiam. Aliorum contraria fuit sententia, omniũ rerum esse demonstrationem. Sed neque hi, neque illi verum dicunt, neque id necessario efficiũt quod volunt. Primùm enim qui omnem scietiam è medio tollunt, ex eo nil non posse sciri confirmant, quòd in infinitum regrediẽdum sit: semper autẽ vt sciamus posteriora, necesse est vt priora cognoscantur, quorum sunt aliqua tãdem prima. Ac illi quidem hactenus bene dicunt: infinita enim animo percurrere non possumus. Quòd verò in infinitum sit regrediendum, sic confirmant: quoniam non exitus tandem aliquis reperiatur, ac principia quædam dari possint, in quibus mens tandem consistat, illa necesse erit nobis esse incognita, quãdoquidem illorum sententia, omnis cognitio ac scientia per demõstrationem acquiritur: illa autem si prima sint, demonstrari non possunt. At verò si principia sciri non possint, ne illa quidem quæ ex iis conficiuntur, planè & absolutè intelligi poterũt, sed tantum quasi ex conditione, si illa sunt, ista esse scientur quæ per illa probantur. Alij autem in hoc quidem cum superioribus consentiunt, quòd non aliam putant esse scientiam, quàm quæ per demonstrationem comparatur: sed fieri posse vt omnium rerum sint demonstrationes, ipsi existimant: quãdo id fieri possit vt omnes res vicissim per se mutuò probentur, ac veluti in orbem redeant omnes omnium rerum demonstrationes. At verò nostra lõge alia est sententia. Primùm enim non omnem scientiam demonstratiuam esse, sed principia, quia immediata sunt, sine vlla demonstratione sciri posse existimamus. Id quod hac ratione perspici potest. Nam si necesse sit scire ea quæ antecedunt, & ex qoibus demonstratio constat, reperiamus autem aliqua tãdem immediata, in quibus sit no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis consistendum: illa certè necesse erit sine vlla demõstratione cognosci. Itaque de hac re sic censeo, aliquam esse non modò scientiam, sed & principium quoddam scietiæ, quo nos extrema ipsa cognoscamus. Deinde verò illud fieri non posse putamus, vt bene ac perfectè res demonstrentur, si vicissim ita in orbẽ probentur. Ex prioribus enim & notioribus constat omnis demonstratio: fieri autem non potest, vt res eadem, vna eadémque re prior sit & posterior: nisi fortè id alio atque alio modo intelligatur: veluti si vno modo quæ simpliciter & naturæ ordine priora sunt, acciperentur: altero autẽ, quæ nobis: quod posterius genus accommodatum est inductionibus, quæ ex iis quæ hoc modo sunt priora, rem de qua quæritur, faciunt manifestã. Quãdo si ita res habet, alterũ horum dicendum est, aut propterea nõ rectè à nobis supra definitum esse quid sit planè ac perfectè rem scire, quia huius duo genera non fecimus: aut pro demonstrationibus accuratis eas non esse habẽdas, quæ ex notioribus nobis cõstituuntur. Iam verò illos qui ita sentiunt, in orbem res bene demõstrari, non modò illo quod nunc diximus incommodo vrgere possumus, sed hoc etiam, quod qui ita probant, nil aliud dicant, quàm id quod ridiculum est, si res aliqua sit, illam ipsam esse: quo certè modo facile erit omnia demonstrare. Illud autem sequi incommodum quod dico, perspicuum erit, si tria extrema accipiamus. Nam id nil interest, an multis, an paucis interpositis, retro cõmeent probationes: modò ne in paucioribus, quã duobus mutuam illam ac reciprocam demonstrãdi rationẽ fieri intelligamus. Quãdo igitur si sit A, necessario est B. & si B sit, necessario est C. id etiam ad extremum concluditur, si A sit, C esse. Itaque si A posito sequitur B, & contrà ex

antecedente B, consequitur A. Cuius generis erat reciproca demonstratio: loco consequentis A sumamus C, tum profectò ex B antecedente A concludere, idem erit ac si ex eodem ipso B concluderes C. Atqui ex antecedente A conficere C, nil erat aliud quàm ipsum A ex se ipso efficere. Illud igitur aduersus illos qui hoc genus probãdi reciprocum induxerũt, rectè affectum est, nil hoc cum dicũt, aliud eos dicere, quàm huiusmodi conclusionem valere, si A est, A est. quo profectò modo facile erit omnia demonstrare. Propterea reciprocum hoc genus probandi, in iis tantum verbis locum habere potest, quæ vicissim retro commeant, cuiusmodi sunt propria. Atqui vno posito simplici verbo, aut vna propositione, iam antea demonstratum est nil necessariò concludi posse, sed minimùm duas primùm accipi sumptiones oportere, vt ratiocinatione aliquid concludatur. Si igitur medium verbum A sic consequens extremorum B C, atque ista extrema inter se reciprocentur, etiã necesse erit vt vicissim retro cõmeant cum A medio. Ac fieri quidẽ posse vt quæ vicissim hoc modo retro cõmeant, in prima figura concludantur omnia, iã antè à nobis demõstratum est in libris de Ratiocinatione: Sed etiã illud simul probatũ est, in aliis figuris aut omnino hoc genus conclusionem locum nõ habere, aut ex iis quæ sumpta sunt, rem non posse concludi. Omnino autem in iis verbis quæ nõ reciprocantur, huiusmodi in orbem reciproca demonstratio fieri non potest. Quare si in demonstrationibus pauca sunt huius generis verba, quemadmodum pauca esse certum est, illud certè perspicuum est, ridiculum esse, vel potius omnino fieri nõ posse, vt propterea omnium rerum sint demonstrationes, quoniam vicissim in orbem res concludi possint:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 4. *Quoniam autem id quod certò scimus, non potest se aliter habere, illud profectò sequitur, rem esse necessariam, quæ sub scientiam cadit demõstratiuam. Atqui scientia demonstratiua est, quam tum habemus, cum mẽte percepimus alicuius rei demonstrationem. Quare demonstratio erit ratiocinatio quæ ex necessariis constat. Dicendum igitur quæ & quales sunt res illæ ex quibus demonstrationes conficiuntur. Ac primùm explicandum, quid est quod in omni inesse dicimus: tũ quæ sint ea quæ per se conueniũt: Postremò, quid est, in vniuerso genere spectari. In omni id dicitur, quod ita in alterum cadit, vt nec sub illo genere partem vllam accipere possis cui non cõueniat: nec vllum tempus inuenire, in quo de illo non dicatur. Vt si in omni homine dicitur animal, necesse est vt quacunque in re vere enunciabitur homo, etiam animal enũcietur: & quocunque tempore illud verum erit, & hoc verum esse. Item si omnem lineam cadit punctum, idem illud quod in superiori exemplo dicendum. Quòd verò id sit in omni inesse quod dixi, argumẽto est, quòd omnes qui rogati fuerint, nunquid in omni quippiã insit, ita occurrere interrogationi solent, vt aut aliquid subiiciãt, cui illud non insit, aut certo quodam tempore non conuenire ostendant. Per se autem illa primum cõueniunt, quæ in explicanda rei natura atque essentia adhibentur. Vt triangulo per se inest linea, lineæ punctum. Nã & in natura trianguli, & lineæ, hæc insunt: & in definitione, qua declaratur quid illa sint, ponuntur. Deinde illa etiam per se insunt, quæcũque rem aliquam ita consequuntur, vt cùm quid illa sunt definitione explicatur, necesse sit rem ipsam in definitione accipi: quomodo lineæ cõueniunt rectũ & circunductũ: & numero par &*

impar, item primũ & compositũ, denique quod paribus constat lateribus, & quod productioribus altera ex parte oris constat. Nam si ita velis quid sint definitione declarare, in his quidem numerum, in illis autem lineam necesse erit adhibere. Atque vt omnia similia semel complectar, Ea omnia per se inesse dicenda sunt, quæcunque aut hoc posteriore modo, aut illo priore, alteri conueniunt: quæ verò neutro modo insunt, accidentia appellabuntur. Cuiusmodi sunt album & musicum, quæ animalis sunt accidentia. Est verò & alia significatio huius verbi, cum ea per se esse dicuntur, quæ cum appellantur, in nullo subiecto esse intelliguntur. Nam cum ambulare dicimus, aliud quiddam intelligamus oportet, in quo illud ipsum ambulare insit: & cum album appellamus, aliud quoddam esse oportet quod albũ sit: Substantia autem, & omnia quæ hoc aliquid significãt, aliud nihil sunt, quàm id ipsum quod sunt. Quapropter quæ in nullo subiecto insunt, ea per se esse dico: quæ verò in subiecto insunt, ea accidentia appello. Est etiã aliud quoddam genus, quo ea per se esse dicũtur, quæ suapte natura ac propter se alteri conueniunt: quæ verò non propter se conueniunt, accidentia dicuntur. Vt si ambulante aliquo fulserit, accidens est: propterea quòd fulguris causa non est ambulatio, sed ita fortè accidisse dicimus. Quæ verò propter se cum altero sunt coniuncta, ea per se sunt. Veluti vt quis iugulatus intereat, id per se fieri dicimus, quãdo interitus causa est ipsa iugulatio, neque id fortè ita contigisse dicimus, sed quia iugulatus erat, ob id mortẽ obiisse. Itaque in iis rebus, quæ sub certã ac perfectam scientiam cadunt, omnia illa quæ duobus illis priori bus modis per se inesse dicuntur, aut quoniam insunt in at-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tributorum diſinitionibus ſubiecta, aut contrà in ſubiectorum, attributa: omnia inquam illa neceſſe eſt cùm propter ſe, ac vi ſua conuenire, tum verò neceſſariò iis ineſſe, quibus attribuuntur. Neque enim poteſt aliter eſſe, quin aut ipſa (ſi nihil habent contrarium) conueniant, aut, in quibus cõtraria reperiuntur, ex ipſis alterum inſit. Vt lineæ neceſſe eſt aut rectum, aut inflexum ineſſe: numero, aut par aut impar. Nam ſi omne quod alteri aduerſatur, eſt quaſi alterius priuatio aut negotio, ad idem genus pertinens: vt par nihil eſt, quàm quod in genere numerorum non eſt impar: neceſſe autem eſt in omni re aut affirmationem, aut negationem dici: illud profectò conſequens eſt, ea quæ per ſe inſunt, neceſſariò iis conuenire, quibus attribuuntur. Atque hæc de iis quæ in omni, & de iis quæ per ſe dicuntur, ſufficiant. Ad vniuerſum autem genus ea pertinere dico, quæ & in omni inſunt, & per ſe rei conueniunt, & hoc ipſo quòd res talis eſt. Ex quo perſpicuum eſt, ea quæ in vniuerſo genere cernuntur, neceſſariò iis conuenire, quibus attribuuntur. Per ſe autem, & hoc ipſo quòd tale eſt conuenire, idem ſignificant. Vt perſe ineſt lineæ punctum, & rectum eſſe: ea verò etiam linea, quia linea eſt, conueniunt. Et triangulo, hoc ipſo quòd triangulum eſt, conuenit habere tres angulos pares duobus rectis, ſed & per ſe triangulo illud ipſum conuenit. At verò vniuerſum genus vt demonſtretur neceſſe eſt non modò vt in ea re ineſſe demonſtretur cui omni conuenire poſſit: ſed etiam vt de eo concludatur in quo primum omnium cernitur. Vt tres habere angulos pares duobus rectis, neque in vniuerſum genus figurarum cadit (etiam ſi figuram nõ eam quidē quam vis, ſed incertè figuram, probare poſſumus habere tres

angulos pares duobus rectis) neque illud qui demonſtratione concludunt, in quauis figura, ſine vllo diſcrimine, id rectè conficere poſſunt: quadrangulum enim figura eſt, neque tamen tres habet angulos pares duobus rectis. Iſoſceles autem habet quidem, quodcunque illud tandem ſit, tres angulos pares duobus rectis, ſed non id primum eſt in quo illud cernitur, cum ad triangulum id prius pertineat. Quicquid igitur illud tandem ſit, quod primum aut habere tres angulos duobus rectis pares, aut aliud quiduis, demõſtrabitur, id erit in quo primum omnium genus vniuerſum ſpectabitur. Ac demonſtratio quidem propriè ac per ſe erit, qua vniuerſum illud genus probabitur: in aliis autem omnibus, non propriè ac per ſe, ſed alio quodam non accurato genere demonſtrandi, illud idem concludetur. Quinetiam in Iſoſcele, ſi illud demonſtretur quod diximus, non oſtẽdetur vniuerſum genus, cùm multò latius pateat, quàm Iſoſceles.

Illud autem hoc loco ignorare non debemus, ſæpe id vſuuenire, vt in accipiendo genere vniuerſo peccemus, putantes ipſum genus vniuerſum à nobis in eo eſſe probatum in quo primo ineſt, cùm reuera in eo ſubiecto primum non cernatur. Oritur autem huiuſmodi error, aut quando in vno genere vna eſt res ſingula, ob idque ſuperius ea aliquid accipi non poteſt: Aut cum rebus ſingulis multis eſt vna quidem cõmunis ratio, ſed tamen nullum nomen impoſitũ eſt, quo illud genus appelletur, diuerſis ſpecie rebus conueniens: Aut ſi res illa in qua ineſſe quippiam demõſtratur, quaſi pars tãtum eius ſit, in quo primo ineſſe conſpicitur. In ſingulis enim partibus ita demonſtrari poteſt, vt etiam concluſio ſit de toto genere affirmatio: Attamen non erit ea generis vniuerſi Cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de eo in quo primum ineſt demonſtratio: quandoquidem eam demum demõſtrationem genus vniuerſum in quo primo ineſt, concluſiſſe puto, quæ in ea re ſubiecta probauit, in qua ineſt, hoc ipſo quòd talis eſt. Si quis igitur rectas lineas non poſſe concurrere oſtendat, illa quidem videbitur eſſe demonſtratio, propterea quòd in omnes rectas lineas id cadere poteſt, & tamen non eſt demonſtratio. ſiquidem illud non conuenit lineis pari ſemper interuallo diſtãtibus, quia ſunt rectæ: ſed id omnibus pariter diſtantibus, qualeſcunque illæ ſint, conuenire poſſe cernitur. Et ſi nullum eſſet triangulum præter Iſoſceles, conuenire viderentur trianguli proprietates Iſoſceli, quia Iſoſceles ſit. Et proportio commutata eſt in numeris, quia numeri ſunt: & lineis, quia lineæ: & in ſolidis & temporibus, hoc ipſo quòd aut ſolida aut tempora ſunt: cum ita demonſtratur, quemadmodum aliquando ſeparatim de iis ſingulis demonſtratum eſt. Nihilominus tamen fieri poteſt, vt vna demonſtratione communi illud ipſum de iis omnibus concludatur. Sed quoniã non eſt nomen impoſitum quo illud appellemus, in quo iſta, numerus, linea, ſolidum, tempus conueniunt, communique vna ratione continentur: & quoniam ſunt hæres ſpecie inter ſe differentes, idcirco ſingulatim illa accipiuntur. Atqui nunc demum quum natura communis accipitur, ipſum genus vniuerſum demõſtratur. Neque enim ineſt aut numeris aut lineis hoc ipſo quòd aut numeri, aut lineæ ſunt, ſed qua ratione, communi illa ratione participant. Quare ſi quis vna aut altera demonſtratione concludat, ſingulas trianguli ſpecies, vt Iſopleuron, Scalenon, & Iſoſceles, habere tres angulos pares duobus rectis, is nõdũ nouerit (niſi quomodo cogno-

ſcere ſolent ſophiſtæ) triangulum habere tres angulos pares duobus rectis. Ac ne ſi præter illas quidem tres ſpecies nullus alius ſit triangulus, ob id credendum eſt eum ſcire vniuerſum genus trianguli. Neque enim triangulum nouit hoc ipſo, quod triangulũ eſt: neque nouit omne triangulũ, niſi ſecundum numerum: Secũdum ſpeciem autem, & qua ratione vnum quippiam eſt triangulum, nõ nouit: etiam ſi ex ſingulis nullum ſit quod non cognoſcat. Quod ſi id ſcire velis, quando genus vniuerſum non cognoſcimus, & quãdo generaliter atque abſolutè rem aliquam intelligimus, id ego hunc in modum faciam manifeſtum. Nam ſi non alia vis, atque natura trianguli eſſet, quàm huius aut illius iſopleuri, aut verò omniũ ſimul iſopleurorum, ſemper in vniuerſo genere rem intelligeremus. At ſi eſt huius atque illius diuerſa ratio, inſit autẽ aliquid triangulo hoc ipſo quod triangulũ eſt, niſi hoc modo ſciamus, genus vniuerſum non intelligemus. An autem inſit aliquid triangulo quia triangulum eſt, an verò Iſoſceli quia eſt Iſoſceles, deinde quando aliquid alteri primum conuenire dicendum ſit, poſtremo quodnam illud tandem ſit genus vniuerſum, quod demonſtratione concludendum eſt, vna hac ratione cognoſcemus, Quando tale erit aliquid, quod detractis aliis, in re aliqua ineſt, atque adeo illi rei primum omnium conuenit. Veluti Iſoſceli æneo triangulo conuenit habere tres angulos pares duobus rectis: ſed etſi illa tollas, æneum, & Iſoſceles, adhuc reſtat cui conueniet. At ſi aut figuram, aut quod extrema habet, tollas, nil tum quidem erit, cui illud conuenire poſſit: ſed tamen non ſunt illa quibus primũ ſublatis, hæc ſublata eſt proprietas. Quo igitur primum ſublato hoc eſſe deſiit? triangulo ſcilicet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare & alius per hoc conueniet: & in hoc solo erit vniuersi generis demonstratio.

Cap. 6. Atqui si demonstratiua scientia ex certis quibusdam ac necessariis initiis oriatur: omne enim quod sub scientiã cadit, non potest aliter habere: sunt autẽ ea quæ per se rebus cõueniunt, necessaria: ex his enim alia in definitione rei subiectæ adhibentur, aliorum autem natura, cum definitione explicanda est, adhibito ipso subiecto in quo insunt declaratur: in quo genere, semper alterum ex contrariis in re subiecta inesse necesse est. Ex iis illud perspicuum est, demonstrationem ex huiusmodi quæ per se insunt, constare: Omne enim quod alteri conuenit, aut hoc modo, aut per accidens attribuetur. Constat autem accidentia non posse necessaria. Aut igitur ita certè statuendum est, aut verò nobis hoc loco quasi principium quoddam accipiendum, Demõstrationem rem esse certissimam & necessariam, & si quid est quod demonstratione conclusum est, illud omnino non posse aliter se habere. Ex quo illud necessariò efficietur, eam ratiocinationem, qua huiusmodi res concluditur, esse ex necessariis sumptionibus constituendam. Nam ex veris quidem propositionibus alius concludit quàm demonstrator: ex necessariis verò, quia id iam demonstrationis est proprium, non potest alius præter demonstratorem concludere. Quòd autem fiat ex necessariis demonstratio, hoc quasi signo intelligi potest: quòd cum volumus occurrere & obsistere ei, qui se aliquid demonstratione probasse putat: hoc nos ferè modo obsistere solemus, vt non esse id necessarium quod accipit dicamus: si aut reuera posse rem secus habere existimemus: aut verisimiliter infirmari posse quod adfert, hoc modo putemus.

Quapropter ridendi sunt, qui se putant accommodata ad demonstrationẽ principia habere, cùm probabiles ac veras acceperint propositiones. Qualis est illa Sophistarum propositio, scire nihil est, quàm scientiam habere. Non enim quod probabile est, aut minus probabile, principium est: sed quod in eo genere, in quo demonstrationes versantur, primum est: nec omne quod verum est, vnicuique rei demonstrandæ statim est accommodatum. Iam verò quòd necessarias esse demonstrationis sumptiones oporteat, ita cõfirmari potest. Qui causam quamobrem res sit ignorat, is per demonstrationem non est rei scientiam assecutus. Atqui si ita ponamus, esse conclusionem, Omne C est A, necessariam, medium autem B, per quod illud confirmatur, non necessarium: fieri non poterit, vt quamobrem res sit intelligamus, quandoquidem talis conclusionis, tale medium causa esse non possit. Potest enim euenire vt hoc non sit, cùm interim necesse sit illam conclusionem semper esse. Insuper si quis nunc rem aliquam nesciat, cum & res quam sciebat, eadem manet, & incolumis ipse est, & adhuc animo retinet probationem eandem quam prius, nec memoria aliquid, quod ad eam rem pertinet, excidit: si quis, inquam, ita affectus, nesciat tamen: an non id certum est, ne prius quidem illa probatione rem scire potuisse? Atqui si medium non est necessarium, interire potest. Cùm igitur non erit medium, illud necessariò eueniet quod dixi: vt incolumis ego, re nulla ex parte mutata, eandem animo retinens probationem, nesciam tamen. Quare illud necesse est, vt ne prius quidem sciuerim. Nam quod fortasse non interiit reuera medium, nil refert: id enim satis est quòd posit: illud autem quod posibile ac contingens est, iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

euenisse sine vllo incommodo poni potest. Atqui fieri non potest, vt rem sciamus, cum hoc modo affecti sumus. Ac si quidem necessaria est conclusio, non est necesse vt & medium ex quo efficitur illa conclusio, sit necessarium. Quemadmodum enim ex falsis verum interdum concluditur, sic etiam ex non necessariis interdum conficitur necessarium. At si necessaria sunt sumptiones, & cõclusionem esse necessariam oportet: sicuti ex veris nil vnquam nisi verum efficitur. Veluti si necesse est omne B esse A. itémque omne C esse B: ex his efficitur, necessariò omne C esse A. At verò si non est necessaria conclusio, fieri non potest vt medium sit necessarium. Sit enim hæc conclusio non necessaria, Omne C est A, tum si medium ita accipiatur, vt necesse sit omne B esse A, & omne C esse B, ex iis sumptionibus efficitur hæc conclusio, omne C necessariò esse A, quam nos tamen posueramus esse non necessariã. Quoniam igitur quod per demonstrationem scimus, certum semper est ac necessarium, ex eo illud facilè colligitur, mediũ demonstrationis necessarium etiam esse oportere: atqui fatendum erit nos non modò non posse, quãobrem res est, scire, sed nec quòd res sit, posse certò cognoscere: Sed alterum semper horũ vsuuenire necesse est, vt aut falsum tantũ habeamus scientiæ persuasionem, si id necessarium esse putemus, quod minimè est necessarium: aut ne falsam quidẽ opinionem scientia habeamus. Atque id dico pariter euenturum siue adhibeatur tale medium ad probãdum quòd res sit, quasi per mediatas propositiones, siue ad ostendendũ quamobrem res sit, quasi per sumptiones immediatas. Accidentia autem quæ nõ ita insunt per se, quemadmodum suprà definiuimus, nõ possunt sub scientiam demonstratiuam cadere, eò quòd in iis conclu-

sio necessaria esse non potest. Nam quod accidens est, potest non inesse: ego enim sic accipio hoc loco nomen accidentis. At quæret fortasse quispiam, Quorsum igitur de his accidentibus fiunt interrogationes, nisi aliquid tandem necessariò concludi potest? Nam quid refert qualia sint quæ interrogantur, vt ex illis aliquid necessariò efficiatur? Dicendum igitur, non ob id illa interrogari, vt res ipsa quæ concluditur, necessaria per ea quæ interrogata sunt efficiatur: sed vt tantum, si illa posita sunt, hæc etiam necessariò admittenda esse concludamus: & si vera sunt quæ antecedunt, verã etiam esse consecutionem efficiamus.

Sed quoniam in vnoquoque genere ea necessariò insunt, quæ per se alicui rei, & quia res huiusmodi est, conueniunt: perspicuum est nõ modò de iis fieri quæ per se sunt, sed etiam ex iis constare debere omnes demonstrationes quæ parere scitiam possunt. Accidentia enim non sunt necessaria: ob idque ex iis quãobrem sit res, quæ concluditur, non possumus certò scire nec si illa quidem accidẽtia semper sint, qualia ferè sunt ex quibus constant ratiocinationes, quæ ex propriis rerum notis ducuntur. Nam quod per se est hoc modo, non per se sciet: quare nec quãobrem res sit intelliget. Porrò scire quamobrem res est, nil est, quàm rei causam nosse. Quapropter necesse est vt & medium minori extremo propter se conueniat, & maius item extremum medio. Ex quo illud efficitur, vitiosum esse in demonstrãdo, ex vno genere in aliud migrare. Veluti si ex iis in quibus versatur Geometria, aliquid probetur per ea quæ ad Arithmeticam pertinẽt. Tria enim sunt in quibus omnis continetur demonstratio. Prima est ea quæ demonstratione conficitur conclusio: conclusionem autem in- Cap. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

telligo, illud quod de certo quodam genere, per se enunciari ostenditur. Sunt deinde & pronunciata ex quibus illud ipsum colligitur. Tertium est ipsum genus subiectum, cuius affectiones, & quæ per se conueniunt accidentia, demonstrantur. Hæc diuersis quidem scientijs eadem pronunciata interdum accommodãtur. Quando verò subiectum est diuersum, quemadmodum Arithmeticæ & Geometricæ, tum semper est vitiosum, velle arithmeticas demonstrationes accommodare ad cõcludendas magnitudinis effectiones, nisi fortè magnitudines, numeros quosdam esse putemus. Porrò quemadmodum illud in quibusdam non incommodè fiat, paulò pòst dicemus. Nunc illud constat, arithmeticis demonstrationibus vnum quoddam esse subiectum, circa quod omnes versentur id quòd in aliis etiã sit scientiis. Itaque necesse est genus subiectum aut idem omnino esse, aut certè ex parte aliqua coniunctum: vt, quæ demonstrationes vnius loci propriæ sunt, accõmodatè alium etiam in locum transferantur. Nam quòd, nisi horum alterum sit fieri, illud non possit, vel hac ratione intelligi potest: quòd necesse est vt & medium, & extrema, ad idem genus pertineant: quæ si non per se conueniunt, accidentia esse fatendum est. Quare ad geometriam non pertinet, ostendere, in rebus aduersis vnam versari scientiam: sed nec quòd duo cubi vnum cubum facere possunt: omninóque quod vnius scientiæ est, conuenire alteri non potest: nisi fortè cum vna sic erit ad alteram affecta, vt in vna altera contineatur. quomodo ad geometriam optice, & ad arithmeticam musica affecta est. Imò verò ne id quidem ad geometriam pertinet, quod lineis non conuenit, quia lineæ sunt: aut si quid aliud est, quod ex propriis suis principiis cõ-

firmari non potest: qualia sunt ista, quòd recta linea sit omnium pulcherrima: quòd circũductæ lineæ aduersetur rectæ: neque enim hæc lineis conueniũt hoc ipso, quòd proprio quodam genere continentur, sed qua ratione communi aliqua natura participãt. Cæterùm si demonstrationis propositiones sint de toto genere, illud perspicuum est, oportere etiam vt conclusiones huiusmodi demonstrationis, imò verò (vt generaliter dicam) omnis demõstrationis, sint sempiternæ: ob idque eorum quæ fluxa & caduca sunt, nullam neque demõstrationem, neque scientiam, nisi forte incertam quãdam & quasi fortuitam, esse posse: nam quæ talia sunt, in omni dici non possunt, sed aut tempore modo aliquo insunt, aut quadã ex parte conueniunt. Cùm verò est huius generis ipsa res quæ concluditur, necesse est vt minimum altera sumptionum, & de toto genere non sit, & caduca atque incerta sit. Ac illa quidem incerta mutabilisque futura est, eo quòd talis est cõclusio: de toto autem genere non erit, quoniam necesse est vt quædam sint in quibus dicatur, quædam in quibus nõ dicatur. Quo fit vt de toto genere cõcludi non possit, sed hoc tantum effici potest, hoc vel illo tempore ita esse. Quod autem in demonstrationibus dixi, idem in definitionibus dico. Omnis definitio aut est demonstrationis principium, aut ipsa demonstratio, nisi quòd desideratur collocatio: aut demonstrationis est conclusio. Quaquam autem quædam sint, quæ plerunque, statisque tatum fiunt temporibus (qualis est lunæ defectio) perspicuum tamen est, cùm in iis vniuersum genus accipitur, non minus certas & perpetuas esse tũ demonstrationes tum scientias, quàm in aliis: Cùm verò non semper esse conspiciuntur, tum in parte accipi. Quod autem in

Universidad de Deusto
Biblioteca

defectione dico, idem in aliis eiusdem generis intellectum volo. Sed quoniam id iam satis constat, nunquam aptè aliquid demonstrari, nisi propria cuiusque rei adhibeantur principia: illud profectò non erit satis ad rem sciendam, quæ propter se alteri conuenit, adhibuisse in probando veras, indemonstrabiles, immediatásque propositiones. Illud enim euenire potest, vt cùm tales erunt sumptiones, nihilominus tamen talis sit demonstratio, qualis erat Bryssonis, qua circulũ quadrare conabatur, probatio. Nã sunt huiusmodi aliquæ rationes, quæ communia quædam & alteri etiam nõ minus conuenientia, ad aliquid ostẽdendum accipiunt: ob idque ad res nullã omnino inter se societatẽ, naturæq; coniunctionem habentes, accõmodari posse tales rationes conspiciũtur. Quo fit vt ex illis non possimus rẽ per se, & quia huius generis est, scire: sed tantum per accidens: alioqui nõ potuissent in aliud quoddam genus trãsferri. Hoc enim est, per se & non per accidens scire: quando aliquid eo modo alteri conuenire intelligimus, quo illi cõuenit, idque per principia quæ sunt illi, quia illud ipsum est, propria. Veluti habere tres angulos pares duobus rectis tum scimus, quãdo illud cui propter se cõuenit intelligimus, atque adeò per principia, quæ ad illã rem propriè pertinent. Itaque si quid est quod per se alteri conueniat, & quia est illud ipsum quod est: ad illud demonstrãdum, necesse erit verbum medium accipere ex earum rerum genere quæ eandem habent cum illo naturæ societatem: aut certè quæ sic inter se affectæ sunt, quomodo arithmeticam musica respicit. Quanquam enim in iis quæ ad hunc modum inter se affecta sunt, illam etiam in demonstrando rationem sequamur: illud tamen interest, quòd alterius scientiæ est, quòd res sit

Quadrare Circulum

ostendere, eo quòd est illius aliud quoddam subiectum: superioris autem scientiæ (vt quæ in iis rebus versatur, quarum hæ sunt propriæ, ac per se affectiones) est, quamobrem res sit demonstrare. Quare & illud ex his perspicuum est, nil vnquam bene ac perfectè demonstrari, nisi ex propriis principiis: sed tantum principia inferioris scientiæ, ad alia quæ aliquanto latius patent, pertinere. Atqui si illud certum est, & hoc quoque minimo negotio perspici potest, quòd cuiusque scientiæ principia propria, non possunt quasi ex aliis rursus principiis demõstrari: Alioqui illa ex quibus hæc confirmabuntur, omniũ rerum principia esse fatendum erit, & scientiam quæ in iis versabitur, omnium esse certissimam, facilé-que inter omnes principatum obtinere. Quo enim quisque ex superioribus causis cognoscit, eo rem multo certius intelligit: siquidẽ ea semper priora sunt, quæ ita sunt causæ, vt nullas præterea causas habeant quarũ effecta sint. Itaque si vt quisque ex prioribus cognoscit, certius cognoscit: is certè qui ex primis omniũ rẽ nouerit, certissimè nouerit. Et si est illa semper magis ac magis scientia, hæc omnium maximè scientia erit. Atqui non potest vnius generis demõstratio in aliud genus transferri: nisi (quod paulò antè dictum est) perinde sint affectæ, atque geometricæ demonstrationes ad opticæ aut fabricæ demonstrationes, & Arithmeticæ ad musicas.

Cap. 8.

Difficile autem est internoscere quando rei scientiam assecuti sumus, & quando minime: eo quòd non est facile intelligere an cognoscamus per propria cuiusque rei principia, an secus: cùm tamen illud demum sit rem scire. Sed nos id sæpe ad rem sciendam satis esse existimamus, si modò ex veris ac primis quibusdã sumptionibus constet ratiocinatio:

cum tamen multo secus res habeat. Necesse enim est vt illa præterea, cum iis quæ in eo genere prima sunt, naturæ quadam coniunctione sunt consociata. Ego verò propria cuiusque generis principia appello, quæ quòd sint, demonstratione probari non possunt. Nam quæ sit verborum vis ac significatio, tum principiorum, tum eorum quæ ex principiis efficiuntur, intelligendum est. Quòd verò ipsa sint principia, extra demonstrationem ponitur: reliqua autem, demonstratione concluduntur. Veluti quid vnitas, item quid rectum & triangulum significent, statim initio accipiendum est. Sed & vnitatem & magnitudinem esse, initio ponendũ est: reliqua autem, esse demonstratur. Sunt porrò ex iis quæ in demonstratiuis scientiis vsui esse possunt, alia singularum scientiarum propria, alia communia. appello autem hoc loco communia propter similitudinẽ, per quam pari ratione multis conuenire posse cernuntur: nam illa cum ad demonstrandum adhibentur, tum iam ad naturam subiectam traducta sunt. Ac propria quidem sunt, veluti lineæ, aut recti definitio. Communia autem sunt, vt illud verbi gratia: Si ab æqualibus æqualia auferas, quæ relinquentur, erunt æqualia. quorum vnumquodque tum est ad demonstrandum accommodatum, cum ad certum quoddã genus traducitur. Eandem enim vim ad concludendum aliquid habebunt, licet non generaliter, sed in magnitudinibus tantum accipiantur: aut verò vt Arithmetico conueniant, in numeris. Ex iis verò quæ sunt propria cuiusque scientiæ, ea sunt quæ statim initio esse ponũtur, quorum in explicandis proprietatibus, ipsa tota scientia cernitur. Vt vnitates esse Arithmetici lineas & puncta, geometræ statim initio constituunt. Nam hæc non

modò quam vim habeant, multo antè statuendum est, sed etiam in rerum esse natura pro certo accipiendum. Horum autem propriæ affectiones ipsæ quidem quid significent, statim initio explicatur, veluti in Arithmetica, quid par appelletur aut impar, aut quadratum, aut cubus: in Geometria quid hæc verba significent, ratione carens, confractum esse, concurrere. At quod sint, subiectisque rebus conueniant, demonstratione ostenditur, adhibitis tum communibus pronunciatis, tũ demonstratis iam antè conclusionibus. Nec minus in astrologia idem illud fit, quàm in geometria aut arithmetica. Omnis enim scientia demonstratiua, tribus quasi momentis continetur. Horum duo sunt, quæ iam inde ab initio esse accipiuntur: Genus scilicet subiectum, cuius proprietates ipsa scientia exquirit & contemplatur: & cõmunia, vt appellantur, pronunciata, ex quibus primis demonstrationes conficiuntur. Tertium autem est, quo ipsæ proprietates continentur: quarum vis & significatio à principio proponitur. Ac in quibusdam quidem scientiis non est vitiosum horum aliquid prætermittere: Veluti si apertum ac manifestum est genus ipsum subiectum esse, non erit opus ab initio eius facere mentionem, vt, quod ipsum in rerum natura sit, subiiciamus. Neque enim sunt omnia ex æquo manifesta: vt quod numerus sit, non tam clarum est, quàm quod calidum & frigidum. Item si significatio proprietatum ipsa per se intelligatur, illa à principio sine vitio prætermittetur. Nam ne communium quidem pronũciatorum significatio explicatur, quando satis est per se manifesta: vt illud, verbi gratia, quid significet æqualia ex æqualibus detrahere. Sunt tamen tria illa natura in omni scientia neces-

Universidad de Deusto
Biblioteca

saria: res de qua aliquid concluditur, illud ipsum quod inesse alteri ostenditur, & ipsa principia ex quibus elicitur conclusio. Differunt autem plurimum suppositio & postulatum ab iis principiis quæ ipsa per se tantum habent fidem, vt sit necesse omnes iis assentire. Neque enim demonstratio, vt nec ipsa ratiocinatio, ad id pertinet quod verbo aut affirmatur, aut negatur, sed ab interiore sensu vim habet, eúmque semper respicit. Nam quid est quod verbo labefactari refellique non queat? At si suam quisque mentem consulat, multa sunt quibus obsistere non possit. Est igitur eorum, quæ demõstratione quidem concludi possunt, attamen citra demonstrationẽ quasi certa accipiũtur, duplex causa. Nam aut sumũtur quæ à discipulo approbantur, quòd illa vera existimet: túmque suppositio est: non ea quidem quæ simplici nomine suppositio appellari possit, sed quæ ex adiunctione ad docendum illum suppositio dicitur. Aut verò ea accipiuntur, de quibus nihil certum habet quod sentiat discipulus, vel etiam cõtra putat quàm accipitur: túmque fit postulatum. Nam hoc inter postulatum & suppositionem interest. Nihil enim aliud est postulatum, quàm quod aut repugnat sententiæ eius qui docetur, aut, quũ demonstratione confirmari possit, citra vllam probationem accipitur. Definitiones igitur non sunt suppositiones: esse enim aut non esse quippiam non significant, omnes autem suppositiones propositiones sunt. Deinde definitiones tantum vt simplices quædam notiones animi, concipiuntur: illud verò nemo appellauerit suppositionem: nisi idem velit cum singulas res singulis verbis auditu percipimus, tum semper esse suppositionem. Sed illæ sunt suppositiones, quibus positis elicitur conclusio, quia illæ

sunt antepositæ. Neque verò credendum est, falsas esse geometrarum suppositiones, quemadmodum quibusdam videtur. dicunt enim vitiosum esse in probando falsis vti: geometram autem falsum accipere, cum pedalem lineam ponit, quæ minimè pedalis est, aut rectam quæ non est recta. At verò Geometræ conclusio non ex eo vim habet, quòd talis sit, aut secus, quàm profert linea, sed vis tota efficiendæ conclusionis est in iis posita, quæ iis quasi signis, nobis intelligenda relinquũtur. Iam verò omnis suppositio aut de toto genere, aut in parte enunciat, neutrum autem in definitione cernitur. Atque ideas quidem esse, aut communem aliquam naturam à rebus singulis separatam, vt demonstratio sit, non est necesse: sed illud tantum verum est, necessitatem esse, vt communis aliqua ratio sit, quæ in rebus singulis cohæreat. Nam si id non sit, ne vllum quidem genus vniuersum esse poterit: quo sublato nullum medium ad sciendum accommodatum constare poterit. Quare nec demonstratio vlla relinquitur. Ex quo efficitur, vt sit necesse communem quandam, ac minimè ambiguam esse naturam, quæ ita in multis cernatur, vt ab iis seiuncta esse non possit. Hoc verò pronunciatum, Affirmatio & negatio non possunt in eadem re simul esse veræ: in nulla vnquam adhibetur demonstratione, nisi talis sit conclusio, in qua illud ipsum nominatim ostendendum sit. Atque in hunc modum erit illa demonstratio conficienda, vt de medio dici affirmationem maioris extremi, non etiam negationem, in propositione accipiatur. Nec multum interest, an medij affirmatio & negatio accipiatur, an non: quemadmodum nec minoris extremi. Nam si illa posita sit propositio, Omnem hominem esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

animal, non autem nõ animal: etiam si illud fortasse in non homine verum esse posit, atque adeò maneat vera propositio, accepta simul affirmatione & negatione hominis: semper tamen, ex illa propositione, illud quod est concludendum efficietur, Calliam scilicet esse animal, non autem non animal: licet posit non minus fortasse vera esse conclusio, si negatio Calliæ simul cum affirmatione acciperetur. Huius autem rei hæc est causa, quia maius extremum, est illud solum, quod bis attribuitur: semel medio, iterũ minori extremo, quoniam omnium patet latissimè. Quocirca quod attinet ad conclusionem, nil refert sumatúrne medium affirmatum tantum, an verò simul affirmàtum & negatũ. Est & aliud pronunciatum, In quacunque re vera est affirmatio aut negatio: quo nulla vtitur demonstratio, nisi quæ aduersarium vrget incommodo. Neque verò illud semper sicut generale est, ita vniuersè accipiendum est: sed qua ratione aptum est ad aliquid demonstrandum aptum autem est, cum ad certum quoddam genus id inquã, in quo singulæ versantur demonstrationes (quod etiam paulò antè dictum est) traducitur. Habent autem omnes scientiæ communia quædam, quibus ipsæ inter se communicãt. Non quòd aut subiectum in quo versantur, aut proprietates quæ demonstrantur, non semper sint singularum propria: sed pronunciata ipsa quibus ad aliquid concludendum vtuntur, ea sunt quæ communia esse possunt. Dialectica etiam cum omnibus scientiis communicat, & si qua est alia scientia generalis, quæ communia prologia demonstrare cõtendat, qualia sunt hæc: De quacunque re vera est aut affirmatio aut negatio: si paria ex paribus auferas, quæ restabũt, paria erunt, & huius

generis alia. Dialectica porrò non habet certas quasdam res quas probet, nec in vno quodam genere subiecto versatur, alioqui non interrogaret. Nam qui demonstrare volunt, iis nõ est pendendũ ab interrogatione: quandoquidem ex rebus contrariis nunquam potest vna eademque res demonstrari: quemadmodum in libris de ratiocinatione ostendimus.

Atqui si interrogatio, apta ad ratiocinationem conficiendam, idem est cum propositione, quæ est pars altera contradictionis: propositiones autem in singulis scientiis appellentur, ex quibus constat vnicuique scientiæ accommodata ratiocinatio: erunt profectò suæ cuique scientiæ interrogationes, ad res in quibus versantur, concludendas idoneæ. Vnde etiam perspicuum est, non temere omnem interrogationem Geometræ, aut medico, aut alteri cuiuis conuenire. Sed sunt illæ demum Geometricæ interrogationes, ex quibus demonstrantur ea quæ aut propriè ad Geometriam pertinent, aut verò à rebus Geometricis fidem accipere possunt: cuiusmodi sunt ea, in quibus versatur Optice: quod idem in aliis scientiis intelligendum. Ac de iis quidem rebus, in quibus ipsa versatur, ratio reddenda est ex Geometricis principiis & conclusionibus: de ipsius verò principiis nullam potest Geometra hoc ipso quòd Geometra est, rationem reddere. Atque in aliis scientiis eadem est ratio. Neque igitur petenda est cuiuslibet rei ratio à quouis sciente, neque par est, vt ad quasuis interrogationes vnusquisque qui aliquam artem profitetur, respondeat: sed de iis tantum ratio reddenda est, quæ propriè ad eam quam quisque tenet scientiam, pertinet. Atque si ad hunc modum cum Geometra quia geometra est, quisquam differat, & ex huiusmodi interrogationibus ali- Cap. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid concludat, rectè concludere videbitur: sin minus, non rectè. Quin neque alia ratione redargui neque conuinci potest geometra, nisi fortè per accidens. Itaque apud Geometriæ imperitos de Geometria non est disserendum, eo quòd, recténe an perperam disputetur, intelligi non possit: quod idem in aliis scientiis obseruandum. Existit autem hoc loco quæstio, an non sicuti sunt aliquæ geometricæ interrogationes, ita sint aliquæ non geometricæ, ita vt illæ potius geometricæ sint, quæ à certa quadam ignoratione nascũtur, ea inquam ignoratione quæ oritur ex deprauata intelligentia, eorum quæ propriè ad aliquam scientiam pertinent? Alia etiam quæstio est. vtra ratiocinatio insscientiam potissimum efficiat, eane cuius sumptiones contrariæ sunt iis, ex quibus rei comparatur scientia: an quæ vitiosa est & fallax ratiocinatio, de re tamen Geometrica? Est igitur ea interrogatio nõ geometrica, quæ ad aliam pertinet scientiam (cuius generis est musica, verbi gratia, interrogatio) atque adeò omni ex parte est à geometria aliena: illa autem, parallelas esse cõcurrere, est ex parte aliqua geometrica, ex altera autem parte non geometrica. Hoc enim verbum, non geometricum, dupliciter accipitur, sicuti & illud, non numerosum. Vna quidem significatione dicitur non geometricum, quod nil planè à geometria habet: vt non numerosum, quod omnino aliud est à numero. Altera autem significatione dicitur vtrunque, quod habet quidem à suo genere aliquid, sed vitiosum ac corruptum. Atque etiam illa verè insscientia existimanda est, quæ orta ex contrariis principiis, scientiæ aduersatur. Nã in doctrinis ac disciplinis nõ perinde atque in disputationibus, locũ habere solent vitiosæ

illæ & fallaces ratiocinationes. causa autem est, quòd verbum medium ita ferè bis accipi solet, vt de illo maius extremum vniuerse enuncietur, ipsum autem de minori, etiam vniuerse, nec vnquam attributo, vniuersi generis nota præponitur. Hæc autem verba, præter id quòd sic disponuntur, etiam minimo negotio quasi oculis mentis perspiciuntur, quomodo accipiantur: quod ferè inter disputandum incertum obscurúmque esse solet. Veluti si quis roget sitne omnis circulus forma quædam: id nullam ambiguitatem habebit, si iam antè de picto aliquo circulo id quæratur. Tum verò si illud subiiciatur, an non versus sunt, qui circuli nomine appellantur? id iam apertissimum erit, omnino falsum esse. Nam sic est huic assumptiõi, aliisque huius generis mathematicis propositionibus occurrẽdum, vt vniuersa sit propositio quam opponimus, nõ autem singularis, & ad inductionem faciendam apta. Vt enim propositio non est habenda, quæ non in multis dicitur, imò verò in toto genere (nam ex vniuersis propositionibus constat ratiocinatio) ita. nec oppositio. Eadem enim sunt propositiones & oppositiones. quãdoquidem nil opponi possit, quod propositio aut dialectica aut demonstratiua statim nõ fiat. Accidit autem interdum vitiosa & fallaci ratiocinatione aliquid concludi, quando medium accipitur, quod est consequẽs vtriusque extremi: qualis est illa Cænei captio, qua ostendebat, ignem gigni per proportionẽ multiplicatam: ignis enim (inquit) subito gignitur: quod autem per multiplicatã proportionẽ fit, subito gignitur. Atqui hoc modo nil necessario efficitur: sed sunt ita accipiendæ sumptiones, vt omnẽ id quod citissima quadam ratione oritur, in multiplicata proportione gigni

Universidad de Deusto
Biblioteca

proponatur, tum deinde assumatur, ignē citissima quadam ratione nasci. Interdum enim nil ex iis quæ illo modo sumpta sunt, concludi potest: interdum verò potest, sed id non apparet. Quòd si non posset ex falsis verum concludi, facile esset, in suas causas conclusionem quanque dissoluere: quandoquidem retro commeare, ac reciprocari illa inter se necesse esset. Esto enim A verum: & hoc vero posito, sint vera ea quæ ego certò scio esse vera, quæ sint B, cui quæso tum dubium erit, quin hæc talia sint ex quibus illud A demonstrandū sit? Atque in disciplinis quidem vix, ac ne vix quidem euenire potest, vt non ea reciprocentur quæ assumuntur, propterea quòd non accidentia (qua etiam in re ab iis sermonibus, qui in disputatione ac dialogo continentur, ipsæ disciplinæ differunt) sed definitiones ad docendum vnunquodque adhibentur. Solent autem disciplinæ, singulæ progredientes, incrementum hoc modo capere, & quasi in longius produci, vt non multa congerant ad vnam rem demonstrandam argumenta, sed aut in directum excurrentes, alia ex alijs docent, veluti ex A ipsum B, tum ex B. ipsum C, deinde ex C ipsum D, eodémque modo ex superioribus inferiora, vel in infinitum vsque, demonstrando, Aut in obliquum procedentes, quæ ex eodem sunt ordine demonstrant: Veluti A de C & de E. Ac sit quidem A numerus tantus, aut infinitus, B autem numerus impar tantus, C verò numerus ipse impar: ex iis igitur constat A de C demonstrari. Item sit numerus par tantus, D: par ipse numerus, E: concludi igitur etiam A de E manifestum est.

Cap. 10. Differunt multis modis inter se, scire quòd res sit, & quamobrem sit. Ac primum in eadem scientia, idque

bifariam. Vnus modus est, si ad concludendum non adhibeantur immediatæ propositiones: neque enim tum prima causa accipitur. Scire autem cur res sit, nil est, quàm primam cuiusque rei causam nosse. Alius modus est, cum immediatæ quidem sumuntur propositiones, at non ex causa ostenditur effectus, sed contra hic, quia vt inter ea quæ retrò commeant est notius, pro medio accipitur. Nam inter ea quæ reciprocantur, fieri interdum potest vt id notius sit, quod non est causa. quare & ad demonstrandum non incommodè illud assumetur. Vt si probetur verbi causâ, planetas propius à terra moueri, quia nō micant. Itaque sint errantes stellæ, C: nullis micare radiis, B: propè esse à nobis, A. Vera est quidem assumptio, Omne C est B. Errantes enim stellæ nullis radiis micant: sed & propositio vera, Omne B est A. Nam quod nullis micat radiis, propè est à nobis: quemadmodum inductione, vel ipso sensu iam potuit esse manifestum. Illud igitur necessariò efficietur, Omne C esse A. atque ita demonstratum erit, propius à terra moueri stellas errantes: quæ demonstratio non cur ita sit ostendit, sed tantùm quòd ita sit. Non enim quia non micant, propè sunt, sed contra, quia propè sunt à terra, propterea non micant. Ob eámque causam si contra ex altero alterum probetur, fiet demonstratio cur res sit ostendens, hoc modo: Sint stellæ errantes C, propè esse B, non micare A. Et B igitur ipsi C inest, & A ipsi B, quod est non micare, conuenit: quare & A ipsi C conuenire necesse erit: atque ita necesse, vt etiam cur ita sit, hac probatione sit ostensum. prima enim huius rei causa accepta est. Similis est huic etiam illa demonstratio, qua rotundam esse lunam ostenditur per luminis accretionem. Nam quod in rotundam sem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

per formam accrescit, rotũdum est: luna autem in hunc semper modum accrescit, rotunda igitur. Atque hæc quidem ratiocinatio, quòd sit res ostendit: at si è conuerso medium statuatur, tum quãobrem res sit docebitur. Non est enim huiusmodi luminis accretio, causa cur globosa sit luna, sed contra, quia globosa est, huiusmodi semper luminis accessiones capere conspicitur. Sit igitur luna C, rotundum B, luminis accretio A. Quando autem non reciprocantur cum extremis media, atque illud euenit, vt sit manifestior effectus, quàm causa: tum quòd res sit demonstrari potest, cur sit non potest. Ac ne tum quidem potest, quamobrem sit, demonstrari, sed tantum quòd sit, cum medium est, aliquantò longius petitum: id quod propterea fit, quia tale medium causa esse non potest. Veluti si parietem non respirare ostendatur, quia non sit animal. Nam si hæc sit non respirandi causa necesse est vt vicissim animal sit respirationis causa: nimirum quia necesse est, si est negationis causa negatio, vt etiam affirmationis causa sit affirmatio: exempli causa, si calida cum frigidis non aptè conuenire. id efficit vt non bene valeamus, illa certè erit vt bene valeamus causa, calidorum cum frigidis conuenientia. sed etiam è contrario, si est affirmationis causa affirmatio, & negationis causa erit negatio. In illis autem verbis quæ accepta sunt, non ita res habet, propterea quòd non omne animal respirat. conficitur autem illa ratiocinatio, in qua huiusmodi causa sumitur, in secunda figura hoc modo: Sit A animal, B respirare, C paries: Iam omne B est A, hoc est, omne quod respirat, est animal: deinde nullum C est A, nullum igitur C est B, id est nullus paries respirat. Sunt autem propemodum similes hæ causæ iis quæ ita red-

di solent, vt in illis quasi hyperbole quædam contineatur: quod quidem tum fit, cum lõgissimè remotum à re medium accipitur. Huius generis est illud Anacharsidis, apud Scythas tibicines non esse, quia illic vites non essent. Atque illa quidem sufficiãt de discrimine earum probationum quibus quòd res sit, & quamobrem sit ostenditur, cum ad eandem scientiam pertinet vtraque probatio: item quomodo propter verbi medij variam collocationem hæc inter se distinguuntur. Est autem & aliud inter ista discrimen, cùm ad diuersas scientias pertinet, quòd res sit, & quamobrem sit, ostendere: id quod tum accidit, quando res vni scientiæ subiecta, sic affecta est ad alterius scientiæ subiectum, vt sub illo contineatur. quomodo ea in quibus versatur optice ad geometriam affecta sunt: & quæ tractat fabrica, ad stereometriam: & quæ docet musica, ad arithmeticam, & ipsa phænomena ad astrologiam. Sunt autem ex iis scientiis, quæ sic sunt inter se affectæ, plurimæ quæ eodem ferè nomine appellãtur. Vt Astrologiæ nomine appellatur & ipsa de rebus cælestibus disciplina, & nautarum de iis rebus peritia. Musica appellatur, tum ipsa quæ mathematicarum scientiarum vna est, tum illa quæ auribus demulcẽdis modos aptos nouit adhibere. Ac nosse quidẽ quòd res sit, est eorum qui eas artes exercent quæ sensuum iudicio cõtinentur: cur autem ipsa res sit intelligere, eorum est qui scientia & doctrina sunt perpoliti. Hi enim sunt qui perspectas habent singularũ rerum ex suis causis demonstrationes: ac sæpenumero quòd res sit ignorant, quemadmodũ iis qui vniuersas res contemplantur, sæpe vsuuenit vt quasdam ex rebus singulis nesciant, propterea quòd ad illas res animum fortasse non aduertunt. In iis

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem rebus id potißimum euenire ſolet quod dico, quæ vt formæ quædam ſeparatæ ob id conſiderantur, quòd aliam quandam rationem habere cernãtur, atque adeò quidpiam aliud eſſe, quàm quod ſenſu percipitur. Nam quis artes mathematicas in formis quibuſdam verſari non videt? Neque enim res tractant illæ quas certa quadam in materia eſſe neceſſe ſit: & quanquam in aliqua fortè re ſubiecta ineſſe conſpiciantur res geometricæ, in ea tamen non hoc ipſo cernuntur, quo ad Geometriam pertinent. Eſt autem & alia quædam ſcientia, quæ eodem modo eſt ad opticen affecta, quo ipſa optice ad Geometriã: ea ſcilicet pars phyſicæ, quæ de iride diſputat. Nã quòd ſit, eſt phyſici ſcire: cur verò ſit, optici, atque eius quidẽ eſt, aut omni ex parte, aut qua ex parte ratione ac doctrina cõtinetur. Sunt porrò etiam ex iis quarum vna ſub altera non continetur, aliquæ ſcientiæ quæ eandem nihilominus habent inter ſe quadam ex parte coniunctionẽ: vt medicina & geometria. Nam quòd vulnera orbicularia difficilius ac tardius curentur, nouit medicus: huius autem rei cauſam reddit geometra.

Cap. II. Ex tribus figuris prima eſt ad ſcientiam accõmodatiſſima. Primum enim Mathematicæ ſcientiæ ſuas in hac figura demonſtrationes concludunt: vt arithmetica, geometria, optice, & vt in ſumma dicam, omnes quæ cur res ſit inquirunt. Omnes enim demonſtrationes, quæ cur res ſit oſtendunt, aut certè pars earũ maxima, ac multo ſæpius in hac figura conficiuntur: quod etiam nobis argumẽto eſſe poteſt, quàm ſit ad ſciendum accõmodata hæc figura: quandoquidem illud certiſſimum accuratiſſimumque genus ſciendi eſt, quo rei cuiuſque cauſa inueſtigatur. Deinde hac vna figura definitionem,

quæquid res ſit intelligamus, inueſtigare poſſumus. Nam in ſecunda figura nulla eſt aiens concluſio: definitionis autem cognitio, affirmatione quadam continetur. In tertia verò aiens quidem poteſt eſſe concluſio, at nulla poteſt de toto genere eſſe: definitio autem ex eorum eſt numero, quæ vniuerſe enunciantur. Nam quis quadam tantum ex parte hominem eſſe animal bipes dixerit? Iam verò hæc ſeipſa contenta, nil illarum eget auxilio: in illis autẽ facta cõcluſione, ſi ſint quaſi retexẽdo ad immediatas propoſitiones reuocãdæ ſumptiones, ex quibus illa facta eſt complexio huiuſmodi quæ in diſſoluendo ſit coagmẽtatio, & in multitudinem quandam propoſitionum acceſſio, ſine prima figura omnino fieri non poteſt. Perſpicuum igitur eſt primam figuram ad ſciendum eſſe accommodatiſſimam. Vt autem ſunt quædam affirmationes in quibus ipſi B continuò ineſt A, ſic ſunt & aliquæ negationes, quibus confirmãdis nullum medium adhiberi poteſt. Hoc enim eſt quod alterum alteri continuò ineſſe, aut non ineſſe dicebam: quia cùm nullum eſt medium, ſit vt non per aliud quippiã affirmetur aut negetur alterum de altero. Ac ſi quidem in aliquo toto genere aut A, aut B, aut vtrunque contineatur, fieri nunquam poterit, vt ſit immediata propoſitio, Nullum B eſt A. nam ſi omne A eſt C, & nullum B ſit C (cur enim ita non poſſit vſuuenire vt C omni A conueniat, nulli autem B inſit, non video) ex his illud relinquetur hac ratiocinatione confirmatum, Nullum B eſſe A, hoc modo: Omne A eſt C, nullum B eſt C, nullum igitur B eſt A. Par ratio erit, ſi quippiam ſit quod de omni B dicatur, vt D verbi gratia. fiet enim hoc modo demonſtratio, Nullum A eſt D, omne B eſt D, nul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum igitur B est A. eodem porrò modo illud demõstrabitur, si & A, & B, sua quædam genera habeant, quæ de illis vniuersæ affirmẽtur. Quòd autem vsuuenire possit, vt quod de omni A dicitur, de nullo B dicatur, aut contrà quod inest omni B, nulli A insit, vel ex ipsis ordinibus & quasi classibus rerum omnium constare potest, quæ omnes suis finibus contentæ, in alienos non trãseunt, nec aliquid vnquam communicant. Nam si nil eorum quæ sunt ex coniugatione A C D, in iis dicitur quæ pertinent ad ordinem BEF, insit autem G in omnia A, necesse est vt illud G, quod ex altera classe sumptum est, nulli B insit: alioqui iam permisceri ac confundi illos ordines fatendum erit. Eadémque ratio erit, si aliquod genus est in quo contineatur ipsum B. Sin nihil reperiatur quod de A, aut de B affirmari possit, tum certum est negationem hanc, nullum B est A, esse immediatam. Nam si quod medium habeat, necesse erit illud de horum altero affirmari, quoniam aut in prima aut in secunda figura illa negatio concludetur. Ac si quidem in prima, in omni B medium dici oportebit: nam vt illa conclusio efficiatur, assumptionem oportet in toto genere æffirmare. At si in secunda, poterit medium de vtrouis affirmari: quia siue propositio, siue assumptio, vniuersã negans accipiatur, in hac figura recte vniuersã negatio concluditur: nec licet vtrasque negationes accipere. Perspicuum igitur est alterum de altero cura vllum medium negari posse: quando autem & quomodo id fiat, à nobis est explicatum.

Cap. 12. IGNORATIO autẽ atque inscientia, nõ illa quidem quæ ex negatione appellatur, sed quæ ex certa quadam affectione dicitur, nil est quàm error ex aliqua ratiocinatione

ortus. Hæc autem dupliciter fit in affirmationibus aut negationibus immediatis. Aut enim ex simplici animi perceptione nascitur opinio, quòd ita res sit aut secus, aut verò ex ratiocinatione. Ex simplici animi comprehensione, simpliciter, vnóque modo gignitur falsa opinio. Quæ per ratiocinationẽ inducitur insciti a, varia est & multiplex. Sit enim hæc immediata negatio, nullum B est A. si quis igitur ratiocinatione confirmare voluerit omne B esse A, adhibito verbi gratia medio C, is per ratiocinationem in falsam hanc inducetur opinionem. Ac huius quidem ratiocinationis vtræque sumptiones falsæ esse possunt: sed & altera tantum falsa, idem hoc concludi potest. Nam si negando veræ sint hæ propositiones, nullum C est A, & nullum B est C, sumantur autem è contrario vniuersæ affirmationes, erunt profectò vtræque sumptiones falsæ. Illud verò euenire potest vt C medium, sit affectum sii ad extrema A B, vt A de nullo C dicatur, de B autem aliquo non enuncietur ipsum C. neque enim fieri potest vt de omni B dicatur C. quia hanc negationem nullum B est A, immediatam esse posuimus: Neque ipsum A tale est, quale in omnibus quæ sunt dici possit. Quare hoc modo acceptis vniuersis affirmationibus, falsæ erunt vtræque sumptiones. At vera etiam potest altera esse, non ea quidem vtrauis, sed propositio tantum, quæ est A C. Nam quoniam nil est quod de ipso B vniuersè affirmari potest, eo efficitur vt assumptio, quæ est B C, non possit esse vera. Quòd verò A C, propositio vera esse possit, hinc intelligetur, si ponatur A citra vllum medium, de C & de B dici. Quando verò verbum aliquod de duobus primum ac citra vllũ mediũ dicitur, necesse est vt ex illis duobus alterũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

alteri non conueniat. Verùtamen parum refert vt vera accipiatur propositio A C, an sit interiectum aliquod medium inter A C, an secus. Atque illæ quidem solæ sunt rationes, quibus inducitur opinio, qua sibi quis veram esse de toto genere affirmationem falso persuadeat: quandoquidem non potest in aliis figuris talis vlla affirmatio concludi. Vt verò in eum qui errorem se inducat, vt putet veras esse in toto genere negationes quæ mentiantur, id tum in prima figura, tum in secunda potest euenire. Itaque dicamus primùm quot modis illud in prima figura possit accidere, & quàm variè sumptiones affectas esse oportet. Ac primùm ex vtrisque falsis propositionibus id conficì posse, hoc potest exemplo intelligi. Conueniat A omni C, & omni B, citra vllum medium: tum si propositio accipiatur, nullum C est A: & assumptio omne B est C, vtrasque sumptiones certum erit mentiri. Deinde ex altera atque adeò vtralibet falsa, illud idem cõcludi potest. Id enim vsuuenit, cum est vera propositio A C, assumptionem B C necessariò esse falsam. Ac vera quidem esse potest A C propositio, quia non tam latè patet verbum A, vt in omnes res cadere possit. falsa autem B C assumptio, quia fieri non potest, vt omni B conueniat C, cum de hoc vniuerse negatur ipsum A, siquidem id futurum est vt non sit vera A C propositio. Adde quòd, si vtræque veræ ponerentur, etiam conclusio vera esset. Atqui illud etiam è contrario potest accidere, vt vera sit B C assumptio, & falsa propositio. vt si de omni B dici possint & C, & A, necesse est vt ex iis duobus alterum alteri conuenire possit. Idcirco si sumatur nullum C esse A, falsa erit propositio. Perspicuũ igitur est in prima figura mentientem fieri posse ratiocinationem,

tum ex falsis vtrisque sumptionibus, tum ex altera tantum falsa. Nunc de secũda figura dicamus. Primum si ambæ sint ex omni parte falsæ, nunquam fiet huiusmodi fallax conclusio. Quando enim in omni B inest A, nihil reperiri potest, quod vni ex parte conueniat, ab altero sit omni ex parte alienum. Vt autem huiusmodi conficiatur cõclusio, ita medium in sumptionibus collocari debet, vt de vno vniuerse affirmetur, de altero vniuerse negetur. Itaque si certo quodam modo acceptæ sumptiones mentiantur, necesse est vt contrario modo sumptæ, contrariam affectionem habeant, quod fieri omnino non posse ostendimus, At verò vt sit vtraque, ex parte falsa, non est incommodum. veluti si C in quodam A atque etiam in quodã B tantum dicatur: sumatur autem propositio, omne A est C, assumptio autem nullum B est C, mentientur profectò vtræque sumptiones, non illæ quidem ex toto, sed ex aliqua parte. Sed & si negationis collocatio commutetur, eadem ratio erit. Quòd si alterutra tãtum falsa sit, hæc etiam complexio rectè efficietur: nam quod omni A conuenit, potest etiam omni B conuenire. Si igitur, omne A est C, propositio fiat, & nullum B est C assumptio, verum dicet C A propositio, mentietur C B assumptio. Rursus quod nulli B inest, id etiam potest non omni A conuenire, quia si omni A conueniret, etiam omni B ineſſe oporteret: cui tamen nulli ineſſe sumebatur. Si igitur omne A esse C proponatur, & nullum B esse C assumatur, erit vera C B assumptio, falsa altera. Similis porrò ratio erit, si cõmutato ordine, prima ponatur negatio. Nam quod de nullo A dicitur, de nullo etiam B dicetur: ideòque si sumatur propositio, nullum A est B, assumptio autem omne B est C, vera erit C A propositio,

mentietur altera. Ac rursum quod in omni B verè enunciatur, in nullum A posse cadere, mendacium est, necesse enim est vt si in omni B dicatur, in quodã etiam A dicatur. Sumpta itaque propositione, nullum A est C, & assumptione omne B est C, erit hæc vera, illa falsa. Perspicuum igitur est, etiam cum medio carent propositiones, in errorem tamen nos induci per ratiocinationem sumptiones habentem partim vtrasque falsas, partim alteram tantum.

Cap. 13. QVANDO verò interiecto aliquo medio affirmatur quippiam aut negatur, si proprium medium accipiatur, atque ex eo tamen efficiatur falsa conclusio, fieri non potest, vt vtræque sumptiones mentiantur, sed ea tantum in qua maius extremum continetur, falsa erit. Ego verò proprium medium appello, idem illud medium, quod accommodatum est ad concludẽdam cõtrariam, verámque pronunciationẽ. Itaque si A conueniat omni B, per medium C, quia necesse est, vt fiat ratiocinatio, assumptionem C B affirmantem esse, illud profectò clarum est, hanc assumptionem quæ nec cõmutari, nec aliter accipi potest, veram semper futuram. Propositio autem A C, falsa erit. hac enim cõtrariè sumpta, efficitur contraria ratiocinatio. Nec dissimilis ratio erit, si nõ proprium, sed ex alio quodã ordine sumptũ medium adhibeatur, vt D. quod tamẽ ita sit ad extrema affectum, vt de omni illo enuncietur A, ipsum autem de omni B. Nam & hìc manere eandem assumptionem D B oportebit, altera autẽ contrà, quàm verum est accipietur, ob idque illa semper verum dicet, hæc semper mentietur. Atque hic error non multum differt ab eo qui ex proprio medio oritur. At verò si non adhibeatur ad efficienda fallaci conclusione proprium medium, affirmetur

autem de medio ipsum A: de B autem negetur medium: necesse erit mentiri vtrasque. Contrariò enim modo sumendæ sunt sumptiones, quàm quòmodo veræ erant: alioqui non fiet ratiocinatio. Atqui hoc modo sumptæ, falsæ sunt vtræque. Veluti si verum sit, omne D esse A, & nullum B esse D, item verum: acceptis contrà vtrisque propositionibus, ratiocinatio fiet ex duabus falsis sumptionibus. Sin de medio D etiam negetur A, erit vera propositio A D, assumptio autem falsa B D. Ac illa quidem vera erit, quia non poterat de D affirmari A. Hæc autem falsa, quia si etiam hæc verum diceret, non mentiretur complexio. Quòd si per secundam figuram inductus quispiam, falsa se implicet opinione, id nunquam eueniet ex sumptionibus omni ex parte falsis. Quando enim omni B inest A, nil vnquam inueniri potest (quemadmodum etiam paulò antè dictum est) quod de vno vniuerse affirmetur, de altero vniuerse negetur. Sed vt altera, atque adeò vtralibet ex toto mentiatur, fieri potest. Nam si C de omni A, & de omni B, dicatur, sumatur autem in propositione omni A inesse, in assumptione autem nulli B, erit vera A C propositio, mendax altera. Rursum si omni B inesse C, assumptum sit, propositum autem nulli A conuenire, verum dicet assumptio C B, falsum altera. Hactenus explicatum est quando & ex quibus falsa inducitur opinio per ratiocinationem, qua falsa negatio concluditur. Nunc dicendum est de ea ratiocinatione, per quam falsa efficitur affirmatio. Ac primũ si proprium medium accipiatur, nũquam erunt vtræque sumptiones falsæ: quia necesse est eandem manere assumptionẽ C B, vt ratiocinatione aliquid concludatur, quemadmodũ suprà dictum

Universidad de Deusto
Biblioteca

est: quare quãdo propositio sola est quæ cõtrà accipitur quàm oportet, hæc sola semper mentietur. Eadem ratio erit si non proprium, sed ex alia quadam classe atque ordine sumatur medium: sicut dictum est supra, cum errorẽ explicabamus, qui negatione continetur. Etenim assumptionem D B, eandem manere oportet, propositionem autem A D, contrà ac verum est accipi: atque ita eundem errorem gigni cum superiore. Sin medium non sit proprium, in omni autem D dicatur A, hanc propositionem veram esse oportebit, mendacem alteram. quid enim est cur non possit A multis conuenire, quorum alia non contineantur sub aliis? At si non possit A enunciari de omni D, planum est hanc semper falsam futuram, vt quæ affirmans accipiatur. Assumptio verò D B potest tum vera, tum falsa esse. Nam quid vetat Z in nullo D dici, cum interim omni B conueniat ipsum D? veluti animal in nullam scientiam cadit, ipsa autem scientia de musica vniuersè affirmatur. Deinde verò, cur id euenire facilè non possit, vt & A de nullo D dicatur, & de nullo B? Ex iis igitur planum est, quando sub A medium non cõtinetur, posse tum vtrasque sumptiones, tum alterutram mentiri. Atque illa quidem satis de omnibus modis, quibus falsa opinio per ratiocinationem inducitur, tum in carẽtibus medio proloquiis, tum in iis quæ demonstratione probari possunt.

Cap. 14. Illud verò iam propemodum est perspicuum, cui sensus aliquis desit, necessario scientiam aliquam defuturam, quòd eam discere iam, ac percipere non possit. Quicquid enim discitur, aut inductione, aut demonstratione cognoscitur: ac demonstratio quidem rebus vniuersis continetur, inductio ex rebus singulis conficitur. Atqui rerum vniuersarum citra

inductionem haberi cognitio non potest: id quod vel apertissimè ostendunt eæ res quæ cogitatione abductæ, & ab iis rebus quæ sub sensum cadunt separatæ, nõ possunt tamen planè ac perfectè intelligi sine inductione. Et quanquam hæres hoc ipso quòd ad sensum traducuntur, non iam quasi abiunctæ separatæque intelliguntur, semper tamen in iis aliqua insunt, quæ non nisi hac ratione manifesta fieri possunt. Quis porrò est qui sensibus carens, possit aliquid inductione perdiscere? Etenim in singularibus versatur sensus. Nam istorum assequi non poterit scientiam. ex vniuersis enim ipsis, citra inductionem nil percipi potest, inductio autem non nisi opera sensuum absoluitur.

Omnis ratiocinatio tribus extremis conflat: atque est Cap. 15.
vna quidem, qua affirmari A de C eò ostenditur, quòd ipsum A de omni B dicitur, & B de omni C. Alia autem, quæ negationem concludit, sumpta una propositione aiente, altera negante. Ex quo planè ac perspicuè intelligitur, ipsas demonstrationis sumptiones (quæ hypotheses appellari solent) esse illa ipsa quæ demonstrationum principia dicuntur. Neque enim, nisi acceptis quibusdam sumptionibus, quicquam demonstratur. Veluti cum omne C esse A per medium B probatur. Ac rursus omne B esse A, alio quodam medio: itemq; omne C esse B, alio. Atque iis quidem qui suas conclusiones ad opinionem dirigunt, & dialecticè tantùm disputant, illud modò videndum est, vt sint quàm maximè probabilia, quæ ad probandum aliquid accipiuntur: adeò vt sit re vera est interiectum aliquod medium inter A & B, nec vllum tamen esse videatur: qui eam propositionem in probando quasi indubitatam accipit, is dialecticè modò rem probasse censeF iij

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Iis verò qui ad veritatem ſuas conferunt probationes, quid in ipſa re ſit perpetuò ſpectandum. Hoc autem vt fieri poßit, inde euenit, quòd in vnoquoque genere ſunt quædam quæ per ſe, non per accidens in ſunt, ac dicuntur. Per accidens autem interpretor, veluti ſi quis illud quod candidum eſt, dicat eſſe hominem: eſt enim hoc genus attribuendi illi valde diſsimile, quo contra hominem eſſe candidum pronunciamus. Homini enim per ſe, non quia aliud quippiam eſſe intelligatur, candidum eſſe attribuitur. At candido non alia ratione attribuitur homo, quàm quia ita fortè euenit, vt qui homo eſſet, candidus eſſet. Sunt igitur in vnoquoque genere aliqua huiuſmodi, quæ propter ſe attribuuntur. Ergo ponatur C tale eſſe, vt nihil infra ſe habeat, de quo enuncietur. Sit autẽm huic proximũ B, quod de illo affirmari poteſt citra vllum medium: tum deinde ſequatur D, quod de ipſo B eodem modo dicatur: Poſt hæc cõſtituatur E proximè antecedens ipſum D. Nunc quæro, num ſit neceſſe, vt aliquis tandem reperiatur exitus, an verò ita ſuperiora repetentem, regredi in infinitum licet? Rurſus ponatur A ſummum quoddam caput, de quo nil enunciari poßit, dicatur autem primum omnium, ac citra vllum medium de ipſo E, tum ipſum F eadem ratione conueniat G, deinde & G ipſi B. Illud igitur hîc rogo, futuriúmne ſit, vt tandem reperiamus infimum aliquid, in quo neceſſe ſit conſiſtere, an verò hîc etiam in infinitum progredi liceat? Hoc verò intereſt inter hanc quæſtionem & ſuperiorem: quòd illa, ſumpto initio ab infimo, quod ipſum quidem de nullo dicitur, de illo autem alia enunciantur, illud quærit, an ſuperiora deinceps repetendo, in infinitũ regredi liceat? in poſteriore verò id

quæritur, ſi exordiamur à ſupremo aliquo, cui nil omnino poßit attribui, ipſum autem de aliis affirmari queat, an inferiora deinceps perſequendo, in infinitum progredi liceat? Exiſlit porrò & tertia quæſtio, poßintne media eſſe infinita conſtitutis iam antè ac definitis extremis, néne? Exemplicauſa, ſi dicatur A de omni C, ſítque horum medium B: deinde inter A & B alia interpoſita ſint, ac rurſus inter hæc alia: Eſt ne neceſſe vt certo quodam numero ſint iſta media, an verò in infinito numero eſſe poßint? Atque has quæſtiones tractare, nil eſt aliud, quàm quærere, an demonſtrationum progreſſus in infinitum poßit produci: & an poſſint omnia euidenti probatione confirmari, an potius ſint aliqui tandem fines, vbi probationum exitus reperiatur. Eadem quæſtio etiam ad eas tum ratiocinationes, tum propoſitiones, quæ aliquid negant, accommodari poteſt. Veluti ſi de nullo B dicatur A, aut de hoc primum ac citra medium negabitur, aut verò aliquid interiacebit, de quo prius negabitur, vt de C verbi gratia, quod in ipſo B omni dicitur: rurſus & aliud erit, in quo prius negatio vera erit, vt D, quod de omni C enunciatur. Hîc igitur nũ quæri rectè poteſt, ſitne eorum infinitus numerus, quibus prius nõ ineſſe ipſum A reperietur, an verò certus ac definitus? In iis autem quæ reciprocantur, non poſſunt hæ quæſtiones eodem modo locum habere. Quæ enim vicißim retrò cõmeant, in iis nil tale reperitur, de quo primo, & de quo vltimo alterum enunciatur: quia paria ſunt inter ſe omnia. Veruntámen eatenus hæ quæſtiones iis accommodari poſſunt, quatenus id quæritur, poßintne infinita eſſe ea quæ per ſe alteri attribuuntur? aut etiam, poßintne tum ſubiecta, tũ attributa infinita

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse? Sed quum ista reciprocantur, inter attribuendi genera hoc interest, quòd vna est per accidens, altera propria ac per se attributio.

Cap. 16. Ac primum minimo negotio illud ostendi potest, fieri non posse, vt media sint infinita, si sursum ac deorsum extrema reperiantur attributa, in quibus necessariò sit resistendū. Ego autem summa attributa interpretor, quæ sunt maximè generalia, infima autē, quæ minimè generalia sunt, ob idque in parte maximè intelliguntur. Si igitur extrema sint A & F, quorum A in omni F dicitur, infinita autem media, B: quid quæso apertius est, quàm illud: si quis ab A ad infimum peruenire velit, futurum vt infinita attributa pretergrediatur? priusquā enim ad F deueniat, interiecta sient infinita. Et contrà, si ab F velit ad summum ascendere, necesse esse vt prius infinita media percurrat, quàm ad A peruenerit? Quare si omnino ista fieri non possint, & illud quoque absurdissimum est, inter A & F media esse infinita. Neque verò id quicquam nostræ rationi officit, quòd diceret fortasse quispiam, ex mediis quædam esse quæ continenter, nullóque interposito sequantur ipsum A B C. Alia autem esse quæ omnino ne accipi quidem ac inueniri possint. Quocunque enim ex ipsis B mediis accepto, num semper aut versus A, aut versus F media restabunt infinita, an non? Nam vnde primum incipiat infinitas, continuóne à principio, an paulò pòst, nil refert, modò aliquam tandem infinitatem paulò pòst sequi ostendam.

Cap. 17. SEQVITVR deinde vt planum faciamus, si in affirmantibus demonstrationibus termini tandē aliqui vtrinque reperiantur, quos excedere non liceat, necesse esse, vt suos

etiam quosdam fines habeat negans demonstratio. Ponatur igitur nunc, neque ascensum ab imo ad summum infinitum esse, neque descēsum à supremo ad infimum. Imum autem ego hîc interpretor, quod de nullo dicitur, de ipso autem superiora multa enūciantur. Supremum autem ac primum intelligo, quod ipsum quidem in aliis dicitur, in illo autem nihil. Hoc itaque posito, facile erit intelligere, in negationibus exitum tandem aliquem futurū. Tribus enim tantum modis negatio concluditur. Primus est, cùm ita disponuntur sumptiones, vt propositio sit, nullum B est A, assumptio, omne C est B. Ac perspicuum quidem iam est, hanc assumptionem B C, atque adeò semper alteram ex sumptionibus, quam necesse est esse affirmationem, ad primam tandem mediόque carentem propositionem reuocatum iri. Alterius autem propositionis attributum, si non primo negetur de B, sed de altero prius, vt D, necessarium erit vt ipsum D in omni B insit: ac rursus si aliud quidpiam est, de quo prius negetur A, quàm de ipso D, illud similiter oportebit in omni D affirmari. Quoniam igitur in hac probandi ratione, deorsum versus finis reperitur, vbi consistendum sit, erit etiam superiora repetenti, in summo aliquid vbi consistat. Atque erit tandem aliquid de quo vniuerse, ac citra vllum medium negabitur A. Rursum si facta sit hac dispositione ratiocinatio, Omne A est B, nullum C est B, nullum igitur C est A: velit autem quispiam etiam hanc assumptionem probare, necesse erit vt aut primam illam formam ac dispositionem sequatur, aut hanc ipsam quæ hac ratiocinatione continetur, aut tertiam. Ac de illa quidem prima figura iam satis dictum est: nunc secunda explicabi-

tur, in qua ad hunc modum res demonstrabitur, vt (si modò sit aliquid quod de ipso B dicatur, verbi gratia D) hac forma collocentur sumptiones: omne B est D, nullum C est D. Ac rursus vt de nullo C dicitur D, ita aliud quippiam accipietur, quod in omni quidem D affirmabitur, sed in nullo C enunciari poterit. Quia ergo sursum versus est aliquis in affirmationibus exitus, necesse etiam est vt in negationibus aliquid tandem inueniatur, vbi sit resistendum. Tertia forma est, cum ita concluditur, nullum B est C, omne B est A, quoddam igitur A non est C. Vbi si rursus est demonstranda propositio, necesse est, vt aut altero modo ex iis duobus, quos proximè exposuimus, id fiat, aut hac ipsa forma. Atque in superioribus quidem illis probandi rationibus fines tandem aliqui reperiuntur. Hac verò forma si quis id monstrare instituerit, ita necesse est medium accipiat, E verbi gratia, vt de nullo E dicatur C in propositione: in assumptione autem, in omni E dicatur B: eodémque modo in aliis rursus faciat, si qua alia reperiantur media. Postquam igitur id positum est, affirmationes deorsum versus sua habere quædam extrema, illud etiam necessariò efficietur, ad extremum quoddam tandem peruenturas negationes, in quibus C de aliquo negatur. Est porrò illud etiam ex iis perspicuum, quòd si non vna tantùm via ac ratione huiusmodi probentur negationes, sed simul omnibus: ita vt partim in prima figura, partim in secunda, & partim in tertia concludatur, planum inquam est hoc etiam modo necesse esse vt aliquæ tandem veluti stationes reperiantur, in quibus commorandum & acquiescendum sit. Etenim hæ viæ sunt finitæ: quæ verò certa sunt ac definita, si non

nisi certo quodam numero accipiantur, quomodo non fatient totum quod ex iis coniunctum erit certum ac finitum? Est igitur perspicuum in negationibus certos quosdam ac definitos esse terminos, si modò in affirmationibus quosdam esse admittatur.

QVOD verò in his ipsis exitus tandem aliquis repe- Cap. 18.
riatur, nunc demonstrabimus. Ac primùm logicè ista consideranti, non est difficile quàm id verum sit cernere. Imprimis certa esse ea, quæ in definitione accipiuntur, vel hinc planum esse potest, quòd si declarari aliquid definitione posse, aut verò quid sit res posse oratione cognosci statuatur, necesse est numero quodam certo esse ponantur, quæ in oratione quid res sit explicante adhibentur: siquidem infinita nemo possit animo accogitatione percurrere. In vniuerso autem genere eorum quæ de altero dicuntur, idem illud verum esse, hoc modo planum ac manifestum faciam. Verum quidem dicimus, cùm hoc modo pronũciamus, quod candidum est ambulare, aut illud quod magnum est, lignum esse: & rursus cùm lignum esse album, aut hominem ambulare enunciamus: inter hoc tamen enunciandi genus, atque illud, plurimum interest. Quando enim quod album est, lignum esse dico, nil dico nisi illud cui fortè accidit vt album esset, lignum esse: nec ita attribuo lignum albo, quasi subiectum quoddam ligno sit album: siquidem id vsuuenire hoc loco non videmus, vt fuerit prius id quod albũ est, aut omnino, aut pars eius, res quædam ipsa per se cohærens, tum deinde illi conueniret lignum esse: quare quod album est, lignum esse, id fortuitum ac per accidens tantùm est: quando verò lignum esse album dico, id ego non volo, rem quandam albo

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiectam esse, cui idem acciderit vt præter id quòd alba est, lignum esset: qualiter sit cùm ita enunciatur, Musicum esse album: id enim ex eo verum est, quòd eidem homini, qui musicus erat, contigit vt albus etiam esset: sed illius enunciationis ea vis est, vt albo subiectum sit lignum, cui illud non alia ratione conuenire cœpit, nisi qua lignum est, aut species quædam illius. Ac si hìc mihi legem ponere, certémque aliud statuere liceat, tum dici aliquid attribuíque statuatur, quando posteriore hoc genere enunciabitur: cùm verò illo priore modo fiet pronunciatio, tum aut nullo modo dici, aut non simpliciter, sed ex adiunctione per accidens attribui censeatur. Atque esto attributum, vt album: subiectum autem, vt lignum. Ponatur igitur omne attributum de subiecto simpliciter, ac non per accidens dici: quandoquidem talia semper sunt, quæ in demonstrationibus adhibentur. Vnde illud sequitur, quandocunque vnum vni attribuetur, necesse esse vt attributum aut in essentia rei contineatur, aut significet qualitatem, aut quantitatem, aut ad aliquid, aut facere, aut pati, aut locum, aut tempus. Iam verò quæ ad explicationem naturæ pertinent, ita semper subiecto attribuuntur, vt subiectum significent esse id ipsum quod attribuitur, aut huius partem aliquam. Quæ autem rei naturam non declarant, sed in subiecto quodam dicuntur, quod nec illud ipsum est, quod ei attribuitur, nec illius generis quippiam, ea accidentia dicuntur: quomodo album de homine dicitur. Neque enim homo est illud ipsum quod significat album, neque quod ab aliqua albi differentia significetur: sed homo animal est fortásse, atque adeò quod animal significat, illud ipsum homo est. Quæ porrò non de-

clarant rei naturam, ea semper in subiecto aliquo insunt, nec est quippiã quod ita album dicitur, vt nil aliud sit quàm id ipsum quod hoc verbo album declaratur. Nam ideas hoc loco valere iubeamus. nil enim quàm nugæ, & quasi inanes cantiones sunt: & si sint, nil tamen ad hanc nostram disputationem pertinent: quandoquidem in iis rebus demonstrationes versantur, quæ in subiecto insunt. Iam si non potest vt hoc est illius qualitas, ita vicissim illud huius esse, nec omnino fieri possit vt sit qualitatis alia qualitas: illud profectò fieri non poterit, vt ab accidẽtibus vlla sit retro commeans attributio: non quòd verum hoc modo dicere non liceat: sed cum retro vertitur ab accidentibus enunciatio, fieri non potest, vt præter id quòd vera sit, etiam proprium ac legitimum genus attributionis contineat. Quid enim? itáne attribuentur illa, vt essentiam declarent, ac perinde dicantur quasi genera, aut differentiæ eorum quæ attribuuntur generum? Atqui paulò antè demonstratum est, ista nec ascensu nec descensu infinito cõtineri. Veluti si hominem, deinde bipes, tum animal, tum superius animali aliquid accipias, in infinitum non progrediere: vt nec si inferiora persequaris, attribuendo animal homini, tum hominem Calliæ, deinde Calliam alicui alteri, cuius in essentia contineatur. Omnis enim qua aliquid est superius & inferius substantia, definitione explicari potest, infinita autem nemo potest cogitatione comprehendere. Quare si non possit ea substantia definiri, de qua infinita dicuntur, necesse est vt tum sursum, tum deorsum sit aliquis tandem exitus. At certè non possunt ita vicissim retro attribui, vt genera esse intelligantur, alioqui efficietur vt idẽ sit id ipsum quod est. Sed nec de qualitate, nec de vllo

Universidad de Deusto
Biblioteca

alio accidente potest vllum accidens dici, nisi per accidens, quandoquidem ista omnia aduētitia sunt, & in substantia semper cernuntur. Quòd verò superiora persequentem non liceat in infinitum regredi, hinc intelligi potest, quod omne quod de quaque re dicitur, aut quale sit, aut quantum sit, aut simile aliquid indicat, aut verò essentiā rei declarat: atqui certo numero sunt quæ in natura rei cōtinentur: & reliqua etiam attributionū genera finita sunt. Hæc enim ferè sunt, quale sit, quantū sit, ad aliquid faciens, patiens, vbi sit, quando sit. Illud porrò iam antè à nobis positum est, vnum de vno dici, & nunquam euenire vt subiectū id ipsum sit quod attributum, nisi quid sit, ac substantiam significet ipsum attributum. Quæ enim non significant quid est, omnia sunt accidentia, sed ex iis alia sunt quæ per se insunt, alia quæ alio modo cōueniunt. Cuiuscunque tamen generis sint, semper in aliquā re subiecta inesse, ac non ipsa quædam subiecta esse censemus. Nil enim horum est, quod, si esse dicatur, statim aliud quippiam esse non intelligatur, quàm quod ipso verbo continetur: sed ipsum de alio quodam dicitur, alia quædam de altero. Neque igitur sursum versus, neque deorsum fieri potest vt vnum de vno sine vllo fine dicatur. Nam de quibus accidentia dicuntur, ea sunt quæ substantiā declarant: quæ non possunt esse infinita. Superiora verò cū inferioribus conferendo, neque in iis, neque in accidentibus, potest esse in infinitum progressio. Quare necesse est vt aliquid tandem reperiatur, quod mox ab infimo positū, de illo primum omnium dicatur, tum deinde aliud de hoc ipso, atque ita superiora deinceps repetendo tandem in summo aliquo consistatur: quod ipsum quidem de aliquo sibi proximo enūciabitur, suprà se

autem nihil habebit, quod de se dici possit. Atque vna quidē huius rei probatio hactenus explicata est: nunc aliam subiiciamus. Ea tantum demonstratione concluduntur, de quibus alia priora dici possunt: quæ verò euidenti probatione possunt ostendi, ea nunquam certius meliúsve animo percipiuntur, quàm cum planè ac perfectè sciuntur, nec verò citra demonstrationem certò sciri possunt. Porrò illud certum est, si ex quibus aliquid manifestum sit, ea nec sciamus, nec alia quadam ratione melius ac certius intelligamus, quàm quæ scimus: fieri non posse vt ex iis aliquid planè ac perspicuè cognoscatur. Si igitur est aliquid quod per demonstrationem simpliciter absolutéque sciri possit, ac non quasi ex quibusdam concessis, aut ex fictione quadā omnia sciantur: necesse est vt certo quodam numero contineantur attributiones, quæ inter primas atque vltimas interiectæ sunt. Nam si nullus tandem reperiatur exitus, sed in infinitū aliqua semper superiora sint, nil erit quod demonstratione confirmari non possit. Quare quæ euidenti probatione ostendi possunt, ea per demonstrationem scire non poterimus, siquidem infinita nemo possit ratione & intelligentia complecti. Si igitur ea animus non potest melius comprehendere, quàm cū eorum scientiam est assecutus, illud profectò necessario efficitur, nil esse quod per demonstrationem simpliciter sciatur, sed ex fictione, & quasi ex conditione omnia cognoscentur. Ac logicè quidem ista consideranti, hæc argumenta persuadere possunt, id ita esse quod dico: Analyticè autem si hæc eadem spectentur, breuius confirmari poterit, non posse nec sursum nec deorsum versus infinita esse attributa, quæ in demonstratiuis scientiis (de quibus hæc vniuersa tractatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

susceptaest) locum habent. continetur enim omnis demonstratio iis quæ per se attribuuntur. Hæc autem dupliciter dicuntur. Vno modo, quæ in definitione eorum accipiuntur, de quibus dicũtur. Altero, quæ subiecto attribuuntur, quòd in eorum definitione explicanda adhibetur. Huius generis exẽplum est, impar, quod numero conuenit, & numerus in definitione ipsius ponitur. prioris exemplum est multitudo, aut quod diuiduum est, quæ ad numerum definitione explicandum adhibentur. At verò neutrum horum potest immenso numero contineri primũ enim quæ eo modo insunt, quomodo impar numero, non possunt esse innumerabilia. Nam vt aliud quippiam sit quod rursus de impari dicatur, ita vt in eius definitione accipiatur impar, fieri potest: sed etiam cum illud vsuuenit, necesse est, vt in omnium illorum definitione numerus accipiatur: quando numerus est in quo primo ista omnia cernũtur. Itaque si non possint vni infinita huius generis attributa conuenire, ne id quidẽ fieri poterit vt sursum versus in infinitum regredi liceat. Atqui ista omnia necesse est numero attribui, vicissimq; in eorum definitionibus numerum adhiberi: illa igitur omnia cum numero reciprocabuntur, nec poterunt latius patere quàm numerus. Iam verò ne illa quidem infinita esse possunt, quæ in oratione docente quid sit res, quæq; continentur, alioqui ne vnam quidem definitione licebit absoluere. Quare si dicantur per se omnia attributa, hæc autem non sint infinita, erit tandem primum quoddam caput, in quo consistamus: ideóque vltimum etiam aliquid vbi resistamus. Vnde necessario efficitur, ne illa quidem infinita esse posse, quæ intra illos terminos continentur. Hæc porrò si vera sint, consequens est, vt sint quædam

initia demonstrationum, nec possint omnia euidenti probatione ostendi, quemadmodum dicunt quidam, de quibus initio huius disputationis mentionem fecimus. Etenim si aliqua sint initia, nec demonstratione probari res omnes possunt, nec progredi in infinitũ licet: siquidem alterutrum horum ponere, idem valet acsi dicatur, nullum planè esse interuallum ita continuatum, quin aliquo medio interceptum sit, & quasi interductu aliquo distinctum, sed omnia deiuncta & interrupta. Ita enim demonstratur vnumquodque, vt verbum medium inter extrema immittatur, non autem extra ipsa extrema collocetur. Quare si ita alia ex aliis probando, in infinitum progredi liceat, necesse erit, vt inter duo extrema media infinita contineantur. Quod fieri omnino non potest, si modò propria singulorum attributa persequenti, necesse sit tum sursum, tum deorsum acquiescere. Quàm verò illud necesse sit, & logicè suprà, & analyticè modò ostendimus.

DEMONSTRATIS autem his, illud facilè fiet manifestũ, quòd si vnum attributũ de duobus dicatur, vt A de C, & de D, quorum vnum de altero, aut nullo modo, aut non in omni enunciatur, non semper commune aliquod verbum reperiri: per quod illud attributum vtrique conuenire ostendatur. Veluti isosceli & scaleno cõuenit habere tres angulos æquales duobus rectis, per cõmunem aliquam vtrique naturam: quia scilicet figuræ quædam sunt, nec iam aliud est cuius interuentu illud conueniat. Sed in omnibus non est eadem quæ in his ratio. Est enim B, cuius interuentu A conuenit C & D. Constat igitur & aliud rursus esse medium, per quod ipsis C & D, attribuitur B, atque illud rursus per aliud Cap. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quippiam. Ex quo efficitur, intra duo extrema, posse media infinita contineri: quod fieri omnino non potest. Non igitur necesse est, vt quod attributũ de multis dicitur, semper alicuius alterius interiectu dicatur: quandoquidẽ aliqua tandem interualla medio carentia reperiuntur. Sed vt ipsa quæ interueniunt verba, ex eodẽ genere sint, iisdemq; indiuiduis: illud sanè necesse est, si modò illud commune verbum, cuius interuentu aliud ostenditur, in numero eorum sit, quæ per se conueniunt. Nam traducere quæ vnius generis sunt in aliud, demonstrando non licet. Perspicuum porrò etiam illud est, quãdo A de B, affirmatur, si est quoddã inter illa mediũ, illam affirmationem, omne B est A, demonstratione posse concludi: atque etiam tot & eadem esse elementa huius affirmationis, quot & quæ sunt ipsius media: quæ enim medio carent propositiones, aut omnes, aut certè, quæ in toto genere enuntiant, sunt elemẽta. Sin nullum est medium, ne demonstratio quidem erit, sed iam tum ad ipsa initia peruentum erit. Eadem ratio erit, si de B negetur A: nam si interueniat aliquid siue medium, siue in quo prius negetur A, demõstratio de ea re conficietur: sin minus, non cõficietur. Verùm quot erunt verba media, tot erunt principia & elementa: quandoquidem demonstrationis principia sint eæ propositiones quæ ex iis verbis cõstituuntur. Atque etiã sicuti sunt aliqua initia quæ probari demonstratione non possunt, quibus aut hoc esse illud, aut huic illud inesse affirmatur: ita sunt quibus negando, aut hoc non esse illud, aut non inesse hoc illi, pronuntiatur: quo fit, vt præsto nobis esse possint principia, tum affirmationibus, tum negationibus cõcludẽdis. Et quidem quando demonstrabitur affirmatio, ita semper accipiendum erit medium (quod sit, verbi gratia, C) vt sit necesse ipsum C, omni B inesse, ac deinde omni C inesse A, atque eadem hac ratione persequi media oportebit, ita vt nulla vnquam extra illos terminos propositio sumatur, nec vnquã aliquid quod ipsi A omni attribuatur, in probando adhibeatur: sed semper ea quæ in medio sunt spatio coaceruantur, donec ad continens aliquod, nullóque medio distinctum interuallũ, atque adeò ad vnum quippiam perueniatur. Ad illud verò vnum tum peruentum est, cùm ad immediatum aliquod proloquium deuentum erit. Atque est illa quidem certè propositio simpliciter ac propriè vna existimanda, quæ omni medio caret: & quemadmodum in aliis omnibus rebus semper ipsum initium simplex est, non idem tamen in omnibus, sed in ponderibus verbi causa, mina, in modulatione diesis, in aliisque alia: sic in ratiocinatione ipsa id quod est minimum, ac maximè vnum, est propositio immediata: in demonstratione verò ac scientia, ipsa mens atque intelligẽtia. In iis igitur ratiocinationibus, quibus affirmatio ostenditur, nunquam medium extra extrema accipi potest. In iis verò quæ negationem concludunt, in hac quidem figura prima, nil etiam extra conclusionis attributum accipietur. Veluti si probatum fuerit nullum B esse A, per medium C, hoc modo collocatis sumptionibus, nullum C est A, omne B est C: ac rursus probandum sit nullum C esse A, hîc accipietur medium aliquid inter A & C, eiusdémque modi fiet semper progressio. Sin hac forma ostendatur nulli E conuenire D, quia omne D est C, & nullum E est C, aut non omne: extra E, quod est minus extremum, de quo aliud concluditur, nunquam cadet medium. In tertia verò figura nec

extra subiectum, nec extra attributum, negantis conclusionis medium vnquam accipietur.

Cap. 20. DEINCEPS sequitur, quoniã sunt aliæ demonstrationes de toto genere, aliæ de parte: & partim affirmantes, partim negantes, vt quæramus vtra sit potior earum quæ singulis diuisionibus continentur. Idem illud quærendum est de demonstratione rem directò probante, & de ea quæ ad incommodum ducit. Sed nos prius quidem de vniuersi generis, & partis demonstratione agemus: tum deinde ad directam, & eam quæ incommodo vrget demonstrationem veniemus. Ac primùm his fortasse rationibus quispiam inducatur, vt credat eam probationem, quæ in parte versatur, accuratiorem esse, quàm quæ genus vniuersum confirmat. *Vt quæque probatio certiorem parit rei cognitionem, ita potior accuratiórque est, siquidem in eo posita sit omnis demonstrationis virtus vt scientiam gignat. Atqui vnaquæque res cùm per se cognoscitur, tum melius ac certius intelligitur, quàm si per aliud quippiam sciatur: veluti Coriscum esse musicum tum magis scio, cùm scio hunc ipsum Coriscum esse musicum, quàm cùm hominem, & sic alia. Vniuersa verò demonstratio, quòd aliquid insit in alio semper, & non in eo ipso in quo inest, demonstrat: vt isosceli conuenire quippiam ostendit, non quia sit isosceles, sed quia triangulum. Quæ autem in parte demonstrat, in eo ipso cui conuenit, rem inesse ostendit. Itaque si est melior, quæ per se rem ostendit, illúdque magis illi conueniat probationi, quæ ad partem aliquã pertinet, quàm quæ ad totum genus, relinquitur profectò accuratiorem esse partis, quàm vniuersi generis demonstrationem. Præterea si reuera nil sunt res vniuersæ præter singulas, eam autem opinionem inducat vniuersa demõstratio, vt rem quandam esse eam in qua aliquid ostendit existimemus, atque adeò in rerum natura cohærere talem aliquam naturam: veluti trianguli præter singulos triangulos quandam esse naturam, figuræ præter singulas figuras, numeri præter singulos numeros. Est porrò ea semper accuratior probatio, quæ quod reipsa est, quàm quæ quod nusquam est ostendit: & qua errorem nullũ inducit, quàm quæ in falsas non inducit opiniones. Atqui est huius posterioris generis demonstratio vniuersa. Postquam enim demonstratores aliquantùm iam in probando processerunt, tum ferè illud idem faciunt, quod in proportione demonstranda vsuuenit, nempe quicquid erit tale quippiam, omne illud erit proportionis particeps: quod quidem nec est linea, nec numerus, nec solidum, nec planum, sed præter illa nescio quid. Si igitur illud potissimum in demonstrando genere vniuerso eueniat, ideòque in eo quod reuera sit, minus versetur vniuersi generis, quàm partis demonstratio, adeò vt illa falsam etiam gignat opinionem: iam certè dubium esse non potest, quin longè superetur de toto genere probatio, à demonstratione de parte. Atenim (vt hinc potissimùm ordiar) prior illa ratio, nónne tam est ab vniuersi generis demonstratione, quàm ab alicuius partis probatione? Nam si non conueniat isosceli habere tres angulos pares duobus rectis, quia sit isosceles, sed quia sit triangulum: profectò necesse est, eum nõ tam perfectè rem vt est nosse, qui hoc isosceli inesse cognouerit, quàm qui triangulo. Atque vt semel dicam, si non ita res habet, vt triangulo conueniat, quia triangulum est, idque velit quispiam ostendere, non erit illa demonstratio: sin ita res habet, vt*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quisque rem aliquã, quia ea ipsa est, nouerit, ita rem certius multò accuratiúsque perspectã habuerit. Itaque si latius patet triangulũ, sitq; ipsius vna quædam ratio, nec vlla insit in hoc ipso triangulo ambiguitas, in omni autẽ triangulo verè dicatur, par esse duobus rectis angulis: illud certè planum est, non triangulo, quia sit isosceles, sed contrà isosceli, quia triangulum sit conuenire, vt habeat tres angulos duobus rectis pares. Quare qui totũ genus nouit, rem vt est magis nouit, quàm qui partem tantùm intellexit, ob eámque causam accuratior vniuersi generis demonstratio, quàm alicuius partis. Iam verò si vniuersum ipsum genus vna quadã ratione, non autem sola nominis communione cõtinetur: non minus in rerũ natura obscœbit, quàm rerũ singularũ nonnullæ, quin etiam multò magis: quãdoquidẽ quæ immutabilia sunt, nec interitum agnoscunt, in rebus vniuersis cernuntur. Res verò singulæ maxima ex parte caducæ sunt, & mortales. Insuper quæ tandẽ necessitas est, quia res vniuersa vnum quippiam est, in eam statim venire opinionem, vt vniuersale esse aliquid à rebus singulis separatũ credamus? nam cur id magis hìc necesse sit, quàm in aliis, quæ non substãtiam, sed aut qualitatem, aut ad aliquid, aut facere significãt? Illius igitur falsæ opinionis, non causa est demonstratio, sed qui eam malè accipit. Præterea demonstratio est ratiocinatio, quæ adhibetur ad docendam causam cur res sit: in vniuerso autẽ genere, causa maximè continetur. Cui enim propter se aliquid cõuenit, ipsum sibi est causa cur ita sit: est autem vniuersum genus illud, in quo primùm ac per se res insunt: in ipso igitur vniuersali causa continetur. Quapropter erit potior accuratiórque de toto genere demonstratio: quandoquidem illa

magis causam cur res sit explicat. Præterea cùm quæritur quamobrem sit aliquid, non cognoscimus, donec ad genus aliquod vniuersum peruenerimus, ac tum demum existimamus nos esse assecutos rei scientiam, quando nil iam aut esse, aut fieri videmus, vltra illud totum genus. Exitus enim simúlque vltimus in causæ inuestigatione, hac demum ratione inuenitur. Verbi gratia, cur venerit quispiã, causa est, vt pecuniam accipiat: tum huius ratio est, vt se ære alieno liberet: rursus huius causa est, ne quam alteri iniuriam faciat. Et quidem cùm hoc modo causas ex causis persequimur, si quando eò peruenerimus, vt iam non ob aliam causam, nec alterius rei gratia fieri aliquid videamus, tum id ipsum, finem esse cur venerit, dicimus: aut cur aliud quippiam vel sit vel fiat: túmque maximè quamobrem venerit, nos scire putamus. Si igitur similis est ratio in causis omnibus, & par sit eádémque affectio in omnibus quæstionibus, quæ quãobrem quæque res sit inquirũt: est autẽ illa quã diximus certissima ratio sciendi, in iis rebus in quibus causa quæ inuestigatur, finis est: in aliis profectò causis, tum maximè cognita ac perspecta res erit, cùm iam nulla erit vlterior causa, quã reddamus. Veluti cùm scimus exteriores isosceles angulos, quatuor rectis pares esse, quia isosceles est, id adhuc desideratur quamobrem id isosceli conueniat: quia scilicet triangulũ: ac rursus cur triangulo, nimirũ quia est forma rectis lineis cõstans. Hìc verò, si iam nulla sit vlterior causa, necesse est, vt hac demum causa intellecta, illa res planè ac perspicuè cognita sit. Atqui hoc genus quoddam vniuersum, est latissimè patens: est igitur accuratior vniuersi generis, quàm partis demonstratio. Ad hæc, quò magis ad singulas partes

Universidad de Deusto
Biblioteca

declinamus, eò ad infinita magis accedimus: contrà autem, quo magis ad res vniuersas ascendimus, hoc ad simplicem definitámque naturam magis appropinquamus. Atqui quæ sunt res infinitæ, hæc sub scientiam minimè cadunt: quæ verò finitæ sunt, ea scientiæ subiiciuntur. Res igitur ipsæ magis hoc ipso quòd vniuersæ sunt, sub scientiam cadent, quàm cùm in parte spectantur. Quare ad demonstrandum magis accommodatæ erunt res vniuersæ, quàm singulæ partes. Par autem est, vt earum rerum quæ ad demonstrationem magis accommodatæ sunt, sit etiam magis demonstratio: simul enim quæ cum aliquo conferuntur, vtraque elationem suscipiunt. Quando igitur magis demonstratio est, quæ in toto, quàm quæ in parte versatur, id necessariò relinquitur, præstantiorem esse vniuersi generis demonstrationem. Iam verò illa semper optabilior est demonstratio, per quam simul multa cognoscimus, quàm quæ vnius tantùm rei adfert cognitionem. Atqui percepto toto genere, simul quod in parte est intelligitur: qui verò hoc nouit, non etiam vniuersum genus habet perspectum: hac igitur ratione necessariò conficitur optabiliorem esse illam demonstrationem. Sed etiam illud hoc pacto confirmari potest: nil enim est res magis generales, quæq; latius patent, scire, quàm per illud medium rem nosse, quod ad initia propius accedit: illud autem quod proximum est à primo, nullo medio est ab illo distinctum, quod quidem est ipsum principium. Si igitur est ea accuratior demonstratio, quæ ex principiis constat, quàm quæ non constat, aut verò quæ ex iis componitur, quæ magis principia sunt, ea est potior qua continentur illa, quæ à principiorum appellatione magis sunt remota. Est autem

prioris illius generis demonstratio de toto genere, profectò necesse est, vt sit multò excellentior vniuersi generis probatio. Veluti si demonstrandum est A in D inesse, medium sunt B & C, ac superius quidem est B. Quapropter necesse est, vt latius pateat demõstratio quæ illud medium accipiat, quàm quæ alterum. Sed sunt quidem ex iis rationibus quæ adductæ sunt, nonnullæ logicæ. Nunc verò paucis, quàm sit præstantior de toto genere, quàm de parte demonstratio, planum faciam. Nos enim scientes priorem aliquam propositionem, simul & posteriorem quodammodo scimus, vique ac facultate hanc in illa animo complectimur. Vt qui scit, omne triangulum habere tres angulos pares duobus rectis, scit etiam quodammodo isosceli idem illud conuenire, etiam si nesciat fortasse isosceles esse triangulum. Atqui hanc posteriorem nouit propositionem, illam vniuersam nec re ipsa, nec vi & facultate, percepit. Et vniuersi generis probatio, ratione & intelligentia continetur: quæ autem de parte concluditur, ad sensum pertinet, eóque terminatur. Quòd igitur longè præstat demonstratio vniuersa demonstrationi, quæ in parte versatur, ista sufficiant.

NVNC sequitur, vt aientem negante præstantiorem esse ostendamus. Ac primùm ponatur illam demonstrationem alteri præstare, quæ cùm reliqua paria habeat, paucioribus absoluitur postulatis, aut hypothesibus, aut propositionibus: vt enim sint æquè manifestæ vtriusque propositiones, illa certè quæ paucioribus constat, celerius rei cognitionem adferet: quod profectò optabilius est. Porrò cur præstare dicatur, quæ paucioribus absoluitur, ei quæ pluribus, hæc communis ac generalis ratio reddi potest. Quoniam licet simi- Cap. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lia sint in perspicuitate media, semper tamen sunt notiora, quæ priora sunt, vt probatione vna, de E dici A, per media B C D ostendatur: altera autem quòd D conueniat ipsum A, per media F G demonstretur: nec obscurius sit ac difficilius intelligere de D dici A, quàm de E idem ipsum A dici: illud tamen prius ac notius est, quòd A conueniat ipsi D, quàm quòd ipsi E insit A, quandoquidem illud ad hoc demonstrandum adhibetur. Est verò illud semper credibilius quod ad faciendam de altero fidem accipitur. Est igitur præstantior ea demonstratio, quæ cùm cæteris in rebus cum altera conueniat, paucioribus absoluitur, quàm illa. Ac istæ quidem ambæ, de quibus quæritur, tribus constãt verbis simplicibus, ac duabus sumptionibus. Verùm vna affirmationes tantùm accipit, altera & affirmationẽ & negationem: quo fit, vt hæc ex pluribus conficiatur, quàm illa, ideóque sit deterior. Iam verò vel hinc perspici potest, hanc illa esse deteriorem, quòd aliis in libris ostẽdimus non posse ex duabus sumptionibus negantibus, quippiam necessariò conflci: sed semper vnam affirmare, alteram negare oportere. Huc accedit, quòd demonstrandis negationibus semper adhibendæ sunt affirmationes: semper enim maior est aientium, quàm inficiantium propositionum numerus, in omni demonstratione, quæ retro acta ad principia, in aliquam magnitudinem augetur. Vt autem plus quàm vna negatio in omni ratiocinatione sumatur, fieri negamus. Sint enim hæ sumptiones, nullum B est A, omne C est B: nunc si oporteat has rursus propositiones confirmando, in maius augere demonstrationem, interponendum erit medium inter A & B, quod sit D, & aliud quippiam inter B & C, quod sit E.

Ac perspicuum quidem est medium E in affirmationibus tantùm accipi: D autem, cum B quidem coniunctum in assumptione, affirmationem facit: propositio autẽ in qua cùm A ipsum D connectitur, est negans, vt fiat hoc modo ratiocinatio: Nullum D est A, omne B est D. Est igitur in eo toto propositionum numero vna sola negatio: nec secus in aliis omnibus ratiocinationibus fiet: siquidem in affirmatione cõcludenda, semper necesse est, vtranque sumptionum esse affirmantem: in negatione verò, tantùm altera inficiatur. Quo fit, vt hæc sola negatio sit, cùm aliæ omnes sint affirmantes. Si igitur id semper notius & credibilius est, quod ad fidem faciendam adhibetur, demonstratio autem negans per affirmantem, nec vicissim affirmans per negãtem confirmatur: erit profectò aiens demonstratio prior, notior, credibilior altera, ob eámque causam præstantior. Postremò si nil est principium demonstrationis, quàm vniuersa propositio medio carens, accipitur autem in aiente probatione affirmans talis propositio, in inficiante autem, negans: & affirmans negante prior est & notior: Ac notior quidem, eò quòd confirmandis negationibus affirmationes adhibentur: prior verò, quoniam esse prius est, quàm non esse. Ex iis profectò efficitur necessariò, certiora præstantioráque esse affirmantis, quàm negantis demonstrationis principia. At enim quæ melioribus vtitur initiis, eam non modò meliorem esse necesse est, sed etiam ad ipsorum principiorum naturam magis accedere, hoc ipso quòd non potest negans sine affirmante constare.

QVONIAM autem longè præstat demonstratio affirmans neganti, perspicuum etiam est ab illa eadem, lon- Cap. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gè superari probationem, quæ aduersarium vrget in commodo. Imprimis autem quid hæc probatio differat ab ea quæ ad fidem directò pertinet, intelligendum est. Nam cùm ita conficitur ratiocinatio, nullum B est A, omne C est B, nullum igitur C est A: tum est directa huius negationis, nullum C est A, probatio. Quæ verò ad incommodum ducit, hunc in modum conficietur. Esto hoc propositum ad ostendendum, nullum B est A. Vt id ostendam, ego contrà accipiam, omne B esse A, tum assumam, omne C est B: ex quo efficietur, omne C esse A. Quæ conclusio quoniam perspicuè falsa est, fierique id non posse quod ait, omnium opinione confirmatum est, propterea ego ad extremum concludo, non fuisse veram illam propositionem, omne B est A. Nam si illam assumptionem, omne C est B, veram esse certum est, ac concessum, fieri omnino non potest, vt vera sit propositio, omne B est A. Ac verborum quidem simplicium, ex quibus vtraque constant, collocatione, non distinguuntur: sed in eo tantùm cernitur discrimen, vtra ex duabus negãtibus propositionibus notior esse ponatur, illané, quæ dicit nullum B esse A, an quæ nullum C esse A. nam si id apertius est non esse, quod hac conclusione pronuntiatur, erit demõstratio per absurdum consecutionem docens: sin illa clarior est, quæ in ratiocinatione propositionis loco accipitur, erit directa rei probatio. Atqui naturæ ordine prius est, nullum B esse A, quàm nullum C esse A, quandoquidem ea semper priora sunt complexione, ex quibus ipsa complexio efficitur. Est autem hæc nullum C est A, complexio, illa autem nullum B est A, propositio, ex qua hæc conficitur conclusio. Neque enim quoquomodo ex aliis reprehendatur, ac referatur quippiam, id sta-

tim ita accipi debet, vt hæc semper conclusio censeatur, illæ sumptiones, ex quibus efficiatur illa complexio, apellentur. Sed eademum sunt, ex quibus aliquid concludi propriè dicitur, quæ in aliqua ratiocinatione ita accipiuntur, vt aut quasi pars post totum, aut cõtrà post partem totum, ante complexionem sumptum sit. Duæ autem illæ propositiones A B & A C, non sic sunt inter se affectæ. Quocirca si præstantior est, quæ ex apertioribus ac prioribus constat, valeant autem illæ quidem vtræque negantes demonstrationes ad fidem faciendã, sed vna ex prioribus, altera ex posterioribus conficiatur: illud profectò necesse erit, vt demonstratio negans, quæ simpliciter ac directò rem probat, ea sit accuratior, quæ ad incommodum ducit. Vnde perspicuum est, quia omni negante præstantior est affirmans demonstratio, longè præstare ipsam affirmantem, omni, qua per incommoda res docetur, demonstrationi.

PROXIMVM est vt scientiam cum scientia com- Cap. 23.
paremus. Ac primùm, illa est accuratior ac prior, qua simul & quòd res sit, & cur sit, non autem quòd sit, tantùm percipitur, quàm si qua sit, qua rei tãtùm causa cognoscatur. Deinde illa semper est certior, quæ in eo subiecto versatur, quod est omnino à sensuum iudicio disiunctum, quàm quæ in re versatur ad sensum maximè accommodata. Vt arithmetica quàm musica subtilior est ac certior. Postremò accuratior est, quæ simplicioribus elementis cõstat, ea cuius elementa non nisi ex aliqua adiectione intelliguntur: qua ratione geometriæ præstat arithmetica. Quid autem ex adiectione apellauerim, hoc exemplo intelligi potest. Vnitas enim natura quædam est, quæ nusquam posita, per se spectatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Punctum autem substantia quædam est, quæ situ quodam suo intelligitur: quod nos suprà appellauimus ex adiunctione. Vna scientia est, quæ in vno quodam genere versatur, earum rerum, quæ ex iisdem primis initiis constare cernuntur, quorum initiorum aut partes, aut affectiones sunt illa, quæ per se conuenire illi generi conspiciuntur. Diuersæ autem sunt, quarũ principia nec eadem sunt, nec alia sub aliis continentur. Has verò diuersas esse scientias quas dicimus, iis constare poterit, qui ad prima vsque principia regrediendo peruenerint: illa enim ad idem genus pertinere debent, ad quod ea quæ demonstratione concluduntur: vt vel hoc argumento perspici potest, quòd ea ipsa quæ ex iis principiis probantur, necesse est omnia eiusdem esse generis, summáque naturæ societate inter se coniuncta. Iam fieri potest, vt ad eandem rem probandam adhibeantur plures demonstrationes, non solùm si ex eodem quidem ordine, sed non deinceps ac continenter sumantur media, cuius generis sunt media inter A & B, C D, & E: sed etiam si ex alia quadam serie rerum accipiatur medium. Exempli gratia, sit A agitari, D verò moueri, B voluptate affici: ac rursus sit E tranquillari. Verùm igitur est & omne D esse A, & omne B esse D. Quicquid enim mouetur, agitatur: qui autem voluptate fruitur, mouetur. Et rursus verum est, omne E esse A, & omne B esse E: omnis enim qui tranquillatur, etiamnum in agitatione est: qui autem voluptatibus fruitur, tranquillatur. Itaque per diuersa media, quorum non ponitur vnum sub altero, sed ad diuersas rerum series pertinent, ratiocinatione effecta est hæc vna conclusio. Verùm intelligendum est, ea media non tam posse esse diuersa, vt alterum alteri nullo

modo conuenire possit: quandoquidem eidem alicui ambo conuenire conspiciuntur. Videndum porrò est etiã in aliis figuris, quàm multæ de eadem re ratiocinationes fieri possint.

EORVM autẽ quæ casu, aut forte fortuna fiunt, nulla Cap. 24.
potest esse, quæ ex euidenti probatione oriatur scientia. Neque enim necessarium est, neque plerunque ita fit, quod fortuitò euenit: sed in alio rerũ genere, quod est præter hæc duo, eventa fortunæ collocantur. Omnis autem demonstratio ex altero illorum constat. Nam omnis, qua quippiam demonstratur probatio, constat propositionibus, aut omnino necessariis, aut quæ plerunque ita fiunt. Ac si quidẽ necessariæ sumptiones sint, necessaria est complexio: sin ex iis sunt, quæ plerunque eueniunt, talis etiam futura est conclusio. Quare si quod casu & fortuitò fit, nec semper, nec plerunque ita fit, non poterit illius vlla esse euidens probatio. Ac ne per sensum quidem vlla oritur scientia: quanquam enim vniuersæ cuiusdam rei, ac non singularis sit sensus, quæ tamen res actu sentitur, eam necesse est non modo singularem esse, sed & certo quodam loco & tempore definitam: ipsum autem genus vniuersum, quod in omnibus rebus singulis continetur, sensu percipi nullo modo potest: quandoquidem non sit certo quodam loco ac tempore definitum: aut certè vniuersa res non esset. Nam quod semper est & vbique, hoc est, quod vniuersum genus appellamus. Quando igitur vniuersarum rerum sunt demonstrationes, quas non possumus sensu percipere, perspicuum est, nos sola sensuum perceptione non posse cuiusquam rei scientiam assequi. Quinetiam illud planum est, tametsi sensu percipi posset triangulum habere tres angulos pares duobus rectis, nihilominus huius rei nos de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

monſtrationem requiſituros: nec eam (quod aliqui affirmãt) adhuc ſciremus. Quod enim ſenſu accipitur, ſingulare eſt, omnis autem ſcientia in rei vniuerſæ cognitione poſita eſt. Quo fit, vt ſi ſupra lunam poſiti, obiectã terram videremus, nondum tamen cauſam defectionis intelligeremus. Quanquam enim tum lunã deficere ſentiremus, tamen nõ omnino quamobrem deficiat, intelligeremus: quandoquidem ſenſu non percipitur genus vniuerſum. Illud tamen fieri poteſt, vt quia idem illud ſepius euenire conſpeximus, inuento tandem vniuerſo genere, rei demonſtrationem aſſequamur. Sic enim ex multis rebus ſingulis, totum genus manifeſtum fieri ſolet. Eſt porrò genus vniuerſum, vel hoc nomine plurimi faciendum, quòd cauſam rei cõplectitur ac declarat. Quare earum rerum, quæ ſub ſcientiam cadunt, vniuerſa cognitio eſt præſtantior omni ſenſuum perceptione: imò verò & omni alia cognitione animi, ſi modò earum rerum ſit, quæ cauſam aliquam habent. Nam de principiorum cognitione alia ratio eſt. Planum igitur ex iis eſt, in ſentiendo non eſſe poſitam rei quæ demonſtrari poteſt ſcientiam, niſi id quiſquam fateri velit, nil aliud eſſe ſenſibus percipere, quàm ſcientiam cuiuſque rei per demonſtrationem conſequi. Veruntamen quædam quæſtiones ſunt, quarum obſcuritas ac dubitatio cõfertur ad ſenſuum defectionem et infirmitatem. Quædam enim ſunt, quæ ſi oculis cernere poſſemus, nunquam dubitaremus: non quòd rem oculis perſpicire, ſit ſcire, ſed quoniam ex oculorum ſenſu oritur vniuerſi generis conformatio. Veluti ſi tantùm oculi valerent, vt minimos vitri meatus, tranſmiſſúmque per illos lumen cernere poſſent, id nobis apertiſſimum eſſe quamobrem luceat vtirum, propterea quòd videntes in

alio atque alio vitro ita rem habere, communem notionem ſtatim efficeremus, eſſe omnium eandem rationem.

SEQVITVR vt oſtendamus, non poſſe eſſe omnium ratiocinationum eadem initia. Ac primùm logicè iſta conſideranti, ſic probari poteſt: Omnis ratiocinatio aut vera, aut falſa eſt: quanuis enim ex falſis verum efficiatur, id tamen non pluſquam ſemel, vnaq; concluſione euenire poteſt. Veluti ſi vera ſit hæc concluſio, omne C eſt A, medium autem B, falſum, cùm nec verũ ſit omne B eſſe A, nec omne C eſſe B, velit autem rurſus quiſpiam has propoſitiones, alio quodam medio concludere, fieri non poterit quin falſæ ſint, quæ hìc accipientur ſumptiones, eò quòd falſa concluſio non niſi ex falſis efficitur: ex veris autem ſemper vera. Atenim vera à falſis maximé diſtinguuntur. Deinde verò ne ipſa quidem falſa tarent aliquo inter ſe diſcrimine: falſò enim de ſe inuicem mentiantur, tum quæ aduerſa ſunt, tum quæ ita ſunt repugnantia, vt omnino cõuenire inter ſe non poſſint: vt iuſtitiam eſſe iniuſtitiam falſum eſt, aut ignauiam: & hominem eſſe equum aut bouem: & quod æquale eſt, aut maius eſſe aut minus. At ſi ea tantùm, quæ ad hoc noſtrum inſtitutum pertinent, ſpectare velimus, hunc in modum oſtendetur, ne eorum quidem quæ vera ſunt, omnium eadem eſſe principia. Multa enim ſunt, quorũ principia, cùm genere diuerſa ſint, nullo modo inter ſe conuenire poſſunt. Cuiuſmodi ſunt vnitates & puncta, quæ quomodo conuenire poſſunt, cum illæ nullum ſitum habeant, hæc niſi alicubi ſita intelligi non poſſint? Nam ſi conuenire poſſint, & demonſtrandis aliis alia accommodari, neceſſe eſt ita applicentur, vt aut in medio ſita ſint eorum, quæ demonſtrantur, aut ſupra, aut infra, aut Cap. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

certè partim intra extrema, partim extra ipsa. Sed nec ex communibus principiis aliqua esse possunt, ex quibus omnia demonstrentur. Communia autem initia appello, quale est illud: In qnacunque re aut affirmatio, aut negatio vera. Genera enim eorum quæ sunt, diuersa sunt: & in quantitate & qualitate semper sunt aliqua, quæ eorum generum propria sunt, quibus acceptis, ac deinde simul adiectis communibus, omnes constant demonstrationes. Iam verò non multò pauciora sunt principia, quàm conclusiones: nihil enim sunt principia, quàm propositiones illæ, quæ connectuntur ex verbi medij varia collocatione, quod interdum extra extrema accipitur, interdum inter extrema iniicitur. Adde quòd conclusiones in immensum excrescere possunt, cùm interim extrema finito, certóque sint numero. Denique principiorum alia sunt necessaria, alia in rebus contingentibus cernuntur. Qui igitur his rationibus ista examinauerit, facilè videbit fieri omnino non posse, vt sint omnium eadem principia certo quodã numero comprehensa, si sint innumerabiles conclusiones. At verò si quis hoc de quo agitur, effatũ aliter interpretetur, vt dicat esse quædam vniuersæ geometriæ cõmunia principia, alia quæ eadem omnibus numeris conueniunt, tum deinde alia quæ medicinæ sunt accommodata. Quid quæsõ hoc aliud est, quàm dicere singulis scientiis sua quædã esse, ac propria principia? Quid verò magis ridiculum est, quàm ob id dicere omnium scientiarũ eadem esse principia, quòd vnaquæque scientia sua quædã habet principia, quæ secum ipsa conueniunt, idémque sunt? Possunt enim hac ratione omnia eadem appellari. Sed ne id quidẽ dici potest, nil aliud esse, eadem omnium principia quærere, quàm velle omnia principia

ad quãuis rẽ demonstrandã valere. Nã quid hoc absurdius? neque enim id in iis scientiis, quæ adhuc inuentæ & cognitæ nobis sunt, fieri videm⁹: neque omnino id fieri potest in dissolutione. Principia enim nil sunt aliud, quàm ꝓpositiones immediatæ. Sẽper autẽ alia atq; alia efficitur cõclusio, quando diuersæ propositiones immediatæ accipiũtur. Quòd si hîc dicat quispiam, primas propositiones immediatas esse ipsa quæ eadem esse dicuntur principia: nec id quidẽ verum esse poterit: quãdoquidẽ vniuscuiusq; generis vna est huiusmodi propositio. Si igitur non possit effatũ hoc, de quo agitur, ita accipi, vt ad demonstrandum quoduis, omnia principia ex æquo accommodari possint & debeãt: nec rursus illo modo intelligi vt nil dicatur, nisi prout sunt diuersæ singulæ scientiæ, ita diuersa esse principia: relinquitur vt videamus, possitne in eam sententiã conferri, vt omniũ scientiarũ principia dicãtur esse cognata, & naturæ quadã coniunctione consociata, sed tamen hæc illis probandis esse aptiora, itemq; alia aliis. Atqui perspicuũ iam est, ne id quidem fieri posse. Suprà enim demonstratum est, rerum genere diuersarum esse diuersa genere principia. Sunt enim duo principiorũ genera. Alia sunt ex quibus conclusiones efficiuntur. Alia quæ sunt ipsæ res, in quibus versatur scientia: & sunt illa quidem ex quibus communia, hæc verò in quibus semper sunt propria: quomodo videmus numerum, rem esse omnino à magnitudine distinctã.

SCIENTIA & res quæ sub scientiã cadit, differt ab opinione & re opinabili: quòd in rebus vniuersis, iisq; necessariis cernitur scientia: necessaria autem hîc dicuntur, quæ se aliter habere non possunt. Sunt porrò aliqua quæ & sunt in rerũ natura, & vera sunt, quæ tamen aliter atque sunt, esse Cap. 26.

possunt. Planum autem est in iis nõ versari scientiã, alioqui quæ omnino aliter esse non possent atque sunt, secus esse posset atque sunt. Sed nec intelligentia in iis cerni potest. Intelligentiam enim appello, primã omnis scientiæ originẽ. Neque verò certissima illa, quæ citra vllã demõstrationẽ acquiritur, scientia in illis versatur. Ego verò scientiam hanc appello, perceptionem illarum propositionum, quæ nullo medio confirmari possunt. Atqui omnes habitus, quibus vera noscũtur, sunt intelligẽtia, scientia, opinio: & quæ ab iis cognominata sunt, res ipsæ sunt, quæ verè ab iis percipiuntur. Restat igitur vt opinio in veris quidẽ aut falsis cernatur, sed quæ aliter atque sunt esse possunt: ita vt opinio nihil sit aliud, quàm propositionis nullo certo argumento confirmatæ cõprehensio non necessaria: quòd autem de opinione dixi, id consentaneum est iis quæ in opinando vsuuenire conspiciuntur. Est enim infirma semper atque incerta opinio: visq; ac natura ipsius in hac infirma assensione continetur. His accedit quòd nemo se dicit opinari, sed planè scire, cũ existimat non posse rẽ aliter habere: sin ita sentiat esse quippiam, vt nihilominus posse aliter esse existimet, tum se opinari dicit: quasi in huiusmodi rebus incertis cerni opinionem indicãs, in certis autem ac necessariis scientiã. Existit autem hoc loco quæstio, quomodo nõ eadem res sit, quam opinamur, & quã scimus, & cur non idem sint opinio & scientia, si nil est, quod quis scire possit, de quo opinio etiam esse non queat. Num enim quemadmodum sciens, ita opinator, media singula vsque persequetur, dum ad prima medioq; carentia proloquia deueniat? Hic verò quid est cur ob eã causam ille sciat, hic opinator nesciat? neque enim opinio tantùm versatur in putando, quòd res sit, sed etiam

quãobrem res sit, opinabile est, quod nil est quàm mediũ. An si quis ita conceperit animo ea, quæ per se necessaria sunt, nec aliter habere possunt, vt etiam teneat ipsas definitiones, ex quibus demõstrationes conficiũtur: an inquã, non illa tũ opinatio, sed scientia erit? Sin vera illa quidem esse existimet, sed nõ ita hæc illis cõuenire, vt in essentia ac natura rei continẽatur, atque adeò per ipsam rei formã tum opinabitur, nõ verè sciet? Et quidem quòd res sit, & quãobrem sit, opinabitur, si nata sit opinio ex quibusdam propositionibus immediatis: at si nõ ex immediatis, tantũ quòd res sit, opinio erit. Neq; verò eiusdẽ omnino rei sunt opinio & scientia, sed vt vera & falsa opinio, dicũtur quodammodo eiusdẽ rei esse, ita in eadẽ re versari opinionẽ & scientiã intelligendũ est. Dicere enim veram & falsam opinionẽ, in eadem omnino re versari, quemadmodũ volũt quidã, id tũ multis aliis incõmodis, quæ ex eo sequuntur, refelli potest: tũ quia illud, quod valde absurdum est, sequitur, non opinari nos, quæ falsò opinamur. Sed quoniam ambiguũ est & multiplex hoc verbũ, idem propterea fit, vt vna significatione, eiusdem esse rectè dicatur, altera verò, rectè negetur. Nã diametrũ conuenire, cõparabilemq; esse cum latere, verè esse opinabile, id absurdũ est. hoc tamen ipso quòd eadẽ est diametrus, de qua sunt vtræq; opiniones, de eadẽ re vtrãque opinionem esse dicimus: cũ ratio quid vtrũque sit ostendes, sit diuersa. Simili modo eiusdem rei esse dicũtur opinio & scientia. Hæc enim ita animal cognoscit, vt non possit non esse animal: illa verò, vt secus esse possit: perinde acsi vna esset in homine, quia homo est, altera autem in homine etiã, sed nõ hoc ipsò quòd homo est. Hæc enim idem sunt, hoc ipsò quòd homo vnũ aliquid est, in quo vtraq; cernũtur, ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

autẽ est diuersa. Perspicuũ autem ex iis est, nil esse quod simul sub opinionem ac scientiã cadere possit, alioqui simul animo cõcipiem⁹, posse aliquid aliter esse atque est, & nõ posse: quod omnino fieri nõ potest. Nã vt alio atque alio tẽpore, in rẽ eandem cadat vtraque, fieri potest, quẽadmodũ etiã paulò antè dictũ est. At vt eodẽ tẽpore id fiat, omnino est à ratione alienum. Sic enim existimaret quispiam, hominem verbi gratia, esse id ipsum quod animal (nam hoc idem est, quod non posse esse non animal) & simul nõ esse id ipsum quod animal: accipiatur enim hoc, pro eo quod est, accidere homini, vt sit animal. Reliqua autẽ, quæ præter opinabilia supersunt, quomodo sint distribuẽda, vt partim ad excogitãdi vim pertineãt, partim ad intelligentiam, partim ad scientiam, partim ad artem, partim ad prudentiam, partim ad sapientiam: hæc inquam distributio, ex parte vna ad physicen pertinet, ex altera ad eam philosophiæ partem quæ est de moribus.

Cap. 27. SOLERTIA verò est perspicacitas quædã, per quã cuiusque rei mediũ & causa nobis statim occurrit. Veluti si quis vidẽs semper lucidã partẽ lunæ ad solem esse cõuersam, cõtinuò excogitaret cur ita sit: nẽpe quòd luna solis lumine illustratur. Aut siquis cum diuite aliquo colloquentem videat alium, confestim iudicet, peti mutuã pecuniã. Aut ob id contractã esse inter aliquos nouã amicitiã, quoniã communem inimicũ habere cæperunt. Nã qui mediã causas perspicit, statim extrema cognoscit. Esto A lucidam lunæ partem conuersam esse ad solem: B verò accendi à sole, C luna. Conuenit igitur C lunæ, ipsum B, quod est accendi à sole, & omne B est A, hoc est, à quo lucem accipit quicquam, ad id conuersum esse oportet: quare ipsi C conueniet A, per medium B.

Aristotelis de Demonstratione,

SIVE DE SECVNDA

parte ἀναλυτικῶν, Liber secundus.

QVæstionũ tot sunt, quot rerum quæ sciũtur, genera. Quatuor autẽ generibus cõtinẽtur omnes quæstiones, An ita sit, cur ita sit, sit nécne, & quid sit. Cũ enim quærimus, sitne hoc an illud, nõ in verbo simplici, sed cõiunctio iam aliquo verborum, numero, verbi gratia, an sol deficiat an non, tũ sit quæstio, an ita sit: quã tũ quale sit, tum quæstionẽ cõsecutionis appellare latinè possumus. Quòd autẽ sic res habeat, argumẽto est, quòd statim vbi inuenimus deficere solem, cõquiescimus: & si iam ab initio sciremus deficere solem, non quæreremus an ita sit. Postquam autem quòd ita sit cognouimus, proximum est vt quamobrem ita sit, inuestigemus. Vt postquam scimus aut solem deficere, aut terræ motum fieri, tum deinde quærimus, quam ob causam deficiat, & quæ sit terræ motus causa. Atque illæ quidem quæstiones huiusmodi sunt. Aliæ autẽ sunt in quibus quærendi ratio est diuersa. Veluti sint nécne centauri, aut dij. Hic autem cùm quæritur, sit nécne, in verbo simplici quæstionem accipi volo, non autem coniunctè, sitne albus quispiam an non. Postquam autem esse rem nobis compertũ est, illud proximè sequitur, vt quæratur quid sit. Verbi causa, quid Deus sit, aut quid sit homo. Quæstionũ igitur, & rerum quæ per quæstionem inueniuntur ac percipiũtur, genera tot & talia sunt, quot & qualia diximus. Cap. 1.

CVM autem quæritur aut quale sit, aut simpliciter sit Cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nécne,tum nil quæritur,niſi an aliquod mediũ ſit,an minus, quo vtrũque eorũ oſtendatur.Poſtquã autẽ intelligimus tale eſſe (id quod in parte aliqua eorum, quæ ſunt,cernitur) aut omnino cohærere in rerum natura (qua quæſtione non,ſit ne res aliqua hoc aut illud, ſed ſimpliciter ſit nécne, quæritur) rurſus quærimus,aut cur tale ſit,aut quid ſit:quib⁹ quæſtionibus nil quæritur,niſi quodnã ſit ipſum medium.Ego verò quòd ſuprà dixi quæſtiones,an ita ſit,& an ſit, in parte & ſimpliciter quærere,ſic interpretor,vt ſit in aliqua parte quærere veluti ſi,an luna deficiat,aut accreſcat,quæratur.in huiuſmodi enim quæſtionibus non an ſit omnino,ſed an ſit hoc, aut illud quæritur.Simpliciter autem eſt,cũ ita quæritur,ſit nécne luna, ſitne nox an non. In omnibus igitur quæſtionibus id vſuuenit, nil aliud inueſtigari quàm aut ſitne medium,aut quodnam illud ſit.Etenim cauſa & mediũ idem ſunt:in omnibus autem quæritur cauſa, veluti cũ quæritur an luna deficiat,quid quæſo aliud inueſtigatur, quàm ſitne aliqua defectus cauſa,an non? Hanc autẽ poſtquam eſſe aliquam cognoſcimus,tũ quærimus quænã illa ſit. Cauſa enim per quã res eſt,non hoc aut illud,ſed ſimpliciter in rerũ natura,itémque cauſa per quã alicui ſubiecto conuenit attributũ aliquod per ſe,aut quoddam accidens,vtraque inquam cauſa medium eſt. Eſſe autem id ſimpliciter dico, quod eſt quaſi ſubiectũ quoddã,cuiuſmodi eſt luna ſol,terra,triangulũ:eſſe verò hoc aut illud,eſt, veluti deficere,æquale eſſe, in medio eſſe aut non eſſe: in iis enim omnibus perſpicuum eſt definitionem,quæ docet quid res ſit, & cauſam cur res ſit,eandem eſſe. Exempli cauſa, Quid eſt defectio lunæ? eſt interpoſitu interiectúque terræ facta lunæ obſcuratio. Quamobrem de-

ficit luna? quia lumen eius,terræ interpoſitu obſcuratur. Itẽ quid eſt concentus? eſt apta numerorũ in graui & acuto ratio. Quam ob cauſam concinunt graue & acutum? eò quòd certam quandam numerorum rationem inter ſe habent acutum & graue. Poſtremò ſi quæratur,poſſint ne cõcinere acutum & graue,hoc quæretur, ſit ne inter hæc numerorũ certa affectio: ac poſtquã eſſe quãdam intelleximus,tum quænam ſit illa ratio & affectio numerorum, quærimus. Quòd verò omnis quæſtio ad medium pertineat, in iis rebus quæ ſubſenſum cadere poſſunt,apertiſſimè conſtat:in iis enim hæc nobis eſt cauſa quærendi, quoniam medium non videmus. Vt deficiat nécne luna,ob id quærimus,quia ſenſibus id non percipimus. At ſi ſupra lunã eſſemus,tũ neutrũ quæreremus, neque an deficiat, neque cur deficiat: ſed vtrũque nobis ſtatim eſſet manifeſtum.Ex ſenſu enim vniuerſi generis conformatio efficeretur. Nã quòd hoc tẽpore ſit interpoſita terra, quia nunc deficere lunam perſpicuum ſit, hoc eſt, quod ſenſus percipit, mox autem ex eo oritur vniuerſi generis notio. Quare noſſe quid ſit,& cur res ſit,idem ſunt,ſicuti diximus: ídque tum locũ habet in iis quæ ſimpliciter ac per ſe ſunt, nõ alteri inſunt,tum in iis quæ in ſubiecto ſemper aliquo inſunt:cuius generis ſunt habere tres angulos pares duobus rectis: maius eſſe aut minus. Quòd igitur omnes quæſtiones ad medij inuentionem pertineant,ex iis quæ dicta ſunt,perſpicuum eſt.

QVOMODO autem quid ſit res,hoc eſt, rei definitio Cap. 3.
oſtendatur,tum qua ratione in demonſtratione locũ habeat, deinde quid ſit definitio, poſtremò quæ ſint quæ definitione explicentur,nunc dicendum eſt:ſed prius tota hæc diſputatio probabiliter ac dubiè tractãda. Ac primùm quidem ſuma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus exordium ab ea quæstione quæ maximè accommodata videtur ad ea quæ deinceps sequuntur intelligenda: quæ est an eandem rem, eadem ratione, per definitionem intelligere posimus, quam per demonstrationẽ cognoscimus: an omnino id fieri non possit. Etenim definitio, quid sit res quæque declarat: omnia autem quæ quid sit res ostendunt, & vniuersè enuntiantur, & non nisi in affirmante proloquio dicuntur. Atqui ratiocinationes sunt etiam negantes, & in parte interdum cõcludunt. Vt quæ in secũda sunt figura, omnes sunt negantes, quæ in tertia, omnes in parte concludunt. Deinde verò ne omnium quidẽ affirmationum, quæ in prima figura concluduntur, definitio esse potest, veluti huius, triangulum omne habere tres angulos pares duobus rectis. Huius autem rei hæc ratio est, quòd scire rem quæ demonstrari potest, nil est quàm eam rem per demonstrationem cognoscere. Quare si est earum rerum demonstratio, statim efficitur non esse earundem definitionem requirẽdam: alioqui nos per definitionem eas res sciremus, non per demonstrationem: quandoquidem fieri possit, vt seorsum à demonstratione definitionem percipiamus. Satis porrò ad faciẽdam huius rei fidem valere inductio poterit. Nunquam enim earum rerum quæ aut per se insunt, aut alteri accidunt, perfectam scientiam quisquam assecutus est per solam definitionem. Iam vero definitio est substantiæ ac naturæ declaratio: illa autem, perspicuum est non esse substantias. Quòd igitur nõ possit in quã rem cadit demonstratio, etiã definitio cadere dictum est. Sequitur nunc alia quæstio: An in quamcunque rem cadit definitio, possit etiam cadere demonstratio, an potius id fieri non possit? Ac huius quidem rei hæc vna ratio est, quòd vnius rei hoc ipso

quòd vna sit, vna est scientia. Quare si scire rem quæ demonstratione confirmari potest, nil est quàm per demõstrationem rei assequi cognitionem, hîc rursus idem incommodum efficietur. Nam qui rei definitionem tenebit, citra demonstrationem rem sciet, quæ demonstratione probari potest. Deinde principia demõstrationum sunt definitiones, illorum autem nullam esse demonstrationem suprà probatum est. Aut enim dicendum est demonstratione confirmari principia, & principiorum alia rursus esse principia, atque ita nos in infinitũ posse regredi, aut fatendum prima cuiusque artis initia esse definitiones, quæ citra vllam demõstrationem intelligantur. Sed quoniam non potest omnis res pariter sub vtrunque cadere, nunquid in quibusdam rebus id euenire potest, vt pariter in eas cadant definitio & demonstratio? An potius ne id quidem fieri potest? Ad quam enim rem definitiones adhibentur, ad eam demonstrationes nõ conferuntur: siquidem omnis definitio eò pertinet, vt quid res sit, atque essentiam declaret, demonstrationes autem omnes non quid res sit concludunt, sed ante demonstrationem id positum ac perceptum esse debet. Sicuti in mathematicis videmus statim initio accipi quid sit vnitas, quid impar, & huius generis alia. Iam verò quod sub demonstrationem cadit, propositio est, in qua alterum de altero dicitur: eorum autem quæ in definitione continentur, nunquam alterum de altero enuntiatur. Verbi causa, nec animal de bipede, nec vicissim bipes de animali enuntiatur. Item figura de plano non dicitur: quandoquidem nec planum figuram esse, nec figuram planum ipsum esse, verum sit. Præterea aliud est quid sit, aliud quod res sit ostendere: definitio autem, quid res

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit declarat, demonstratio verò semper vnum alteri conuenire aut non conuenire ostendit. Et vt res sunt diuersæ, ita semper est alia atque alia demonstratio, nisi alterum sit affectum ad alterum, vt pars quædam ad totum. Ego verò hanc partis ad totum affectionem sic interpretor: exempli causa, postquam ostensum est omnẽ triangulum habere tres angulos pares duobus rectis, non alia requiritur demonstratio, qua id isosceli conuenire ostendatur, eò quòd hæc pars est, illud totum. At qui non sic affecta sunt inter se ista duo, quid sit, & quod sit, nec vnum pars est alterius. Perspicuum igitur est, nec omne quod definitur, posse demonstrari: nec contrà, omne quòd demonstratur, posse definiri. Vnde sit, vt in rem eandem nunquam vtraque cadere possint. Ex quo planum est, nec definitionem & demonstrationem idem esse, nec alterum in altero quasi partem in toto contineri: quandoquidem necesse esset, si illo modo affectæ essent inter se definitio & demonstratio, vt etiam res illis subiectæ eodem se modo respicerent. Atque illæ quidem quæstiones hactenus satis agitatæ sunt.

Cap. 4. *NVNC sequitur, vt quæramus, an quid sit res, possit ratiocinatione, adeóque demonstratione concludi: an potius quemadmodũ hæ quæ paulo antè positæ sunt, rationes ostendebant, id fieri omnino non possit. Omnis enim ratiocinatio vnum alteri conuenire per medium ostendit. Omnis autem definitio est rei quæ definitur propria, & in quæstione quæritur quid res sit, dicitur. Ea vero quæ, huius generis sunt, necesse est omnia vicissim retrò commeare. Nam si A extremum maius, proprium est minori C, necesse est vt etiam sit idem A propriũ medio B, itémque B proprium ipsi*

C, atque ita vicissim omnia reciprocentur. Atqui si ita conueniat A ipsi B, vt sit eius definitio, itémque B ipsi C, vt eius etiam definitio sit, necesse erit A ipsi C ita cõuenire, vt quid sit declaret. Quod si sumerentur propositiones citra illam geminationem, id non posset concludi, A ita ineſſe ipsi C, vt in quæstione quid est dicatur. Sed nec si propositio omne B est A, illam adiectionem, vt definitio, habeat: in assumptione autem omne C est B, omittatur. At si in sumptionibus vtrisque sumatur illa adiectio, vt definitio: iam igitur in ipsa assumptione acceptum erit B, definitionẽ esse ipsius C. Itaque si vtraque sumptione accipiatur definitio, & quid res sit ostendens oratio, iam ante conclusionem in ipso medio definitio quæ quærebatur, accepta erit. Ac vt paucis absoluam, ponamus verbi gratia, demõstrari posse quid homo sit, atque esto C homo, A autem definitio, animal bipes, aut alia quæuis. Vt igitur id tandem ratiocinatione concludatur, necesse est in omni B ineſſe A, medium autem verbum, est alia quædam definitio, quare etiã illa quid homo sit, indicabit. in assumptione igitur, id ipsum quod demonstrandum erat, accipitur: B enim est hominis definitio. Sed vt id apertissimè fieri videatur quod dico, sumendæ sunt duæ propositiones primæ, & immediatæ. Qui igitur ex eo volunt ostendere, quid anima sit, aut quid homo, quod reciprocari inter se duas quasdam orationes conficiunt, id ipsum quod à principio quærebatur, ad probãdum accipiunt. Exempli causa, si quis ostendere velit animum esse id quod sibi ipsum vitæ est causa, ex eo quòd est numerus seipsum mouens, priusquam id efficiat quod vult, necesse est vt antè postulet, animo ita conuenire numerum se ipsum mouentem, vt cum animo idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit, atque ita idem, vt definitio sit. Neq; enim si quoquo modo conueniat A ipsi B, & B ipsi C, ad extremum efficietur, A ita conuenire ipsi C, vt eius definitio sit: sed id modò concludetur, verum esse, omne C esse A, Sed nec conclusio huiusmodi efficietur, etiam si in omni B ita dicatur A, vt verum sit, B esse id ipsum quod A: in homine enim ita videmus animal dici, vt animal esse homini rectè attribuatur: quandoquidem non minus vera sit hoc modo enuntiatio, esse hominem est esse animal, quàm illo, omnis homo est animal: attamen nõ ita conuenit animal homini, vt vna eadémque res sit homo atq; animal. Ergo nisi illo quo diximus modo sumptiones accipiantur, nunquam effici poterit, ita conuenire A ipsi C, vt ea sit eius definitio atq; essentia. At si tales sint, quales volumus sumptiones: iam antequam ad conclusionẽ perueniatur, in assumptione B esse definitionem ipsius C, acceptum erit. Itaque non erit illa demonstratio: quandoquidem id ipsum quod ab initio in questione positum est, in probando accipitur.

Cap. 5. NEQVE verò illa probandi ratio, quæ per diuisiones absoluitur, ad demonstrãdum valet, sicuti eo loco diximus, vbi de dissolutione figurarum egimus: quia non ita ex aliis alia conficiantur, vt cõclusionem, quia sunt antepositæ sumptiones, esse concludamus. Sed hac via non magis res demonstratur, quàm quum inductione aliquid ostenditur. Neque enim cùm res demonstratur, interroganda est, perinde atque propositiones, ipsa conclusio: neque ob eam causam rem esse oportet, quia admissum est ita esse: sed ex sumptionibus efficienda est necessariò conclusio, etiam si is quicum disputatur, non admittat. Verbi causa, nunquid homo aut animal

falsa Rõcinatio

est, aut inanimal? tum ex hac interrogatione sumitur, nõ autem necessariò concluditur, hominem esse animal. Deinde num sit omne animal, aut terrenum, aut aquatile? hîc etiam accipitur, non probatur, terrenum esse. Ad extremum autẽ, de homine coniunctim dici animal terrenum, non necessariò ex antepositis conficitur, sed id quoque concedi à respondente, itáque accipi oportet. Quod verò hîc in duobus verbis ostendi, idem fieri intelligendum, si plura accipienda essent: quid enim interest, in multis, an paucis id accidere ostẽdatur? Iam verò tametsi esset hæc ratio concludendi per diuisionem necessaria, tamen ad hanc rem, de qua agitur, concludendã non valeret. Primùm enim quid vetat totam aliquam orationẽ verè in homine enuntiari, nec eam tamen esse definitionem, neque omnino quid homo sit indicare? Deinde verò quid in hac probandi ratione prohibet, quominus plus aliquid aut minus accipiam, quàm necesse est? aut quominus transiliẽdo explicem essentiam? Verùm enim tria hæc quidẽ vitia in definiendo per diuisionem committi possunt, sed tamen non est difficile illa declinare, modò inter diuidẽdum nil accipiatur quod essentiæ attributum nõ sit: & ducto initio à primo genere deinceps & eo ordine quod iuidũtur, omnia sumantur, ita vt interim nil prætermittatur. Quàm verò id sit in diuidendo necessarium, facilè videbimus, modò id putemus in omni bona diuisione obseruandũ esse, vt diuisionis partes vim vniuersam complectatur rei quæ diuiditur, & vt in ea nil minus positum sit. Atqui hæc inter diuidendum necessariò obseruanda sunt, quia necesse est, omnem definitionem ad vnam quandam naturam specie indiuiduam conferri. Sed tamen nulla inest vis necessariò cõcludendi in diuisionibus: sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

si qua est in iis vtilitas, in eo est quòd alio quodam modo ad explicandam atque illustrandam rem valet: id quod non incommodè fieri videtur: quandoquidem eum qui inductione vtatur, non probare rem necessariò, nihilominus tamen illustrare, & alio quodam modo declarare perspiciamus. Qui igitur per diuisiones definitionẽ colligit, nihil adhibet, ex quo rem veluti necessaria conclusione efficiat. Nam quod vsuenit in iis cõclusionibus, in quibus citra iustam verbi mediĳ collocationem ex antecedente colligitur consequẽs, vt ad extremum quæratur, vnde & quamobrem illa sequatur complexio, illud idem in definitionibus accidit, quæ per diuisionem colligũtur. Verbi causa, si ostendatur quid homo sit, singulis partibus definitionis hoc modo deinceps collectis, animal, mortale, ingrediẽs, bipes, pennis carens, vt quæque pars adiicietur in definitione, ita rogabitur in singulis, vnde, & cur illud colligatur. Nam hactenus tãtùm valet (in qua illi non falluntur) hæc probatio, vt ostẽdat omnem hominem esse aut mortalem aut iuumortalem: huiusmodi autem tota oratio non est definitio: quare vt etiam illud positum sit, diuisionem habere vim aliquam probandi, hanc tamen esse rei definitionem non potest necessariò concludere.

Cap. 6. *SED nunquid potest, quid res sit atque essentia, ita demõstrari, vt antè subiiciatur illa propositio: illa oratio rei essentiam continet, quæ est propria alicuius rei, & constat iis verbis quæ ad ostendendum quid res sit valent? Atqui hæc sola sunt, quæ quid sit hæc res, ostẽdũt, & tota oratio propria est: Ex iis enim num ita rectè concludi potest, hæc igitur oratio quid res sit, indicat? An etiam in hac probatione idipsum quod in quæstione est, videlicet, quid sit res, in sumptionibus*

accipitur? Necesse verò est vt id rectè demonstretur, aliud quoddam mediũ adhibere. Iam verò quemadmodum quoties ratiocinatione aliquid concludimus, non sumimus quid sit ratiocinatio: quandoquidem est ita semper affecta vnaquæque propositio, ex qua constat ratiocinatio, ad alteram vt illam veluti totum, aut veluti illius pars quædam respiciat. Ita in hac qua quid res sit ostenditur probatione, nõ debet quid sit ipsa definitio accipi, sed seorsum à sumptionibus seponenda est ratiocinationis definitio, quæ tum vsui erit, cũ erit controuersia, an aliqua iam antè facta argumentatio sit ratiocinatio, nécne: tum enim ita occurrere licebit, vt ostendamus esse ratiocinationem, quia talis sit argumentatio, cui ratiocinationis definitio conueniat. Simili modo postquam esset probata aliqua ratiocinatione definitio, si quis ambigeret, essétne illa definitio an non, tum locus esset definitioni definitionis, qua ostenderetur hanc esse definitionem, quia talis oratio sit, qualem esse definitionem positum est. Itaque necesse est, vt ratiocinatio sit citra definitionem ratiocinationis, ita quid res sit ostendere non adhibita definitione definitionis. Ac vitium quidem idem committitur, si ex conditione hunc in modum quid res sit ostendatur. Si est bonũ malo contrariũ, & indiuiduũ diuiduo, sit autẽ mali essentia diuiduum esse, erit etiam boni natura indiuiduum esse, atqui bonum malo, & diuiduum indiuiduo aduersatur, estq; mali natura diuiduum esse, est igitur boni natura atque essentia indiuiduum esse. Nam hîc quoque definitio quæ id ipsum est quod quæritur, in sumptionibus accipitur. At enim, inquies, hic quidem ad probandum quid res sit, accipitur definitio, sed diuersa ab ea quæ ostenditur, esto. At in demonstrationi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus non modò id ex quo aliud probatur, non debet esse idem, sed etiam tale, quale non sit eiusdem rationis cum eo quod probatur, quódque non possit vicissim rectè ex illo demõstrari. Cõmunis porrò ratio est aduersus vtrosque, eos inquã qui diuisione, & qui hoc de quo loquimur, syllogismo, definitionem demõstrare conãtur: Cur potius erit citra coniũctionem expressa hæc oratio, homo est animal bipes terrenũ, definitio hominis: quàm illa, animal & bipes? Nil enim in sumptionibus harũ probationum sumitur, vnde necesse sit ex singulis definitionis partibus vnum attributum fieri, non magis quàm quomodo idem homo est musicus & grammaticus.

Cap. 7. QVAE igitur demonstrãdæ definitionis & naturæ ratio restabit? Neque enim ex quibusdam positis, ita quid res sit, ostendi potest, vt hoc esse necesse sit, quæ illa sunt anteposita: esset enim hæc demonstratio. Neque verò ex rerum singularum inductione, quid sit res ita demõstrabitur: vt, quoniam rebus singulis omnibus conuenire aliquid perspeximus, in toto genere illud concludamus: quandoquidem inductione non quid sit, sed sit nécne res ostendatur. Nunc verò, præter illa duo probandi genera, quæ potest esse reliqua ratio? Neque enim sensu, aut digito, quid res sit demonstrari potest. Iam verò quomodo quid homo sit definiẽdo demõstrari potest? necesse enim est vt omnis qui scit quid homo sit, aut aliud quidpiam, quòd ipsa res sit cognoscat. Nam quod non est, nemo scire potest quid sit: sed tatum quid aut oratio, aut verbum significet. Veluti quid significet tragelaphus, intelligi potest: quid sit ipse tragelaphus, non potest. Atqui docendo quid sit, quomodo eadem ratione etiam, quòd res sit doceri potest? aliud enim est definitio, aliud demõstratio. vt quid homo sit, aliud

est quàm sit nécne homo. Deinde nil est præter substantiam quod per demonstrationem esse non ostendatur: probare autem rem esse & in rerum natura cohærere, non est rei essentiam atque naturam declarare, quia ens genus esse nõ potest. Demonstratio igitur non definitio erit, quæ quod res sit indicabit: quemadmodum etiam in singulis scientiis vsuenire videmus. Geometra enim quæ sit vis huius verbi, triãgulum statim initio citra probationẽ accipit: esse autem ipsum triangulum, demonstratione ostendit. Quid ergo? nil definiẽs triangulum aliud demonstrabit, quàm quid ipsum sit triangulum? euenire igitur hoc poterit vt quisquã quid res sit intelligat, nec tamen an sit cognoscat: quod fieri omnino non potest. Perspicuum autem est ex iis definiendi modis, qui adhuc obseruantur, non ostẽdere eos qui definiũt, simul quòd res sit. Quanquam enim proposita sit in medium hæc oratio, quòd habet lineas à puncto medio ad extremum ductas inter se pares, nil tamen in se habet cur necesse sit esse rem quæ hac oratione explicatur, cúrque oporteat id quod oratione hac continetur, esse circulum. Nam quod ad hanc orationem attinet, potest hæc orichalci definitio dici. Definitiones enim neque esse rem quæ definitur, neque quòd illæ sint huius rei definitiones declarant: sed semper quæstioni cur eorum vtrunque sit, locum relinquunt. Ergo cùm necesse sit eum qui quippiam definit, aut quid sit res ipsa, aut quid nomen significet, demonstrare: si non demonstret quid sit, illud restat vt definitione nil ostendatur, quàm quæ sit vocabuli cuiusque significatio: quod valde esse absurdum, multis rationibus ostendi potest. Primùm, quia etiam in eas res quæ substãtiæ non sunt, atque adeò in ea quæ omnino

Universidad de Deusto
Biblioteca

in rerum natura non sunt, definitiones cadere possent: in iis enim quæ non sunt, potest quæ sit vis ac significatio verbi ostendi. Deinde quòd omnes orationes possent esse definitiones. Nam quæ tandem oratio est, cui vnum nomen imponi non possit? Itaque omnis disputatio, omnis sermo, definitionibus constabit: & non incommodè Ilias Homeri definitio appellabitur. Postremò quia nulla scientia est in qua id demõstratione concludi videatur, quòd sit huius nominis illa significatio: neque igitur in ipsis definitionibus inerit vis demonstrandæ huius rei. Atque ex iis quidem quæ hactenus dicta sunt, hæc omnia vidẽtur esse verisimilia, definitionem & demonstrationem neque idem esse, neque in eadem re versari: itémque definitionem non habere vim demonstrandæ, imò ne declarandæ quidem cuiusquam rei: postremò quid res sit, nec definitione, nec demonstratione posse cognosci.

Nota 3

Cap. 8.

NVNC verò est aggredienda rursus huius rei disputatio, vt videamus, ex iis omnibus quid verum, quid nõ verum sit, tum quid sit definitio: denique non quæstio, quid est, demonstratione quodammodo & definitione absoluatur, an verò id nullo modo fieri possit. Quoniã igitur idẽ est (vt suprà diximus) nosse quid res sit, & causam qua quæstio an sit, absoluitur: ratio autem huius quæstionis, an sit, est, quia aliqua est per quam res esse ostenditur causa: & quidem causa quæ redditur, aut vna tantùm est, ac eadem semper causa, aut alia est rursus superior causa: & si est alia causa, vel ex hac illa demonstrari potest, vel non potest. Ergo si est alia causa superior, ex qua demonstratio confici possit, necesse est, vt pro verbo medio illa causa accipiatur, & vt in prima figura concludatur demonstratio: quandoquidẽ vniuersa affirma-

tio est, quæ hac probatione ostenditur. Atque ille quidem erit vnus modus, qui hac ratione continetur, probandæ vnius definitionis per alteram. medium enim ad probandam definitionem accommodatum est, & definitio: & cùm demonstratur aliquid quod proprium est, medium etiã proprium esse oportet. Ita ergo statuẽdum est, ex definitionibus eiusdem rei vnam cõcludi posse, alteram non posse. Ac genus hoc probationis, non esse demonstrationem ipsius definitionis, iam antè dictum est, sed id non potest negari, quin sit ratiocinatio logica ipsius definitionis, hoc est probatio ex qua quid res sit, certa quadam ac necessaria ratione intelligitur.

QVO autem modo id accipiendum sit quod dixi, logica ratiocinatione quid res sit cognosci, nunc paulò altius repetito initio dicamus. Ac primùm quidem, quemadmodum postquam quale sit intelligimus, cur ita sit, quærimus, & simul interdum vtrunque cognoscimus, sed nunquam prius quamobrem res sit percipi potest, quàm ita esse intelligamus: ita planè quid res sit, nisi esse ipsam cognitum sit, cognosci nunquã potest: quia nemo potest scire quid sit illa res, quam sit nécne ignorat. Est porrò duplex ratio intelligendi vtrum sit res, nécne: vna per accidentia, altera per ea quibus rei vis atque natura continetur. Veluti esse tonitruum, quia est strepitus in nubibus, & defectionem, quia sit luminis priuatio, & hominem, quia sit animal quoddam tale, & animũ, quia sit illud quòd à seipso agitatur. Cùm igitur per accidentia rem esse intelligimus, tum nil adfertur vnde nos quid res sit assequi possimus, quando ne an sit quidem hac ratione perspici, certóque cognosci queat. Quærere autem quid sit, cùm rem esse nescias, inane est, nulliúsque momenti. Cùm Cap. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò ad docendum rem esse, adhibentur ea quæ ad explicationem naturæ pertinent, tum minimo negotio ad cognitionẽ quid sit peruenitur. Itaque vt quisque affectus est ad cognoscendum an sit, ita ad intelligendum quid res sit, aut prius, aut longius abest. Ac in iis quidem vbi rem esse cognoscimus per ea quæ quid res sit ostendunt, prius exemplum subiiciamus. Esto defectio A, luna C, terræ interiectus B. Quærere ergo vtrum defectio sit, nécne, nil est quàm sit nécne medium B, inuestigare. At enim hoc medium inquirere quid aliud est, quàm definitionem ipsam quærere sit nécne in rerum natura? itaque si esse definitionem comperiamus, & ipsam defectionẽ esse intelligimus. Et vt aliud exemplũ subiiciam, quærere sit nécne hæc proprietas, habere tres angulos pares duobus rectis, idem valet ac si quæreretur vtrius partis contradictionis ratio in rerum natura cohæreat, affirmationisne, quæ est habere tres angulos pares, an negationis, quæ est non habere. Atque illam quidem rationem vbi inuenimus, tum simul & quòd ita sit, & quam ob causam, intelligimus, si modò proprio suo ac vero medio vtranque quæstionem tractemus. Nam si secus faciamus, rem quidem ita esse cognoscemus: cur autẽ sit, minimè intelligemus. Verbi gratia, sit luna C, defectio A. lunam cùm plena sit subtracto etiam omni obstaculo vmbram non facere, B: si igitur ipsi C conueniat B, hoc est, si luna non possit vmbram facere quum pleno orbe cõspicitur, & nihil inter nos & lunam videatur esse interiectum: huic autem B medio conueniat A, quod est deficere: hac quidem ratione ostendetur lunam deficere, sed quamobrem deficiat, nondũ perspectum erit. & esse quidẽ in rerũ natura defectionem intelliget ur, sed quid sit, ex eo perci-

pi non poterit. Porrò cum perspectum est ita esse quippiam, tum proximum est, vt quæratur cur ita sit: quæ quæstio eam vim habet, vt perinde sit ac si quæreretur quidnam sit ipsum B: nempe an B sit terræ interiectus, an ipsius lunæ conuersio, an verò lucis extinctio. Hæc autem est definitio alterius extremi: veluti in hoc exemplo, medium est definitio ipsius A maioris extremi: nil enim est lunæ defectio, quàm terræ interpositus. Quid est tonitrus? est ignis extinctio in nube. Cur tonat? quia extinguitur & opprimitur in nube ignis. Sit igitur nubes C, tonitrus A, ignis extinctio B. Ergo C, hoc est nubi, inest B, quia verum est in nube ignem opprimi. Huic autem B conuenit A, quod est tonitrum: & definitio maioris extremi A est ipsum B. Nunc verò si aliud quoddam adhiberi medium posset ad concludendam hanc propositionem, necesse esset vt illud rursus medium, vna esset ex reliquis definitionibus, quibus quid hæc eadem res sit ostenditur. Quo igitur modo quid res sit assequamur, & qua ratione id ipsum manifestum fiat, dictum est. Ac illud quidem ex iis quæ dicta sunt efficitur, nec demonstratione, nec vlla necessaria conclusione quid quæque res sit probari posse: nihilominus tamen per aliquam ratiocinationem & demonstrationem apertum fieri quid res sit. Ideóque definitiones quæ alia rursus causa concluduntur, non possunt illæ quidem citra demonstrationem percipi: & tamen demõstratione probari quid res sit omnino non potest, sicuti suprà rectè ostensum est, cùm adhuc dubitanter singula & sine vlla affirmatione proponebamus.

CAP. 10. Tenim ex iis quæ ad probandũ sumũtur, quædã sunt quibus confirmandis aliarursus ratio desideratur, alia quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

superiorem causam nullam habent. Vnde satis cõstat, eas definitiones esse quædam veluti intia, quibus probandis nullo argumento opus est: sed statim initio & quòd sint, & quam vim habeant accipitur, aut alio quodã modo manifestæ fiũt: id quod Arithmeticus facit, quando statim initio & esse vnitatem ponit, & quid ipsa sit declarat. In quibus autem probãdis aliud atque aliud medium reperitur, cúmque non illa tantùm, quæ in aliqua demonstratione accipitur, est rei definitio, sed alia quædam, quæ est huius veluti causa, illud profectò tum vsuuenit quod diximus: nempe, definitionem quidẽ per demonstrationẽ explanari, sed hanc huius esse definitionem nullo modo probari. Quoniã autem definitio vocatur oratio quid quæque res sit declarans, hinc profectò planum est, genus quoddam esse definitionis, quo explicatur quæ sit cuiusque vocabuli significatio, aut si breuius appellare libet, nominis explicatio. Cuiusmodi est oratio qua docetur quæ sit vis ac significatio huius verbi triangulum: quod postquam esse assecuti sumus, tum quãobrem sit quærimus. Difficile autem est ex hoc definitionum genere naturam rei assequi, quam sit nécne ignores. Huius verò difficultatis causa paulò antè à nobis explicata est, nempe quòd ne an sit quidem huiusmodi argumentis certò scimus, sed fortè temere, & (vt ita dicam) per accidens tantum. Porrò autem oratio duobus modis vna appellatur. priore modo dicitur oratio vna per coniunctionem, vt Ilias vniuersa: posteriore, vna ex eo appellatur, quòd vnum quippiam vni attribuitur, atque ita vnum, vt per se ac propriè, nõ fortuito & veluti casu aliquo vnum sit. Atque illud quidem vnum genus definitionis est, quod modò explicatũ est. Aliud autẽ genus est, quo

causa cur res sit, continetur. Itaque prius genus ad rem quidem explanandam valet, ad probandum minimè: posteriore autem genere definitionis, quandam veluti demonstrationem contineri, ipsa per se ratio definiendi declarat: quandoquidem à demonstratione tantum collocatione differat. Est enim ælia ad quæstionem, cur tonat, alia ad quæstionem, quid est tonitruum, respõdendi forma. nam ad illam respondetur, quia extinguitur ignis in nubibus: Ad hanc autem qua quid sit tonitrus quæritur, hoc modo respondetur, est strepitus oppressi & intincti ignis in nube. Quare eadem hæc oratio, vno modo expressa, definitio est: alio modo demonstratio: non illa quidem suis sumptionibus distincta, sed vna quadam oratione tota simul comprehensa. Præter hanc autem alia est tonitrus definitio: strepitus in nube factus. Hæc autem est conclusio illius demonstrationis, per quam illustrari quid res sit diximus. Aliæ verò definitiones earum rerum quæ initio citra vllam probationem accipiũtur, nihil sunt quàm positiones quædam, quibus nulla adhibita demonstratione, quid res sit ponitur. Vt igitur rem in pauca conferam, vnum genus definitionis est quod nulla ex parte demonstrationem desiderat. Alterum est in quo ratiocinatio, quæ adhibetur ad illustrandam definitionem, cõtinetur, & hoc tantum à demonstratione distinguitur, quòd mutata aliquãtum verborũ terminatione exprimitur. Tertium est quod conclusionis obtinet locum in demonstratione, qua quid res sit illustratur. Atque ex iis quidem quæ diximus, perspicua sunt hæc omnia: primùm, quomodo in definitionem demonstratio cadat, & quomodo non cadat: tum in quas definitiones possit, & in quas non possit cadere demon-

stratio: deinde quot sint definitionum genera, & quónam modo quid res sit ostendat definitio, & quomodo non ostendat: mox quarum rerum sit, quarum non sit definitio: postremò quomodo est ad demonstrationẽ affecta definitio, & qua ratione in eadem re cerni vtraque possunt, quáque ratione non possunt.

Cap. 12. *QVONIAM autem censetur quisque tum demum rem scire, cùm est assecutus causam: causarum autẽ quatuor sunt genera: Vnum est forma atque essentia cuiusque rei: Alterum est in quo inest necessitudo non absoluta, sed ex adiunctione, si alia quædam sint, hoc esse necesse est: Tertium genus est id in quo inest rei efficiendæ vis primaria: Quartum est finis, cuius causa aliquid fit: Omnia quidem certè ista causarum genera, pro medio adhibita in demonstratione intelliguntur. Ac primùm quod genus illud causæ, ex quo necessarium esse vt aliud sit concluditur, medium sit, hinc intelligitur, quòd illa consequentis ex antecedente consecutio, accepta vna, propositione non censetur habere vim necessariam, sed minimum vt duæ sumptiones antecedant necesse est: duas verò ad aliquid efficiendum sumptiones accipere, quid est quàm vnum quoddam medium habere? Hoc igitur vno medio accepto, necesse est conclusionem esse. Sed etiam exemplo idem illud ostendi potest. Sit quæstio, quamobrem rectus est angulus, qui in semicirculo descriptus est. aut si accommodatius ad hoc causæ genus quærere velis, quid est quo posito rectum hunc angulum esse necesse est? Esto autem angulus rectus A, dimidium duorum rectorum angulorum B, angulus in semicirculo descriptus C: vt igitur A conueniat ipsi C, id est vt sit rectus angulus qui in semicirculo*

descriptus est, causa est B. Etenim paria sunt A & B, itemq; C & B. omnis enim angulus, qui dimidium habet duorũ rectorum, est rectus. Ergo quia B est, hoc est, dimidiũ duorum rectorum angulorum, necesse est A omni C inesse, quod est rectum esse angulum qui in semicirculo descriptus est. Mediũ porrò istud idem valet quod forma atque essentia rei, propterea quòd oratio hæc, illam ipsam declaret. At verò quòd causa, qua forma atque essentia rei continetur, medium sit demonstrationis, iam suprà dictũ est. Alia itaque causa explicanda est. Quamobrem Medi aduersus Athenienses bellum gesserunt? eò pertinet hæc quæstio, vt causa quæratur quæ effecerit, vt bellum Athenienſibus inferretur: quæ est, propterea quòd Athenienses ipsi vnà cum Eretriis incursionem in Sardeis fecerant. Hoc enim est quod primum ad bellum Medos excitauit. Sit igitur bellum A, priores impetum facere B, Athenienses C. Et B igitur conuenit ipsi C, quod est, Athenienses priores inuasisse, & A ipsi B. nam eos bello persequi, qui priores lacessierunt, æquum est. Ergo hunc in modum hæc ratio connectitur: Omne B est A, hoc est, omnes qui priores inuaserunt, iusto bello oppugnantur. omne C est B, hoc est, Athenienses autem priores bellum intulerunt. Atque in hac ratione, medium, est causa, in qua motionis principium cernitur. Superest vt de iis dicamus, in quibus finis, cuius causa sit aliquid accipitur. Exempli gratia, quamobrem deambulemus? vt valeamus. Quam ob causam domos habemus? vt suppellectile vniuersam seruemus. Atque in superiori quidem quæstione finis est valere, in posteriori seruare. Porrò autem inter has interrogandi rationes, cur post cœnam inambulare oporteat, & cuius causa, nil in

Universidad de Deusto
Biblioteca

tereſt. Eſto igitur de ambulatio poſt cœnam C, non fluitare cibos in ſtomacho B, valere A: id igitur efficit de ambulatio poſt cœnam, ne ad os ventriculi redundent cibi, id autem ad ſeruandam valetudinem plurimum valet. Conuenit enim ipſi C quod eſt inambulare, B, quod eſt non fluitare cibos in ſtomacho: itemq; ipſi B conuenit A, quod eſt vtile eſſe ad valetudinem conſeruandam. Cauſa igitur cur omni C inſit A, quod nihil eſt quàm finis cuius cauſa illud fit, eſt B. Hoc autem B eſt veluti illius definitio: nam ſi quis docere velit quid ſit A, in definitione explicanda ipſum B accipiet. Cur autem B inſit ipſi C, cauſa eſt quòd ita in imum ſtomachum cibos deprimi ſalubre eſt. Atque vt iſta ſingula apertius videantur, commutandæ ſunt ſuperiores propoſitiones. In iis autem cauſis atque in efficientibus, rerũ ortus contrario modo ſpectatur. efficientes enim cauſæ, quæ pro medio in argumenti concluſione accipiuntur, tempore præcedunt, & antè naſcuntur quàm effecta: contrà in finibus, C minus extremum antecedit, finis autem ipſe cuius cauſa ille fit, poſtremus eſt. Accidit autem interdum, idem effectum probari non modò ex fine, ſed etiam ex materia, quæ neceſſitudinis cauſa dicitur. Veluti cur lumen per laternam tranſmittatur? huius rei cauſa duplex redditur. vna eſt, quia neceſſe eſt vt per maiores meatus, id quod ſubtilioribus conſtat partibus, tranſmittatur, ſiquidem eo lux cernatur, quia corpus aliquod permeet & tranſeat. Altera, eſt finis, ne videlicet vſpiam offendamus. At enim, ſi in is quæ ſunt, duplex cauſa reddi poſſit, nunquid etiam in iis, quæ fiunt, idem illud vſuuenire poterit? Et certè poteſt. nam ſi eam ob cauſam tonitrus fiat, quia reſtinguitur ignis, hæc vna cauſa erit, cur ſtrepitum illum

& ſtridorem in aëre fieri neceſſe ſit: alia autem cauſa erit (ſi verum eſt quod aiunt Pythagorei) ad terrendos manes qui ſunt in tartaro. Sunt autem huius generis plurima, ac potiſſimum in iis quæ natura conſtant & fiunt. Cùm enim ad ſuum quendam finem pertineat ſemper natura, tum omnia neſcio qua facit neceſſitate. Eſt verò duplex quæ en rebus cernitur neceſſitudo. Vna quæ eſt naturæ & ingenitæ cuique rei inclinationi conſentanea. Altera eſt quæ vim adfert, & naturali cuiuſque rei inclinationi repugnat: veluti lapidem & ſurſum & deorſum quadã neceſſitate ferri rectè dicimus: ſed non idem eſſe neceſſitatis genus, facile perſpicitur. Ex iis verò quæ ratione & artificio fiunt, quædam ſunt in quibus caſus nullum locum habere poteſt: cuiuſmodi ſunt domus & ſtatua, quæ non illa quidem neceſſariò fiunt, ſed ad finem aliquem ſemper pertinent. Alia ſunt in quibus etiam fortuna interdũ cernitur, qualis eſt valetudo, & ſalus cuiuſpiam. Poſterioris autẽ generis ea potiſſimum ſunt, quæ vt hoc modo, ita ſecus fieri poſſunt, quo tempore non erit rei euentus fortuitus. Quocirca finis eſt bonum aliquid, cuius cauſa aliquid aut natura, aut arte fit. Nam quod fortuito euenit, nullius rei gratia fieri dicitur. Porrò autem quæ cauſa eſt eorum quæ ſunt, eadem eſt eorum quæ fiunt, & quæ facta ſunt, & quæ futura ſunt: quandoquidem quæ rerum cauſa eſt, ea in demonſtratione medium eſt. Verùm id eſt diuerſum, quòd in iis quæ ſunt probandis, medium quod iam eſt, accipitur: in iis autem quæ fiunt, fieri medium ſumitur: in factis factum, in futuris futurũ. Verbi cauſa, cur fuit lunæ defectio? quia fuit terræ interiectus: fit autem defectio, quia interponitur terra: erit, quia interponetur: eſt autem

Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolanae S.I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

defectio,quia est terræ interpositus.Esto autẽ & aliud exemplum,ac primũ definiatur glacies aqua concreta:tũ aqua sit C,concreta sit A, causa autem ac medium sit B, quod est caloris vsquequaque defectio:in ipso igitur C,dicitur B, & in hoc ipso B,A ineſt,quod est conglaciare:gignitur autem glacies, cùm gignitur medium B, & fuit glacies,quia fuit B, & erit,quia futurum est vt B fit.Atque huiusmodi quidem causæ simul sunt cũ effectibus,ita vt cùm fiat vnũ, fiat alterum,& quo tempore vnum est,eodem tempore alterum esse necesse est:nec secus in præterito & futuro tempore fit.

Cap. II. In iis autẽ quæ non simul sunt:quæstio est,an quemadmodum nobis videtur, ita res habet:vt ex causis effecta sequantur continuò,hoc est,perpetua quadã,& nullo temporis spatio interciſa consecutione, cùm interim sit semper rei factæ causa res facta,rei futuræ futura, & rei quæ fit, quippiam quod paulò antè fiebat. Est igitur imprimis hoc loco perſpicuum, semper ab eo quod posterius factum est,duci argumẽti conclusionẽ:nec immerito.est enim iis quæ facta sunt,quasi principium quoddam,id quod posterius factũ est:ob eamque causam in iis quæ fiunt, eodem modo argumentum ducẽdum est à posteriori. A priori verò argumentũ ducere nullo modo licet.neque enim rectè efficies, ſi, quia est aliquidiã factum,velis cõcludere,id quod posterius est, esse factum:quod idem in futuris intelligẽdum.Siue enim incertũ,siue certum quoddã tẽpus proponas, id nũquã efficies vt rectè sequatur, ſi hoc factũ est:ergo illud quod posterius est, factũ est : quandoquidem necesse est hanc conclusionem falsam esse toto illo tempore,quod interiectum est inter prius factũ & posterius: eademq; ratio est in futuris. Neque verò ad hunc modũ rectè

efficies, quia illud factũ est, necesse esse vt illud pòst fiat. Medium enim demonstrationis simul genitum esse debet cum re quæ concluditur : nempe eorum quæ facta sunt, medium est quod factum est,futurorũ futurum,eorũ quæ fiunt quod fit, eorum quæ sunt quod est. Atqui quod factũ est,& quod futurum,genita simul esse nõ possunt. Iam autẽ siue incertum, siue certum ac definitum quoddã tempus accipias, nil,vt id rectè sequatur, effeceris, quia illo toto spatio temporis quod interiectum est inter id quod factum est, & quod futurũ est vt fiat,falsa erit illa complexio. Sed quid illud sit,quo res ita connectuntur & continuantur,vt statim post factum esse sequatur fieri,videamus. An non verũ est cohæresscere inter se id quod factum est & quod fit? Enim contingere & cohærere inter se non non possunt duo(vt sic dicam)facta esse:quia ipsa,extrema quædã sunt omnino indiuidua. Vt igitur non possunt puncta punctis cohæresscere,ita factum esse cum altero eiusdem generis perpetuari non potest:vtraque enim indiuidua sunt, Vnde efficitur, vt nec factũ esse & fieri contingere inter se possint : fieri enim diuiduum est, factum esse, indiuiduum. Quod igitur est pũctum ad lineam,hoc est factum esse ad fieri,quandoquidem in eo quod fit,insunt facta infinita. Sed de iis clarius dicẽdi alius est locus, vbi genus vniuersum motus explicatur. Atque illa quidem hoc loco sufficiant, de ratione quam habet causa, quæ pro medio accipitur, ad effectum, in iis rebus in quibus deinceps ex aliis alia oriuntur.Nam cum argumenti conclusio in iis rebus connectitur,perinde inter medium & maius extremum nil debet esse interiectum,atque in aliis.Exempli causa factum est A, quia C factũ est : vbi C posterius est,prius A. Ob id autem C

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hac conclusione principium est, quia proprius ad instans accedit, quod est temporis principium. tum verò, quoniã D factum est, necessario efficitur C factum esse: illud igitur ad extremum necessario concluditur, quia D factum est, A factum esse, cuius rei causa est C. Etenim si factum est D, necesse est vt C factum sit: si autem C factum est, necesse est, vt Arius factum sit. At quæret quispiam, fierine id possit, vt medium tandem accipiatur vsque eo coniunctum, atque adhærescens, vt nullum sit præterea medium? an verò quia mediorum infinitas quædam inest, aliud atque aliud semper accipi possit? Nam hoc paulò antè dictum est, non posse inter se connecti, & coaptari duo facta. Verùm enimuero quicquid contra obiiciatur, illud certum est, ducendum semper initium ob eo medio quod instanti est propinquius. Eadem autem ratio est in futuris. Nam si verum est fore D, illud necessariò prius futurum est, vt sit A, vbi etiam causa est C. Si enim erit D, prius erit C: si autem erit C, prius erit A. neque verò in iis minus est infinita diuisio, quàm in factis: nec enim momenta quæ in futuris cernuntur, continentia esse possunt. Porrò illud etiam in his obseruandum est, vt initium accipiatur ab eo, citra quod nullum sit interpositum medium. Quod autem modò dixi, in ipsis etiam artium operibus cernitur. Vt si domus facta est, necesse est incisos atque adeò paratos fuisse lapides. Cur autem id necesse sit, causa est, quia necesse fuit iacta esse fundamenta, vt factam esse domum intelligamus. Atqui vt fundamentum esset, iam antè paratos fuisse lapides necesse est. Nec ratio dissimilis erit, si ad futurum id trãsferas: nam si erit domus, futuri sunt antè pariates: idque eodem modo, adhibito aliquo medio proba-

bitur, quia necesse est, vt sint antè iacta fundamenta.

QVNIAM autem rerum naturalium ortus in plurimis reciprocari, ac veluti in orbem redire conspicitur, eo fit, vt non incommodè interdum argumenti conclusiones vicissim in orbem tractentur: id quod tum erit, cùm inter se mutuò consequentia erũt, medium & extremo: in talibus enim verbis cernuntur vicissim retro cõmeantes probationes. Demonstratum autem est in superioribus libris, fieri interdũ, vt vicissim ad concludendas sumptiones adhibeatur complexio: quod aliud nil est quàm reciproca & orbicularis demõstratio. Quòd autem in naturæ operibus hoc probandi genus cernatur, hoc exemplo perspici potest: postquam terra imbre madefacta est, inde necesse est nasci vapores: tum ex iis oritur nubes: mox autem nube resoluta, imbrem effundi necesse est: ex quo rursus madefieri terram consequitur: id autem est vnde sumptum erat exordium. Itaque hæc quasi orbem quandam absoluunt, quæ ita in se redire videntur, vt posito vno aliquo, sequatur aliud: tum illo posito, mox aliud, ex quo id ipsum quod primum erat, renascitur. Sunt autem duo genera eorum quæ fiunt. Vnum est eorum, quæ quia semper, & in omnibus eodem modo se habent, aut fiunt, propterea vniuerso genere contineri dicuntur. Alterum in iis cernitur, quæ non semper, sed maxima ex parte ita fiunt. Vt non sunt omnes viri barbati, sed in maxima tamen parte id cernitur. Porrò quæ ad hoc posterius genus pertinent, sui etiam generis medium, quod plerunque fit, habent. Nam si ita conueniat A ipsi B, vt in totum genus cadat, itémque B vniuersè enuntietur de C, efficietur necessariò ita in omni C dici A, vt huius generis omnibus ac semper cõueniat. Hoc

Cap. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim est, quod cadere in totum genus diximus, quod omni, ac semper cõueniat. Atqui id maxima tantùm in parte verum esse ponebatur: necesse igitur est, vt medium B ex genere sit eorum, quæ plerũque fiunt. Quapropter eorum, quæ plerunque eueniunt, illa erunt propria, omníque medio carentia principia, quæ ipsa plerunque etiam ita sunt, aut fiunt.

Cap. 14. SEQVITVR nunc, quia suprà ostensum est, quomodo definitio in argumenti conclusione pro aliquo vno extribus extremis accipiatur, & quomodo demonstratione aut definitione, quid res sit ostendatur, aut nõ ostẽdatur: sequitur inquam, vt inuestigãdæ definitionis rationem doceamus. Ac primùm, inter ea quæ in altero dicuntur, nonnulla reperiuntur, quæ latius ipsa quidem patent quàm subiectum, sed tamen non latius, quàm genus ipsius subiecti. Ego verò latius patere ea dico, quæ sunt alicui cum aliis communia. Vt si quid est, quod omni ternario cõueniat, & aliis præterquam ternario, cuiusmodi est (vt sic dicam) ens, quod cùm in omni ternario dicatur, tam latè præterea patet, vt vel omnem numerum longè excedat: Impar autem commune quidem est ternario cum aliis (nam etiam quinarius impar est) sed non latius patet, quàm genus istorũ. Numerus enim, quinarij genus est: præter numeros autem, nulli conuenit impar esse. Est igitur definitionis hic modus, vt sumas ea, quæ sunt ei rei quam definire velis, cũ aliis cõmunia, idq; vsq; eò persequaris, dum propriũ efficiatur, quod nullã in aliã rem transferri possit. Nã illa oratione vim atq; naturã rei vniuersam contineri necesse erit. Exempli causa, omnis ternarius est numerus impar, tum est primus, idq; bifariam: & quòd eum alius numerus nõ metiatur: & quòd ex multis numeris non com-

ponitur. Hinc igitur colligitur hæc ternarij definitio. Numerus impar primus, atque adeò bifariam primus. Ac eius quidem definitionis pars prior, omnibus est imparibus numeris cum ternario cõmunis: posterior autem, etiã binario cõuenit: iunctæ autem simul vtræque partes, in nullã aliam rẽ transferuntur. Quoniã autem suprà docuimus necessaria esse, quæ in explicanda definitione sumuntur: quandoquidem quæ in omni dicuntur, necessariò conueniunt: hæc autem quæ ad definiendum ternarium, aut aliud quiduis adhibentur, vim ac naturam rei declarant: ternario igitur illa omnia necessariò conueniunt. Quòd verò vniuersam rei essentiam complectatur, hinc perspici potest, quod necesse est, si naturam rei vniuersam non complectatur hæc oratio, vt sit genus quoddam, quod aut vno nomine appellari possit, aut nullum habeat nomen impositum. Vnde sequitur latius patere hanc orationem ternario. Nam id hoc loco accipiendum est, omne genus ad multas posse species pertinere. Ergo si hæc oratio alteri nulli conueniat, quàm omnibus ternariis, necesse erit vt ea, vis ac natura ternarij vniuersa contineatur. Ponendum enim hoc loco nobis est, vim ac naturam rei esse, huiusmodi quoddam attributum, indiuiduis modò alicuius speciei conueniens. Itaque hac eadem ratione in aliis omnibus, in quibus idem modus definiendi obseruabitur, quæ sit rei vis ac natura ostẽdetur. Si autẽ velit quispiam genus ipsum definitione explicare, hæc erit illi via sequẽda. Primùm distribuendum erit genus in species vltimas, in quas primùm inter diuidendum incidet, vt numerus in ternarium & binarium: Tũ singularum formarũ erunt inquirendæ ex superiore ratione definitiones. Verbi gratia, quod sit recta linea,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid circulus, quid rectus angulus, & huius generis alia. Deinde postquam genus, ad quod sit id ipsum, quod definitur, referãdum, inueneris, nempe vtrũ quantitas sit, an qualitas, tum ex iis quæ sunt communia, primis illis speciebus erunt illa colligenda, quæ propriè generi conueniant. Nam quæ illa sint, quæ vniuersò generi, quod ex infimis speciebus componitur, conueniant, ex definitionibus ipsarũ formarum manifestum fiet: quandoquidem omnis propemodum cognitionis initium est definitio, idq; quod simplex est. Ac simplicibus quæ conueniunt, in ipsis simplicibus solis per se spectantur, in aliis autem per ipsa simplicia. Porrò autem diuisiones generum per differentias factæ, plurimùm valent ad perfectas definitiones, hac ratione conficiendas. Et qua ratione quidem ad demonstrandam definitionem adhibeantur huiusmodi diuisiones, paulò antè docuimus: neque enim existimandũ est, eam modò diuisiones habere vtilitatem, quòd ad concludẽdum quid res sit, vim quandã necessariam afferant: sed id potius censendum est, nullam in iis inesse concludendi necessitudinem: quandoquidem absoluta diuisione, statim omnes partes definitionis, citra probationem accipiuntur, perinde ac si iam inde ab initio, nulla ante facta diuisione sumerentur: sed eò valent ad definiendum diuisiones, quoniam plurimũ interest, quo ordine singula disponas, & quid primo, quid secundo loco cõstituas. Verbi gratia, nõ parum refert an hominem dixeris esse animal mansuetum bipes, an bipes animal mansuetũ. Quæ verò præterea in definitione videda sunt, efficiatúrne vnum aliquid ex duabus definitionis partibus, veluti an quippiam vnum sint animal mansuetum: itemq; an ex illo genere & illa differentia, con-

stituatur hominis natura: aut verò quid illud tandem sit, cuius hac vna oratione natura cõtinetur: illa inquam vtraque non probat, qui diuisione vtitur, sed citra probationem accipit. Est autem & alia diuisionis vtilitas, vt in definiẽdo nil prætermittamus eorũ, quæ quidem res sit, ostendere possint. Nã vt id vitium declinemus, propemodũ sola diuidẽdi ratio præstare potest. Postquam enim primo loco genus acceptum est, si quis nõ proximam diuisionẽ accipiat, sed ad inferiorem aliquam transiliat, in partes diuisionis non cadent omnia quæ sub genere continentur. Vt si quis animal diuidat in ea quæ alas habent perpetuas cõtinuásque, & ea quæ alas habent diuisas: non comprehendet hac diuisione omne animal, sed volucres tantùm hac diuisione continentur, quarum hæ propriæ sunt differentiæ. Animalia autem illæ sunt primæ differentiæ in quas cadit omne animal: quod idem in aliis generibus dicendum est, siue illa sint omnino ab animali diuersa, siue sub ipso animali comprehendantur. Primæ enim volucris differẽtiæ sunt, in quibus omnes volucres continentur, & pisces, in quibus omnes pisces. Ac singula quidem ita persequendo per diuisionem facile erit videre, num prætermittatur quippiam: sin hanc rationem negligamus, necesse erit, vt & aliquid interdum prætermittatur, & semper incertum sit, quicquámne prætermissum sit, an secus. Neque verò necesse est, vt definias aut diuidas quippiam, simul omnia quæ sunt nosse, tametsi quibusdam videatur fieri non posse, vt rerum inter se discrimina intelligamus, nisi eas ipsas res perspectas ac cognitas habeamus: vt autem rerum assequamur cognitionem, non intellectis earum inter se differentiis, consentaneum non esse. A quo enim non discrepat

Universidad de Deusto
Biblioteca

quippiam,cum eo idē esse: à quo autē distinguitur,aliud esse ab eo. Ac primùm quidē falsum est postremū hoc proloquiū. Neq; enim omnis differentia aliam rem efficit:quandoquidē multæ sunt inter ea quæ specie non distinguuntur differētiæ, quæ nec in rei natura cernuntur,nec propter se insunt. Deinde verò postquam quisquā accepit cōtrarias differētias: idq; necesse esse, vt aut hac, aut illa parte contineatur id omne quod in hoc genere cernitur:mox autē in altera parte id ipsum cuius definitio quæritur comprehendi, idque ita esse cognoscit:quid, inquam, postquam hæc omnia rectè effecerit, refert,sciat, an nesciat:in quibus aliis hæ differentiæ dicantur? Perspicuum enim est eum, qui hanc viam insistens eò perueniet, vbi iam nulla possit esse differentia, qua res præterea diuidatur, inuenturum eam quam quærebat orationem,qua rei vis vniuersa contineatur. Porrò autem genus vniuersum in partibus diuisionis contineri, si partes in eo contrariorum genere sint,quibus nil interiectū est,non postulatum est,sed velit nolit is quicum disputatur,necessarium, vt si veræ sint differentiæ,ad vnam earum pertineat, quicquid illo genere comprehenditur. Sed vt per diuisionem rectè conficiatur definitio,tria sunt obseruanda: Primum est, vt accipiantur attributa,quæ sint ad declarandum quid res sit accommodata. Alterum est, vt quod primum, quódque secundum esse debet,suo loco collocetur. Tertium est,vt omnia, quæ sunt ad hanc rem necessaria,adhibeantur. Ad horum quidem primum hinc consequi poterimus, quod vt loci sunt, quibus accidentis quæstio tractatur, cùm alterum alteri inesse ostenditur:ita suos quosdam locos habet quæstio generis,quibus quippiam genus esse confirmetur. Secundum

autem, quod est singula, vt par est collocare, ita facilè præstabimus, si quod primum est, primo loco accipiatur: id autem erit,si id acceptum sit, quod est omnium consequens, nec vicissim ex eo alia consequuntur omnia: semper enim inter definitionis partes est aliquid huiusmodi: Postquam autem id erit ita constitutum, idem modus erit seruandus in collocandis reliquis inferioribus: nam secundum ad reliqua comparatum,est vt primum:itémque tertium,ad ea quæ sequuntur. Sublato enim primo, id quod deinceps sequitur, est omnium primum: nec dissimilis est in aliis ratio. Tertium autem, quod in eo est vt intelligamus, ea quæ accepta sunt, illa esse omnia, quæ ad rem definiendam fuerunt necessaria,hinc perspicitur, quòd sumpto primo, ita ipsum diuiditur, vt necesse sit omne quod illo genere continetur, aut hac, aut illa parte comprehendi, idque quod definitur, in ea parte reponimus,in qua continetur: tum rursus hoc totum quod ex superiore diuisione natum est, suis differentiis distribuimus, idque vsque eò persequimur, donec ad extremū totum quoddam efficiamus,cuius nullæ sint differentiæ,vel certè quod statim vbi adiecta est vltima differentia, ab ipsa re quæ definitur,specie non distinguitur. Perspicuum enim est, in definitione quæ hac ratione confecta est, nil redundare:quia omnia quæ sumpta sunt ad ostendendum quid res sit,sunt accommodata:neque abesse quicquam:aut enim genus hîc desiderabitur,aut differentia. Atqui genus hîc primo loco acceptum est, illúdque cum differentiis coniunctum: Differentiæ autem omnes hîc appositæ sunt: quandoquidem nulla præterea differentia hîc locum habere posit: alioqui totum hanc orationem specie differre à re quæ de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

finitur, dicendum erit, quod nos suprà negauimus. Illud autem videndum est ei, qui rerũ definitiones inuestigat, vt primùm quid commune habeant ea quæ similia sunt, nec specie differunt, consideret: deinde in aliis rursus idem faciat, quæ ad genus illa quidem vnũ, & idem cum superioribus, pertineant, sed specie ab illis distinguantur, cùm interim cõparata inter se, specie idem sint, quemadmodũ & illa. Postquam autem sumpseris quid his & illis, aliisque eiusdẽ generis commune sit: tum illud spectabis, sitne quod in iis omnibus commune esse reperiebas, idem aliquid, atque ita idẽ, vt communem efficiat vnam rationem: Nam si ad vnam quandam rationem perueneris, erit proculdubio illa rei definitio: Sin vnam in rationem non conueniant, sed aut duas aut plures, certũ est non esse simplicem, sed multiplicem naturam eius rei, cuius quærebatur definitio. Exempli gratia, si velimus nosse quid sit magnitudo animi, videndũ est quid inter se commune habeant aliqui, quos constet fuisse magnanimos, quod genus sunt, Alcibiades, Achilles, Aiax, quibus id fuisse commune videmus, vt æquo animo contumeliã pati non possent. Alcibiades enim ob eam causam bellum patriæ intulit: Achilles implacabili exarsit iracũdia: Aiax sibimortem consciuit. Tũ eiusdem generis alios spectabimus, vt Lysandrum & Socratẽ, in quibus animi magnitudinem ex eo agnoscimus, quòd tam aduersas, quàm secundas res moderatè & constanter tulerunt. Comparatis igitur inter se iis duobus, considerandum est ecquid commune habeant, constantia, idemq; in vtraque fortuna animus, & summa inferenda contumelia impotentia. Quòd si nil commune reperias, statuere poteris duas esse magnanimitatis species.

SEMPER autem res vniuersa est, quæ definitione explicatur: neque enim medicus cùm definit, quodnam sit salutare oculis medicamentum, definitionem ad hunc aut illum oculum tantùm accommodat, sed aut in genus vniuersum oculorum, aut in aliquam sanè speciem vult transferri. Porrò autẽ singularia definire multò est facilius, quàm vniuersale: ob eamque causam à singulis rebus ad vniuersas progrediendum. Etenim ambiguitas, quæ est in rebus vniuersis, minus cernitur, quàm quæ est in iis rebus quæ specie non distinguntur. Sicut autem in demonstrationibus conficiẽdis, necesse est vt insit in demonstratione necessaria concludendi ratio, ita in definitionibus imprimis videndum, vt apertè ac perspicuè res doceatur. Id quod cõsequemur, si non statim ad genus vniuersum definiendum aggrediamur, sed seorsum antè definiamus singulas res, quæ ad vnum quoddam genus pertinere videntur. Veluti non totum genus similium primò definire oportet: sed prius qui sint similes colores, & quæ sint figuræ similes, definiendum est: itémque quid sit acuta vox prius explicandum, tum ad definiendum genus vniuersum veniemus: sed ita semper, vt ne subsit ambiguitas, caueamus. Iam autem, si est inter disputandum vitiosum vti metaphoris, id profectò vitiosum etiam erit, in definiendo aut perpetuas adhibere metaphoras, aut verbo aliquo aliunde trastato vti. Nam si hîc sint metaphoræ, translationes vsurpare in differendo necesse erit. Cap. 15.

EST autem & alea diuisionum & partitionum, siue incisionũ vtilitas, ad causas multarũ quæstionũ intelligendas, si has in promptu habeamus. Est autem hæc tractandarum per diuisiones quæstionum ratio: primùm videndum Cap. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est quæ sint generis alicuius vniuersi, quod propositum sit, consequentia: atque esto illud, verbi causa animal. Spectandum igitur quæ sint, quæ omnibus animalibus conueniant: tum vbi ista absolueris, pergendum est ad partes, videdúmque est, vt quæque latissimè patet, proximéque ad generis communitatem accedit, quæ sint huius consequentia. Atque esto volucris: quæ igitur omni volucri insint, spectandum. Idémque in aliis deinceps partibus, vt quæque primo generi est proxima, faciendum. Perspicuum enim est, postquam ita singula fueris persecutus, facilè tibi esse, causam reddere, cur generis vniuersi consequentia singulis partibus conueniant. Veluti quamobrem homini, aut equo, conueniat animalis consequentia. Esto igitur animal A, animalis consequentia B, quædam autem ex animalibus singulis C D E, cur ergo omni D & aliis conueniat B, causa est A. Nec dissimilis est in aliis eiusdem generis ratio. Atque illa quidem ratio, quam modò subiecimus, ad ea pertinet, in quibus communi generi impositum nomen est, quo appelletur. Cæterùm non ad illa tantùm valet hæc ratio, sed etiam si aliud quippiam commune multis reperiatur. Nam hîc quoque primùm quæ sint illius communis generis consequentia, spectandum erit, deinde ad singulas partes, quæ huius sunt antecedentia, pergendum. Exempli causa omnibus cornua habentibus ista conueniunt, omasum habere, & in vtraque maxilla dentes non habere: sunt autem & animalium quædam species, quibus cornigerum esse est consequens: in quibus si quæratur quamobrem illa consequentia insint, in promptu causa erit, nempe quia cornuta sunt. Præter illos autem duos modos, est & alius modus, cau-

sæ ex partitionibus eruendæ, in iis quæ proportione quadam sola idem sunt: quod genus sunt, sepiumos, spina, quibus non est communis aliqua natura, quæ vna appellatione ipsa complectatur: sunt tamen horum quædam cõmunia consequentia, perinde ac si vna quadam natura continerentur. Quæstiones autem eædem aliæ dicũtur, eò quòd vnum quoddam medium habent, veluti omnes quæstiones, quarum causa est antiperistasis. Sed in iis quædam sunt, quæ cùm eædem genere sint, quibusdam tamen inter se distinguuntur differentiis, quæ partim ex subiectis diuersis, partim ex rationibus variis sumuntur. Verbi causa, tres hæ quæstiones, quam ob causam fit echo, cur in speculis rerum formæ apparent, quamobrem fit iris in cælo: tres inquam hæ quæstiones genere conueniunt, siquidem omnium causa est reflexio, sed specie inter se distinguuntur. Aliæ autem ex eo dicuntur eædem, quòd vnius medium, in medio alterius continetur. Vt hoc, quamobrem circa finem mensis, maior concitatiórque est Nilus? quia sunt extremo mense imbres frequentiores. Rursus cur obeunte mense, vis maior est imbrium? quia tum lumen lunæ magis ac magis minuitur. sunt igitur hæ duæ quæstiones, hoc modo quo diximus inter se affectæ.

D E causis autem & effectis ambiget hoc loco quispiam, nunquid possint vicissim adhiberi effecta ad causas concludendas, cùm semper sequatur, si effectus est, causam esse? nam si defluere arboribus folia, aut defectionem lunæ ponas, mox sequitur esse horum effectorum causam. Atque esto, verbi gratia, causa cur decidant frondes, lata habere folia: defectionis autem, terræ interpositus. Etenim si ex iis effectis non sequantur hæ causæ, necesse erit vt sint præterea aliæ eorum Cap. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

causæ siquidem simul cũ iis causis sint effectus: simul ac enim posuisti terræ interuentum, sequitur defectio, & posita arbore, cui sint lata folia, statim efficitur defrondescere posse. At verò si res ita habet, nobis igitur admittendum erit, vicissim ex aliis alia demonstrari posse: Sit enim defrondescere A, arbor latioribus constans foliis B, vitis C. Si ergo in omni B est A, quod est omnem arborem latioribus vestitam foliis, caduca habere folia: itémque in omni C dicatur B: omnis enim vitis latioribus tecta est foliis: ad extremũ igitur concludetur, omne C esse A, quod est omni viti frondes decidere. Atque in hac quidẽ ratiocinatione verbũ medium, B causa est. At contrà etiam concludere possumus vitem habere lata folia, per medium defrondescere. Esto arbor cui sunt ampliora folia D, defrondescere E, vitis F. Omni igitur F conuenit E, hoc est, omnis vitis defrondescit: in omni autem E dicitur D, id est, omne quod defrondescit, latiora habet folia, vnde efficitur omni viti latiora esse folia: sumptúmque est pro causa huius rei, defrondescere. Quòd si non possint ista vicissim sibi esse causæ, vt certè non possunt (semper enim prior causa est effectu) & vt deficiat luna, causa est terræ interpositus: nec contrà defectio lunæ, causa esse potest, vt inter solem & lunam terra interponatur erit igitur quæ ex causa cõstabit, accurata, & cur res sit demonstratio: quæ autem ex effectu ducetur, tantùm quòd res ita sit, confirmabit. Ex hoc enim effectu interponi quidem terram cognoscimus, sed quam ob causam interiiciatur, nescimus. Quòd autem defectio non sit causa cur interueniat terra, sed contra interiectus terræ ipsius defectionis, hinc perspicitur, quòd in definitione defectionis accipitur terræ interpositus: vnde planum sit, fieri manifestam defectionẽ per interuentũ terræ, nec contra huius naturam per illua explanari. Iam verò, quid vetat eiusdem effecti multas esse causas? Profectò si idem effectus multis primò attribui possit, id non videtur esse incommodum. Dicatur enim A in omni B primo, itémque in omni C primo etiam insit A: dicantur autem B & C, de D & E. Hic ergo cur A in omni D, & E insit, causæ sunt B & C, illud quidem B, cur ipsi D conueniat, hoc autem C cur in ipso E dicatur. Itaque posita causa efficitur necessariò vt res sit. At cùm res est, non sequitur vniuersam causam esse, tametsi pars aliqua causæ necessariò consequatur. An si genus vniuersum complectatur quæstio, semper ex vniuersa causa sequetur vniuersus effectus, & cõtrà? Exempli causa defrondescere, quanquam sit plantarum multis generibus commune, si singula velis persequi, tamen est certum quoddam vnum genus, in quo id primũ omnium cernitur, quod est vel planta, vel certi cuiusdam generis planta. Quare in iis etiam medium & effectum æqualia esse, atque adeò vicissim retro commeare necesse erit. Veluti si causa est cur decidant arboribus frondes, quoniam concrescat humor, necesse est vt si ponas defluere arboribus folia, statim humidi concretionẽ ponas: & cõtrà, si est humoris talis concretio, necesse est defrondescere arbores. Sequitur nunc alia quæstio, vtrum sit semper eiusdẽ effectus eadem causa, an alia atque alia esse possit? An, si ex iis ducta sit argumenti conclusio quæ propter se rei conueniunt, non autem ex signis aut accidentibus, fieri non poterit vt sit vnius rei plusquam vna causa? medium enim est alterius extremi definitio: sin secus res concludatur, fieri poterit. Ac possunt quidem maius extremum

Universidad de Deusto
Biblioteca

& minus per accidentia quædam tractari, sed tamen non erunt ad sciendum accommodatæ illæ quæstiones. At si accidentia omnia omittantur, erit semper eiusdem generis medium cum extremis: nempe si homonymia sint extrema, erit homonymum medium: si genere quodam vno contineantur, & medium simile erit. Exempli causa, qualia sunt huius quæstionis verba, quamobrem quibusdam ineſt proportio cõmutata, tale est medium: est enim alia in lineis causa, alia in numeris, & eadem tamen: nam hoc ipso quòd hæ lineæ sunt, illi numeri, est alia atque alia causa: qua ratione autẽ est certi cuiusdam generis accessio, eadem est in omnibus causis. Eadem ratio est in omnibus id genus. Item, cur similes sint inter se colores, & cur figuræ figuris similes, semper est alia atque alia causa: quia simile, verbum ambiguum est, cùm ad ista transfertur. Ac similes quidem figuræ hac ratione fortasse dicuntur, quòd certa quædam sit inter latera proportio, & pares sint anguli: colores autem quia vno sensu omnes percipiuntur, aut simile aliquid. Porrò autem in iis quæ proportione sunt eadem, medium etiam idem erit proportione. Propterea autem eiusdem semper generis est medium cum extremis, quoniam mutuò se cõsequuntur causa, effectus, & res cui per causam attribuitur effectus. Ac si quidem singulatim res subiectæ accipiantur, latius patebit effectum. Vt exteriores angulos pares esse quatuor rectis, latius patet quàm triangulum aut quadrangulum. At si genus vniuersum earum formarum spectes, quibus conuenit habere exteriores angulos pares quatuor rectis, cum eo reciprocabitur, eíque par erit. Nec dissimilis est in medio ratio. Medium autem maioris extremi definitio est: quocirca dicũtur

omnes scientiæ ex definitione oriri. Verbi gratia, defrondescere est quidem vitius consequens, sed multò latius patet: itémque ficus, sed longè ficum excedit. At si cum omnibus huius generis arboribus conferas, nõ latius patet, sed æquale est. Si igitur primùm mediũ ad probandum sumas, erit definitio huius verbi, defrondescere: ac primùm quidem adhibetur hoc medium ad concludẽdum vniuersum genus, deinde verò ad singulas partes accommodabitur: atque esto medium, quoniam contrahitur concrescítque succus, aut tale aliquid. Quòd verò aliud est defrondescere, quàm succum ea in parte contrahi, vbi foliorum pediculus cum extremis ramulis, qui quasi frondium semina sunt, cõiunctus est? Quòd siquis hanc causæ & effectus consecutionem velit sibi descriptionibus quibusdam & exemplis declarari, sic habeto. Dicatur A in omni B, insit autem B omni D, sed ita vt latius pateat. Erit igitur B, generale quoddam verbum, facta ad omnia quæ sub D continentur collatione. Nam illud generale appello quod non reciprocatur: vniuersale autẽ primum illud voco, quod cum singulis partibus comparatũ, non vicissim retro commeat, cum toto autem genere collatum, reciprocatur, nec latius patet. Ergo quòd in omnibus D dicatur A, causa est B. Quare latius patebit A, quàm B: nam si non ita sit, quæ causa est cur mutuò sibi causæ esse non possunt? Iam autẽ, si rursus omnibus E conueniat A, aliam quandã causam habebũt ipsa E, præter B. nam si secus res habet, cur verũ est, omni E ineſſe A, nec vicissim sit vt omne A sit E? quamobrem enim non erit causa cur omnibus E cõuenit A, sicuti aliqua est cur omnibus D insit? Habebunt igitur ipsa E, aliam quandam rationem in qua conuenient: sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

quænam illa sit considerandum: atque esto C. fieri igitur potest, vt eiusdem rei plures sint causæ: sed ita tamen, vt nunquam plures sint eius effecti, quod in rebus specie iisdem cernitur. Verbi gratia, vitæ in longum tempus protrahendæ, in quadrupedibus causa est, quòd felle careant: in volatilibus, quòd valde sicca sint, aut simile aliquid. Postrema quæstio est, quãdo non statim ad prima, medióque carentia, pronuntiata dissoluitur res proposita, sed multa media alia ex aliis, multáſque causas persequi oportet. Vtrum magis causa est, medium quod generale est, & ad genus vniuersum accommodatum, an quod ad res singulas, in quibus aliquid quæritur, magis accedit. Profectò non dubium est, quin illud medium magis causa sit, quod ad minus extremũ, in quo quæritur an aliquid insit proximè, accedit. Semper enim hæc prima causa est, cur sub vniuerso genere illud contineatur. Veluti vt omni D conueniat A, causa est C. Sic igitur persequi causas oportet, vt dicamus C causam esse, cur A conueniat D: tum cur C insit A, causam esse B: postremò cur ipsi B conueniat A, ipsum B sibi causam esse. Ac de ratiocinatione quidem & demonstratione, & quid sint & quomodo conficiendæ, hactenus dictum est, ex quo quid qualisque sit scientia demonstratiua intelligitur, vtpote quæ nil ab illis distinguatur.

Cap. 18. SVPEREST vt doceamus qua ratione principiorũ assequamur cognitionem, & quis ille sit habitus, per quem ipsa intelliguntur. Sed prius quàm hoc aggrediamur, quid vtranque in partem probabile sit, subiiciemus. Ac primùm, quod scire nemo possit per demonstrationẽ, quin antè cognita & percepta habeat prima, atque immediata principia, su-

prà ostendimus. Hìc igitur ambiget fortè quispiam, vtrum sit eadem principiorum quæ aliarum rerum cognitio, nécne: & vtrum harũ & illorum cognitio scientia appellanda sit, an verò harum quidem, scientia: illorum autem aliud quoddam cognitionis genus. Et vtrum nõ insit nobis iam inde ab ortu principiorũ habitus, sed vsu acquiratur: an verò nobiscum quidem nascatur, sed lateat tamen, nec se statim exerat. Ac nobis quidem ingenitum esse, nec intelligi, absurdũ est: alioqui fatendum erit, eum qui certius aliquid cognoscat, quàm si per demonstrationem sciret, in summa tamen ignoratione versari. At verò, si non est insita naturâ principiorum notitia, sed vsu & progressu temporis acquiritur, quonam pacto assequi ac discere ipsa principia poterimus, nulla antecedente cognitione? Nam illud fieri non posse, in explicanda demonstratione suprà diximus. Perspicuum igitur est, neque simul nobiscum nasci principiorum cognitionem: neque cùm antè planè omnium rerum imperiti essemus, nullúmque habitum qui ad ista cognoscenda pertineret, haberemus, postea vsu & temporis processu acquiri. Quapropter necesse est, vt ingenita quædam naturæ vis huius cognitionis nobis præbeat occasionem: quæ tamen facultas non tam accuratè ac subtiliter singula perspicere possit, quàm certa hæc, miniméque fallax poincipiorum cognitio. Atque hæc facultas in omnibus inesse animantibus videtur. Omnibus enim animalibus tribuit natura aliquam ad discernendas diiudicandáſque res facultatem, quam sensum appellant. Cúmque hoc ommia animalia conueniant, quòd sensum habeãt: in eo discrimen est inter ipsa, quòd ea quæ sensibus obiecta sunt, in quorundam animis impressa atque infixa manent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliis ſtatim excidunt. Quorum autem animis rerum obiectarum ſpecies non imprimitur, ea aut nullã planè, aut certè earum rerum quæ animo non retinentur, non habent cognitionem, niſi quo tempore ſentiũt. Quæ verò ſenſuum oblatas impulſiones retinent, ea poſtquam ſentire deſierunt, habent etiamnum infixam animo vnam quãdam rei ſpeciem. Cúmque huius generis multa ſint animantia, hîc rurſus eſt quædam inter illa differẽtia, eò quòd quædam ſunt quæ coniunctam habent cum illarum rerum memoria rationem. Alia ſunt, quæ huius planè ſunt expertia. Oritur ergo (vti diximus) ex ſenſu memoria: tum ex memoria aliquoties repetita, naſcitur experientia: nil enim eſt experientia vna, quàm multæ (vt ſic dicam) memoriæ. Poſtremò ex experiẽtia, quæ tum eſt, cùm eſt infixa animo de toto genere pronuntiatio, aut vnius cuiuſdam rei notio, quæ ſit ipſa quidem præter res ſingulas, ſed in illis tamen omnibus vna eadémque manens cohæreat: ex ipſa inquam experientia, proficiſcuntur omnis artis ac ſcientiæ principia. Artis quidem, ſi ad eas res pertineant quæ oriuntur & occidunt: ſcientiæ autem, ſi ad ea quæ eadem ſemper ſine vlla mutatione permanent. Neque igitur certi cuiuſdam generis habitus ſunt nobis natura inſiti, quibus principia intelligamus, neque ex aliis habitibus prioribus ac notioribus oriuntur, ſed ſenſibus modò tribuenda eſt huius cognitionis origo. Quemadmodum enim inclinata iam acie, fuſóque propemodum exercitu, ſi reſiſtere vnus incipiat, mox alius gradum ſiſtit, deinde alius atque alius, donec ad principium agminis id perueniat: ita (vt ſunt animi noſtri) ſimile aliquid in iis vſuuenire poteſt. Sed quod modò dictum eſt, nec ſatis apertè explicatum, nunc ab initio explanemus. Ac primùm, cùm ſe aliquod indiuiduum ſenſibus offert, tum primùm animo comprehenditur vniuerſum genus. Etenim ſingulare quidem eſt quod ſentitur, ſed ſenſus ipſe, intimáque cogitatio ad genus vniuerſum pertinet: veluti cùm hominem aliquem video, ſenſus ad hominem concipiẽdum, non ad Calliam hominem percipiendum pertinet. Tum verò animus aliquandiu in hac atque illa communi notione conquieſcit, ídque eò vſque perſequitur, dum ad ſimpliciſsimam aliquam, latiſsiméque patentem notionem perueniat. Veluti huius atque illius generis animãtia tantiſper conſiderat, dum ad communem animalis notionem perueniat: ac deinde pari ratione ex hoc genere ad alia progrediatur. Ex iis planum eſt, prima initia inductione fieri nobis manifeſta: quid enim aliud eſt profectà hoc modo à ſenſibus notitia, quàm inductio? Quoniam autem omnium qui ratione cernũtur habituum, quibus verum aliquid dicere poſſumus, alij ſunt in quibus perpetua ineſt veritas, alij in quibus vt falſum dicatur, interdum euenit. Huius generis ſunt, rerum agendarum & faciendarum ratio & opinio: Ex genere autem eorum quæ ſemper vera ſunt, eſt ſcientia & intelligentia. Et quia nil eſt certius accuratiúſque ſcientia, præter intelligẽtiam, ſempérque notiora ſunt principia demonſtratione, ſine qua nulla poteſt eſſe ſcientia: ex iis profectò neceſſariò efficitur, principiorum non eſſe ſcientiam. Atqui nil eſt certius accuratiúſque ſcientia præter intelligentiam. Itaque in cognoſcendis principiis, intelligentiam poſitam eſſe, perſpicuè hac ratione oſtenditur. Sed etiam hac ratione id confirmari poteſt. Principium demonſtrationis non eſt demonſtratio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque igitur principium scientiæ erit scientia. Quare si præter intelligentiam nil est, in quo sit perpetua veritas, perinde atque in scientia: erit profectò intelligentia, veluti quoddam principium omnis scientiæ. Atque ita id quod valde consentaneum est, fiet, vt principium scientiæ ipsis attribuatur principiis: scientia autem, simili modo, omnibus his rebus quæ ex principiis ortæ sunt.

F I N I S.

ARISTOTELIS
Topicorum, libri octo.

Ioachimo Perionio interprete, per Nicolaum Gruchium correcti & emendati.

PARISIIS,

Ex officina Gabriëlis Buon, in clauso Brunello, sub signo D. Claudij.

1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS TOPICORUM Liber primus.

Ioachimo Perionio interprete.

HOC nobis loco propositũ est, viã atque Cap. 1.
rationẽ inuenire, qua & de omni quæstione proposita, probabili argumẽtatione poterimus disserere: & nihil repugnans, si quid in disputationibus defendamus, afferemus. Ac primùm quidẽ quid sit ratiocinatio dicendum est, quæque eius genera: vt ratiocinatio dialectica, quoniam hoc sermone eam inuestigamus, quid sit intelligatur. Est igitur Ratiocinatio, oratio in qua quibusdam positis aliud quiddam, quàm quæ posita sunt, ex iis ipsis quæ posita sunt, efficitur necessariò. Demonstratio autem est, cùm ex veris & perspicuis conclusio est, aut certè eiusmodi, quæ à quibusdam perspicuis & veris causam cognitionis sumunt. Dialectica verò ratiocinatio est, quæ ex probabilibus concluditur. Vera quidem sunt & perspicua ea, quæ non ab aliis, sed à se ipsis fidem habent. Neque enim initiorum ac principiorum, quæ in singulis sunt scientiis, quærenda ratio est, eáque omnia per se ipsa perspicua esse debent. Probabilia autem sunt, quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, aut certè sapientibus: atque iis vel omnibus, vel plurimis, vel iis quorum spectata est & perspecta sapientia. Fallax autem & certandi studio comparata ratiocinatio est, quæ ex iis progreditur, quæ probabilia videtur, nec sunt: aut quæ ex probabilibus, vel quæ probabilia videntur, constans conclusio, necessaria esse videtur, nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

est. Non enim omne quod probabile videtur, etiam probabile est: quandoquidem nihil eorum quæ habẽtur probabilia, extrinsecus & quasi specie prima, tale existit omnino. Id quod initiis conclusionum fallacium solet contingere. Celeriter enim ac sæpe iis etiam qui parua cernere possunt, his rebus falsa natura se offert & ostendit. Prior igitur ratiocinationũ earum quas fallaces & studio certãdi comparatas esse diximus, etiam ratiocinatio vocetur. Altera fallax ratiocinatio, non omnino ratiocinatio dicatur, quoniã concludere videtur, neque concludit. Sunt etiam præter eas ratiocinationes, quas exposuimus, fallaces conclusiones, quæ ex propriis initiis nonnullarũ artium efficiuntur & constant: quod fit in geometria aliisque, quæ huic finitimæ sunt. Nam inter genus hoc & superiora aliquid interest: neque enim ex veris & primis, neque ex probabilibus progreditur is, qui falsa descriptione vtitur. Non enim in definitionem incurrit: quoniam nec sumit quæ probantur omnibus, nec quæ plurimis, nec quæ sapientibus, atque his, nec ea quæ omnibus, nec quæ pluribus, nec quæ probatis: sed ex propriis scientiæ sumptionibus non veris, quod vult, efficit. Nam quia semicirculos describit, non quemadmodum describendi sunt, aut lineas ducit, non quomodo sunt ducendæ, eò falsam cõclusionem efficit. Ac ratiocinationum quidem genera hæc sunt, quæ à nobis pingui quadã Minerua exposita sunt. Nam & de iis quæ iam diximus, & de iis de quibus deinceps dicturi sumus, hoc semel admonere volo, nil horum me velle subtiliter & accuratè docere, sed tantùm rudẽ veluti formam subijcere rerũ singularum. Ego enim ita sentio, ad hanc artẽ, quam hoc loco docere instituimus, satis esse rudem

quãdam ac simplicem rerum singularũ habere cognitionem.

Sequitur vt deinceps ad quot quásque res instituti nostri ratio cõducat, disseramus. Tria autem sunt, quorum primum exercitatio est, alterum cõgressus, tertium philosophiæ scientia. Atque ad exercitationem quidem magnũ eam adferre adiumentum, hic perspici licet, quòd si via & ratione instructi venienmus ad disputandum, facilius de re proposita disserere poterimus. Ad congressus autem & colloquia, quòd multorum enumeratis expensisque sententiis, non ex alienis & longè petitis, sed propriis aptisque locis sermonem depromemus, quem cum ipsis conferamus. Ita si quid minus præclarè nobis videbuntur dicere, id facile refellemus. Ad philosophiæ autem cognitionem, quòd facultate in vtranque partem de re quaque disputandi instructi, facilius in quaque re quid verum sit, quid falsum perspiciemus. Atque etiam ad prima initia omnium artium cognoscenda, in hac arte vis maxima est. Nam quoniam principiis quæ propria artis eius sunt, de qua agitur, adhibitis, de iis ipsis nihil dici potest nec concludi, (sunt enim primæ) certè iis quæ in quaque probabilia sunt, vtamur necesse est, si quid de his exponere velimus, quod dialecticæ proprium est vel maxime. Cùm enim hæc ratio sit quædam indagatrix, ad omnia omnium rerum quæ via & ratione progrediuntur principia, viam aperit. Sed hæc tum demum perfecta in nobis erit ratio, cùm id accidet nobis, quod iis qui arte rhetorica, medicina, cæteríque facultatibus sunt præditi, id est, cùm ex iis quæ commodè ad rem propositam adhiberi possunt, efficiemus quæ volumus. Neque enim vel orator omnibus modis persuadere solet, vel medicus curationem

Cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhibere: sed si nihil prætermittat eorum quæ adhibere possit, tum denique & peritum eum & artificem iudicamus.

Cap. 3. Primùm igitur ex quibus hæc constet ratio, videamus. Quod si exposuerimus, quot quibúsque de rebus omnis instituatur disputatio, ac ex quibus conficiatur, & quemadmodum ea omnia nobis suppetent, facilè quod volumus consequemur. Sunt autem numero paria, & ea ex quibus argumentationes constant, & ea in quibus ratiocinationes versantur: quippe cùm probationes ex propositionibus conficiantur: & ratiocinationes de quæstionibus sint. Omnis autem propositio, omníque quæstio aut genus declarat, aut proprium, aut accidens. Nam differentia, quia generale quippiam est, in eodem in quo genus, numero reponenda est. Quoniámque proprium aliud est, quod rei naturam explanat, aliud quod non explanat, diuisum sit proprium & distributum in partes has duas, appelleturq; vnum, id quod rei vim & naturam declarat, Definitio. Alterum communi nomine quod habuit, vocetur Proprium. Ex quo perspicuum est, quatuor omnia fieri vt diuisimus, vel proprium, vel definitionẽ, vel genus, vel accidens. Neque verò dictum velim hæc omnia per se aut propositionem efficere, aut quæstionem: sed hoc dico, ex his omnibus & quæstiones constare, & propositiones. Differt autem ratione quadam propositio à quæstione. Nam si quæratur hoc modo: An sit animal gradiens bipes, definitio hominis? aut, sitne animal æominis genus? propositio est. Sin hoc modo, sitne animal gradiens bipes, definitio hominis, nécne? quæstio est. quod idem in cæteris contingit. Pari igitur numero inter se respondent & propositiones & quæstiones: præsertim cùm ex omni

propositione, si rationem dicendi mutes, quæstionem facere possis.

Nunc dicendum est, quid sit definitio, quid genus, quid Cap. 4. proprium, quid accidens. Definitio est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid sit. Adhibetur autem aut oratio pro nomine, aut pro oratione oratio: possunt enim quædam quæ oratione exprimuntur, definitione aperiri. Qui autem quoquo modo nomen pro nomine reddunt, ij profectò rei definitionem non explicant: quandoquidem omnis definitio oratio est: attamen hoc referendum est ad definitionem, vt honestum est, quod decet. Itémque hoc, vtrum idem sit sensus & scientia, an aliud, definitioni attributum est: in definitionibus enim idémne sit an alterum, multus vsus est. Ad definitionémque pertinent ea omnia, quæ eadem via & ratione tractantur, qua definitio. Atque hæc omnia talia esse ex hoc intelligi potest. Quòd si possumus quid idem sit, quid aliud differre, magna nobis de definitionibus disputandi suppetet copia. Nam si non idem esse ostendemus, definitionem infirmabimus, quanquam non id retro commeat. Non enim satis est ad construendam definitionem, idem esse docere: ad euertendam autem satis est, non esse idem ostendere. Proprium autem est, quod quid sit res non explicat, in solóque inest, & vicissim de re dicitur, velut hominis proprium est natum esse ad percipiendam grammaticam. Si enim homo sit, vim habet ad percipiẽdam grammaticam: & si quid sit quod vim ad percipiẽdam grammaticam habeat, homo. Neque enim quisquam id proprium esse dicat, quod in aliam rem trãsferri potest, vt dormire hominis proprium nõ est, etiamsi ad quoddã tempus in solum hominem cadat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed si quid tale proprium dicatur, nõ omnino, sed ad quoddam tempus, aut ad aliquid collocatum proprium appellabitur. Nam à dextra esse, proprium est interdum: & bipedem esse, proprium est, quod cum aliquo confertur, vt hominis proprium est ad equum & canem. Atque nihil eorum quæ in alio etiam inesse possunt, vicissim dici hinc perspici licet, quòd non est necesse, si quid aliud dormiat, id esse hominem. Genus autem id est, quod de pluribus, specie autem differentibus, dicitur in quæstione qua quid sit res quæritur. In quæstione autem qua quid quicque sit quæritur, ea dicuntur omnia quæ accommodatè & aptè respondentur, cùm rogatur quid sit id de quo agitur. Vt si quis rogetur quid sit homo, aptè respondebit, animal. Generi etiam illud attributum est, sitne aliquid in eodem genere in quo aliud, an in alio: hoc enim eadem ratione tractatur qua genus. Nam si animal genus hominis esse demonstrauerimus, itémque bouis: certè ostenderimus quòd in eodem sunt genere. & si alterius esse genus docuerimus, alterius non esse, ea non ad idem genus docuerimus pertinere. Accidens est quod nihil horum est, nec genus, nec definitio, nec proprium, rei autem conuenit: & quod cadere potest in rem vnam aliquam, & in eandem non cadere: velut sedere & conuenire eidem, & non conuenire potest. Itémque id quod album est, quoniam nihil prohibet eundem aliàs album esse, aliàs non album. Harum autem accidentis definitionum verior est & aptior secunda. Siquidem priore proposita, si quis eam sit intellecturus, is antè quid definitio sit, quid genus, quid proprium, sciat necesse est: at posterior satis ipsa per se plena & perfecta est, vt quid sit accidens, per se intelligatur.

Accidenti attributæ sunt rerum omnium inter se comparationes, quæ ab accidente ducuntur, vt vtrum expetendum magis quod honestum est, an quod vtile? & vtra vita suauior, eáne quæ virtute, an quæ voluptate dirigitur? & si quid aliud eodem modo dicitur. In iis enim omnibus vtri id de quo agitur magis conueniat, quæritur. Ex quo perspicuum est, accidens ad quoddam tempus, & cum aliquo collatum, proprij nomen obtinere posse: veluti sedere, quod est accidẽs, si quis solus sedeat, tum ad tempus proprium erit: & si solus quis sedeat etiam erit, proprium ad eos qui non sedent. Ita nihil prohibet accidẽs ad quoddam tempus, & cum aliquo collatum, vim proprij ac nomen obtinere, cùm interim non sit futurum omnino proprium.

Illud autem ignorare non debemus, ea omnia quæ ad proprium, quæ ad genus, quæ ad accidens referuntur, attribui etiam definitionibus posse. Nam si demonstrauerimus non soli ei conuenire quod definitur, vt in proprio: aut non esse in definitione genus id quod datum est: aut non inesse aliquid eorum quæ in definitione continentur: quod etiam in accidente dici potest: certè definitionem euertimus. Ita iuxta illam, quam paulò antè posuimus, rationem, quodam modo sub definitionem cadent omnia. Nec verò ob eam causam in his omnibus via & ratio vna generalis quærenda est. Non enim hoc inuentu facile est: & si inuentum sit, tamen obscurum erit omnino, nec magnum adiumentum ad id quod quærimus, adferet: at si propria eorum sigillatim via tradatur, facilior ex iis quæ singulorum propria sunt, de re proposita erit explicatio. Itaque summa illa, idque rudi, vt paulò antè dixi, Minerua, facienda partitio est. Cap. 5.

Tum sua cuique assignanda sunt attributa, quæ tum generis, tum definitionis attributa dicentur. Ferè autem quæ exposita sunt, ea sunt quæ singulorum generum attributa sunt.

Cap. 6. *Primum autem omnium de eodem differendum est quot modis dicatur. Tripertito autem, vt rudius hanc rem subiiciam, distributum est. Aut enim numero, aut specie, aut genere idem soliti sumus dicere. Et numero quidem eadem sunt, quorum & nomina plura, & res vna est, vt vestimentum & vestis. Speciei autem eiusdem sunt ea quæ multa sunt, neque specie differunt: vt duo homines, vt duo equi. Ea enim eiusdem speciei dicuntur, quæ eidem speciei subiecta sunt. Itémque eiusdem generis sunt ea, quæ eidem generi subiiciuntur, vt homo & equus. Aqua autem quæ ab eodem fonte manat, eadem dici alio modo atque superiora videbitur, sed tamen in eodem genere numeranda est, in quo ea quæ vnius speciei quoquo modo habentur, præsertim cùm cognatione quadam & similitudine hæc inter se coniuncta sint omnia. Siquidem aquæ omnes, quòd similitudinem quandam inter se habeant, eiusdem speciei sunt: & aquæ ab eodem fonte fluentes, quæ eadem dicuntur, non alia ratione differunt ab aliis, nisi quòd excellentior sit & maior harum similitudo. Itaque non ab iis hoc genus seiungimus, quæ eadem quoquo modo specie continentur. Constat autem inter omnes, id quod est vnum numero, idem appellari verissimé. Idque solet in multas partes tribui: quarum prima est, & maximè propria ea, qua aliqua eodem nomine vel definitione dicuntur, vt vestimentum & tunica, vt animal gradiens bipes, & homo. Secun-*

do loco, cùm per proprietatem idem aliquid exprimitur, cuius generis est hoc totum, quod vim habet ad cognitionem percipiendam: vt homo, & quod sublime natura fertur, & ignis, eadem sunt proprietate. Tertio loco, cùm id ab accidentibus nascitur, vt quod sedet, quódque musica præditum est, idem est quod Socrates. Vnum enim numero hæc declarare omnia, ex iis qui nominum mutationem faciunt, intelligi potest. Sæpe enim si quem euocari iubemus nominatim, neque is intelligit cui iubemus, alio tum nomine vtimur, quasi facilius ex re aduentitia sit intellecturus, ideóque vel sedentem, vel disputantem ad nos accersiri iubemus. Ex quo perspicuum est, idem existimare nos accidente declarari, quod nomine. Idem igitur tribus modis, vt expositum est, dicitur.

Cap. 7. *Omnem autem disputationem de iis quæ suprà dicta sunt, haberi, ex hisque constare, primùm inductione perspici licet. Si quis enim vnamquanque propositionem & quæstionem perspiciat & consideret, is certè vel ex definitione, vel ex proprio, vel ex genere, vel ex accidente eam constare animaduertet: deinde id ratiocinatione hac concludi potest. Quicquid enim de aliquo dicitur, id necesse est reciprocari vel non reciprocari. Si reciprocatur, definitio erit vel proprium. Nam si naturā rei explicet, definitio: si non explicet, proprium erit: præsertim cùm proprium id esse definierimus, quod vicissim diceretur, neque rei vim naturámque explicaret. Sin minus ipsum & res reciprocentur, aut in iis est, quæ in definitione inclusa de subiecto dicuntur, aut non. Si in iis quæ in definitione comprehensa de subiecto dicuntur, aut genus, aut differentia sit necesse est: quan-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

doquidem è genere ac differentiis omnis definitio est. Si non est in iis quæ in definitione continentur, profectò accidens sit necesse est: siquidem accidens id esse definiuimus, quod nec definitio est, nec genus, nec proprium, rei autem accidit. Deinceps categoriæ exponendæ sunt, ad quas eæ quatuor rerum quas diximus distinctiones differentiæque referuntur. Sunt autem numero decem, substantia, quantitas, qualitas, ea quæ cum aliquo conferuntur, vbi, quando, situm esse, habere, facere, pati. Semper enim ad vnam harum decem, accidens, genus, proprium, & definitio pertinent: vt necesse sit omnes quæ ex his constabunt propositiones & quæstiones, aut substantiam, aut qualitatem, aut quantitatem, aut aliquam aliam categoriam indicare. Id autẽ quod significat quid alterum sit, interdum substantiam significare, interdum qualitatem, interdum aliam categoriam, ex hoc perspici potest, quòd cum proposito homine aliquis dicit, id quod propositum sit, esse hominem aut animal, is & quid est dicit, & substantiam explicat: cúmque proposito & constituto colore albo, dicit id de quo agitur, colorem album esse, naturam & substantiam declarat, explicátque qualitatem. Itémque si proposita magnitudine vnius cubiti, id confirmet, de quo agetur, magnitudinem esse vnius cubiti, substantiam dicit, & quantitatem indicat. Quod idem in cæteris contingit. Siue enim idem de se dicatur, siue genus de eodem, naturam substantiámque declarat. Sin de alio, non naturam iam, sed vel qualitatem, vel quantitatem, vel aliquam aliam categoriam indicat. Quare hæc tot sunt de quibus, & ex quibus omnis instituitur disputatio. Sequitur, vt quemadmodum propositiones eligamus, quibúsquerebus hæc nobis facultas suppeditabitur, doceamus.

Primùm igitur exponendum est, quid sit Propositio dialectica, quid Quæstio dialectica. Neque enim propositio quæstióque omnis dialectica putanda est, præsertim cùm nemo, qui quidem mentis suæ sit, accipiat vt aliquid probet, quod probetur nemini: neque pro quæstione ponat, quod perspicuum sit omnibus, aut plurimis: quandoquidem hæc nullam dubitationem habẽt, illa autem nemo vnquam admiserit. Est autem Propositio, interrogatio probabilis, quæ non sit contra opinionem vel omnium, vel complurium, vel sapientum: ac sapientium, aut omnium, aut permultorum, aut eorum, quorum maximè perspecta est & spectata sapientia. Nam id facilè admitti solet, quod sapientibus probatur, dummodo maximæ partis sententiis minimè repugnet. Pertinent etiam ad propositiones huius generis ea omnia, & quæ ad probabilium similitudinem accedunt, & disparata eorum quæ probabilibus aduersantur, omnésque sententiæ quæ iis artibus quæ inuentæ sunt, congruunt & consentiunt. Nam si hoc probabile est, eandem in contrariis autem versari: etiam illud, eidem sensui subiecta esse contraria, probabile videatur. Et si vnam numero grammaticam esse, tibiarum etiam artem vnam esse probabile erit: sin plures grammaticæ, plures etiam artes esse tibiarum. Hæc enim similia & cognata sunt omnia. Itémque disparata eorũ quæ probabilibus contraria sunt, probabilia videbuntur. Si enim hoc probabile sit, Afficiendos esse beneficiis amicos: illud etiam probabile erit, De amicis nõ esse malè merendum. Atqui contrarium est, malè merendum esse de ami-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cis: disparatum verò, non esse malè merendum. Similiter, si de amicis bene merendum sit, de hostibus non est bene merendum: quod est contradicens eius, quod probabili repugnabat. Contrarium enim est, Bene merendum esse de hostibus. Eadem est ratio cæterorum. Ex similitudine etiam probabile existet, contrarium de contrario. Si enim de amicis bene merendum est, de inimicis etiam malè: quorum illud, Bene de amicis merendum est, contrarium est huius, De inimicis malè merendum est. Vtrum autem id verè dicatur, nécne, deinceps cùm de contrariis disseremus, docebimus. Hoc autem perspicuum est, sententias omnes quæ artibus consentiunt, propositionibus iis quæ dialecticæ sint, attribui oportere. Illa enim quisque admittere solet, quæ probantur iis qui in quaque arte versati sunt: veluti in re medica, quæ medico: in re geometrica, quæ geometricæ. Quod de aliis iudicandum est eodem modo.

Cap. 9. Quæstio autem dialectica, est quæstio aut ad expetendum & fugiendum, aut ad veritatem cognitionémque pertinens, ídque vel per se, vel quia adiumentum afferat ad aliquid aliud, quod horum altero genere continetur: de qua aut neutram in partem, aut contrà plerique ac sapientes sentiunt, aut sapientes contrà ac plerique, aut vtrique ipsi secum discordant. Sunt enim quæstiones quædam ad persequendum quid & declinandum, cuius generis hæc est, Vtrum voluptas bonum est, nécne? Aliæ sunt solùm cognitionis & scientiæ: vt si quæratur, Sit, nécne sit mundus sempiternus? Quædam ipsæ per se ad neutrum horum valent: habent tamen suam quandam ad illa vtilitatem. Multa enim sunt, quæ per se ad cognoscendum nos non mouent

nisi aliorum causa, vt per ea alia discamus. Sunt etiam quæstiones, de quibus ratiocinationes contrariæ sunt. Vtrum enim sic, anne secus sit, quæstio est, propterea quòd in vtranque partem rationes probabiles suppetant. Sunt & de quibus, quia magna & ardua sunt, statuere nil possumus, rati difficilem esse causæ explicationem: quo ex genere hæc est, Vtrum mundus æternus est, nécne? id enim incidere potest in disputationem. Ac Propositio quidem & Quæstio exposita sunt. Propositum autem, sententia est admirabilis, contráque opinionem omnium, alicuius eorum, quorum in Philosophia illustris est & peruagata fama: velut non posse contradici, vt placet Antisthenì: vel, Moueri omnia, Heracliti sententia: vel vnum esse omnia, quemadmodum ait Melissus. Nam curare quæ quisque contra opinionem & sententiam omnium afferat, amentia est. Aut de iis certè rebus, quæ cùm sint contra opinionem, ratione tamen niti videntur, quale illud est, Non omne quod est, aut natum esse, aut sempiternum, vt sophistis placet. Eum enim qui musicus sit, esse grammaticum, neque factum est, neque sempiternum. Id enim & si nemini verum esse videatur, quia tamen probabili illa ratione nititur, alicui probabile videri poterit. Ac propositum quidem, etiam quæstio est, non omnis autem quæstio propositum: quandoquidem nonnullæ quæstiones sunt eiusmodi, de quibus neutram in partem sunt sententiæ. Propositum autem esse quæstionem hîc perspici potest, quòd si vera sunt quæ paulò antè dixi, necesse est aut multos de proposito à sapientibus, aut quoquo modo à seipsis vtrosque illos dissentire: quippe cùm propositum sit, sententia contra aliorum opinionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porrò autem omnes ferè dialecticæ quæstiones hodie Proposita vocantur, nil tamen referet quocunque nomine vtamur. Neque enim hæc ita distinximus, quasi sua nomina singulis rebus dare velimus, sed vt ne ignoraremus quæ sit eorum distinctio. Nec verò omne propositum omnémve quæstionem nobis ad disputandum proponere debemus, sed de qua quærat aliquis eorum, qui rationem desiderent, non pœna digni sint, aut sensu careant. Nam & qui quærūt, Sint, necne sint dij colendi, & amandi parentes, supplicio coërcendi sunt: & qui, sitne alba nix necne, sensu carent. Nec de iis etiam quæstionibus & propositis disputare debemus,

3 *quorum in promptu est & facilis explicatio, aut nimium*

4 *remota, & difficilis: quoniam illa nullam dubitationem afferant, hæc maiorem, quàm vt eam ferre possit exercendi consuetudo.*

Cap. 10. *His autem expositis, deinceps quot sint genera argumentationum dialecticarum, dicendum est. Est autem vna, quæ Inductio, altera, quæ Ratiocinatio nominatur. Ac ratiocinatio quid sit, iam diximus. Inductio autem est ex rebus singulis ad vniuersas progressio: vt, si gubernator is demum sit optimus, qui peritus & doctus, itémque auriga: in quaque etiam re qui sit peritus & exercitatus, omnino sit optimus & præstantissimus. Inductio quidem verisimilior apertióque est, sensuúmque iudicio familiarior & notior, ac sæpius in populi ore versatur. Ratiocinatio autem magis vrget, ad eósque qui contra dicunt, refellendos potentior est. Ac genera quidem in quibus versantur, & ex quibus constant argumentationes, ea sunt quæ diximus.*

Cap. 11. *Rationes autem quibus magnam ratiocinationum ar-*

gumentorúmque copiam parabimus, sunt quatuor: quarum vna est in propositionibus eligendis, altera in distinguendo quot modis quicque dicatur, tertia in differentiis inueniendis, quarta in similitudinis cognitione & scientia. Sunt autem quodammodo tria illa, propositiones. Licet enim ex vnoquoque eorum propositionem ducere, vt expetendum esse, vel quod honestum est, vel quod iucundum est, vel quod vtile. Et hoc inter sensum & scientiā interesse, quòd si scientia amissa sit, rursum comparari potest, sensus semel erutus & amissus non potest recipi. Et quam rationem habet id quod efficit bonam valetudinem, ad bonam valetudinē, eandem habere id quod firmam constitutionem facit, ad firmam constitutionem. Atqui prima propositio est ex iis quæ multis modis dicuntur, secunda è differentia, tertia ex similitudine. Propositiones igitur eligendæ sunt, quot modis propositione explicanda diximus, vt vel omnium sententias seligamus vel plurimorum, vel sapientum, atque eorum vel omnium, vel plurimorum, vel eorum in quibus valet opinio sapientiæ, vel etiam quæ contrariæ sint probabilibus, vel quæ sunt artium singularum propriæ sententiæ, sed contrariæ probabilibus ita sunt accipiendæ, quemadmodum suprà diximus, vt non ipsæ, sed contradicentes earum sumantur. Hoc etiam vtile, in iis eligendis non solùm probabiles sumere, sed eas etiam quæ ad earum similitudinem accedunt, simul proferre, vt eundem sensum in contrariis versari, quoniam etiam ars & scientia versatur. Itémque nos cernere aliqua re in aspectum intromissa & recepta, non inde eiecta & emissa, quoniam eodem modo audimus, gustamus, & olfacimus. Quod idem fit in

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæteris. Iam ea pro initio & positione assumenda sunt, quæ in omnibus, vel certè in plurimis rebus ita esse videntur. Talia enim facilè admittunt qui nihil habent in quo vera illa non esse ostendant. Seligendæ etiam ex his disputationibus propositiones quæ ab aliis scriptæ sunt, sed descriptiones ita faciendæ sunt, vt de quoque genere separatim perscribamus: veluti de bono aut de animantibus: ac de omni genere bonorum, initio facto à quæstione naturæ. Notandæ etiam sunt omnium sententiæ, vt placere Empedocli, quatuor esse corporum initia & elementa. Dictum enim clari hominis facilè admittitur. Propositiones autem & quæstiones (vt earum rudi Minerua numerum complectar) tribus ferè generibus continentur: partim enim ad vitam & mores, partim ad naturæ obscuritatem, partim ad differendi rationem pertinent. Ad vitam & mores, quales hæ sunt, Sitne parentibus potius parendum, an legibus, si discrepent? Ad differendi rationem, Vtrum eadem ars in contrariis versetur? Ad naturæ obscuritatem, vt, Sitne nudus sempiternus? Eadem est ratio quæstionum. Porrò autem quænam, & qualia sint tria illa genera, definitione explicare difficilè est: tamen diligentia nobis adhibenda est, vt inductione frequenti, ex similitudine exemplorum, qua de singulis generibus proposui, quid sit quodque, intelligamus. Ac instituto quidem philosophorum, ad veritatem: dialecticorum, ad opinionem & verisimilitudinem, hæc omnis de iis dirigi debet disputatio. Sumendæ sunt autem quàm maximè vniuersæ omnes propositiones, & vna in multas distribuenda est, vt eadem arte contraria contineri. deinde aduersa, tum ea quæ cum aliquo conferuntur. Eodémque modo hæ in partes diuiden-

dæ sunt, quoad diuidi possunt: vt, bonorum & malorum eandem esse artem, alborum & nigrorum, frigoris & caloris: itémque in cæteris faciendum est. Ac de propositione quidem satis multa dicta sunt.

In illo autem, quot modis quidque dicatur, non solùm videnda sunt quæ alio atque alio modò dicuntur, sed danda etiam opera est, vt rationes afferantur: veluti non solùm explicandum est, bonum alio modo dici iustitiam & fortitudinem, quàm id quod ad firmam affectionem corporis, & id quod ad bonam valetudinem efficiendam valet, sed etiam illa, hoc ipso quòd affectiones quædam sunt & qualitates: hæc, ob eam causam, quòd vim habeant efficiendi aliquid, non quòd ipsa sint qualitates. Quod in cæteris omnibus videndum erit diligenter. An autem specie multis modis, vel vno modo aliqua dicantur, ex his perspici potest. Primùm ex contrario considerandum est, an multis modis dicatur, siue specie, siue etiam nomine discrepet. Sunt enim quædam, quæ statim nominibus aliis atque aliis differant: vt ei quod acutum est in voce, contrarium est graue: in magnitudine, obtusum. Perspicuum est igitur id multis modis dici, quod acuto contrarium est. Quod si hoc, etiam quod acutum est: vtriusque enim ratione alterum erit contrarium: quoniam non idem acutum obtuso & graui contrarium futurum est: atqui vtrique acutum est cõtrarium. Rursum grauitati in voce contrarius est acutus sonus, in magnitudine leuitas, ita grauitas multis modis dicitur, quandoquidem etiam eius contrarium. Itémque quoniam pulchro in animali, turpe contrarium est, in domo autem, si quod illa peccatum habet: fit, vt pulchrum sit homony-

Cap. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum. In quibusdam cùm nomina non sunt varia, tamen aperta speciei distinctio est, vt in candido & fusco contingit. Vox enim & candida & fusca dicitur: itémque color candidus & fuscus. Non igitur nomine discrepant, cùm interim perspicua speciei aut generis declaretur differentia. Non enim eodem modo color fuscus, & vox fusca appellatur. Atque etiam ex sensu id perspici licet. Quæ enim eiusdem sunt generis, eidem sensui subiecta sunt: de eo autem quod in voce & in colore est candidum, non eodem sensu iudicamus: sed hoc aspectu, illud auribus. Itémque eius quod acutum est & obtusum in saporibus & magnitudinibus, non in eodem sensu iudicium est: sed huius in tactu, illius in gustu. Neque enim hæc nominibus discrepant, neque ipsa per se, neque contraria: quippe cùm obtusum in vtroque sit & contrarium. Præterea videndum est, vnine quid sit contrarium, alteri nihil sit omnino, vt voluptati quæ ex potione capitur, contrarius dolor est ii quem sitis affert: at huic (quæ ex cognoscendo & discendo capitur) diametron lateri incomparabilem esse, nihil contrarium est. Ita voluptas multis modis dicitur. Itémque φιλεῖν vt animi est, contrarium habet odisse: φιλεῖν autem vt ad actionem corporis refertur, nihil habet contrarium: ob eam causam φιλεῖν multis modis dicitur. Hoc etiam considerandum est in iis inter quæ media interiecta sunt, vtrum aliquorum sit medium, aliorum nihil sit: aut sit ne vtriusque, nec tamen idem medium, vt inter candidũ & fuscum colorem, pallidus est interiectus: inter vocem candidam & fuscã, nihil. Nisi fortè rauis interiecta est: placet enim quibusdã, raucam vocem esse interiectã. Sunt itaque candidum

& fuscum multiplicia. Præterea hoc etiam videndum est, sintne aliquorum plura media, aliorũ vnum: vt inter candidum & fuscum colorem plura sunt interiecta. Coloribus enim multa sunt interiecta, voci vnum, raucedo.

In disparatis etiam videndum est, dicantúrne multis modis. Si enim vnius multi sunt modi, etiã contrarij multi modi erunt: vt si nõ cernere multis modis dicatur, vno, priuatum esse oculis, altero non fungi oculorum officio: cernere etiam multis modis dicatur necesse est. Vtrique enim significationi verbi non cernere, aliquid opponitur: vt non habere aspectum, & habere: & non fungi officio oculorum, ac fungi. In iis autem contrariis quæ priuantia dicuntur, idem hoc spectandum est. Nam si vnum multis modis dicatur, etiam alterum: vt si sentire multis modis dicatur, quia modo ad animum, modo ad corpus pertineat, etiam multis modis dicetur carere sensu, cùm modò ad animũ, modò ad corpus transferatur. Ea autem priuantia esse hinc intelligi licet, quòd animatnia nata sunt ad sentiendum animo & corpore. Iam verò in coniugatis hæc spectanda sunt. Si iustè multis modis dicatur, eius etiam quod iustum est, multa erunt genera. Ex vtroque enim eorum quæ iustè fiunt, genere, quod iustum est nominatur. vt si iustè appelletur modo ex sua sententia iudicare, modò rectè: eodem modo etiam quod iustum est appellabitur. Similitérque si quod ad valetndinem pertinet, multis modis dicatur, etiam accõmodatè ad valetudinem multis modis dicetur. Vt quoniam quod ad valetudinem valet, dicitur, & quod efficiens est valetudinis, & quod conseruans est, & quod indicans: sic accommodatè ad valetudinem, vel efficiendam, vel tuendam, vel Cap. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

indicandam. Itémque in cæteris, si alicuius multa sint genera, casuum etiam multa erunt: & si casuum multa, etiam illius. Atque etiam videndum est, sintne genera categoriarũ quæ nomini congruunt, eadem in omnibus quibus ipsum attribuitur. Si enim non eadem sunt, certè id de quo agitur, ambiguum est, bonum in cibo id est, quod est efficiens voluptatis: in medicina, quod efficiens est valetudinis: in animo quale sit aliquid significat, vt temperatum esse, vel fortem, vel iustum. Quod idem in homine contingit. Hoc etiam aliquoties in categoria Quando reperitur, vt quod in tempore fit, bonum. Bonum enim dicitur, quod opportunè fit & in tempore. Hoc etiam ad catrgoriam Quantitatis interdum pertinet, vt quod fit modice: bona enim est mediocritas. Quapropter bonum multis modis dicitur. Itémque candor in corpore, color appellatur: in voce quod facilè & statim percipitur. Eodémque modo id quod acutum est: neque enim similiter in omnibus idem dicitur: vt vox acuta est ea quæ cita, vt placet iis qui modos & concentus in numeris consectantur: angulus autem acutus is est, qui minor est recto, & machæra, cuius est acutus angulus. Videndum est etiam, sintne genera quæ eidem nomini conueniunt diuersa, atque ita diuersa, vt vnũ ab altero non contineatur, vt grus cùm auẽ & machinam significat. Eorũ enim varia est nominis definitio & ratio. Nam illud species quædam auis est, hoc autem machinæ. Sin vnum genus ab alio contineatur, non necesse est varias esse rationes, vt corui & animal genus est, & auis. Cùm igitur coruum auẽ esse dicimus, animal quoddam eum esse dicimus. Ita de eo vtrunque genus dicitur. Itémque cùm coruum animal pennigerũ bipes nun-

cupamus, auem eũ esse declaramus. Ita vtrunque genus in coruo, eorúmque ratio intelligetur. In iis autem generibus, quorum vnum non ab altero continetur, hoc non contingit. Neque enim cùm machinã dicimus, auem dicimus, neque machinam, cùm auem. Nec verò in eo solùm de quo agitur spectare debemus, an sint varia genera, quorum neutrum alterum continebit: sed ex contrario etiam id perspici debet. Nam si contrarium multis modis dicatur, profectò id etiam quod propositum est, dicatur multis modis necesse est. Vtile est etiam definitionem verbi coniuncti diligenter ponderare & exquirere: vt candidi corporis, & candidæ vocis. Sublato enim eo quod proprium est, eadem relinqui debet definitio. quod in homonymis non contingit: veluti in iis ipsis quæ à nobis modò prolata sunt. Superioris enim hæc erit definitio, Corpus candidum, corpus est quod tali est colore affectum. Posterioris hæc, Vox candida, est vox quæ facilè intelligitur. Sublato igitur corpore & voce, non idem in vtroque relinquitur. Atqui deberet, siquidem synonymum erat candidum, quod in vtroque idem esse dicebatur. Et quo- 13
niam sæpe in definitionibus homonymum quod consequens est, ignoratur, propterea spectanda etiam definitio est: vt si quis efficientia valetudinis & indicantia, esse dicat ea, quæ certo quodam modo ad valetudinem affecta sunt, non erit propterea desistendum: sed exquirendum quid in vtrisque certus ille modus quem dixit, significet, verbi gratia dicantúrne efficientia certo quodam modo valetudinem respicere, quia vis eorum tanta sit, vt efficere valetudinem possint, indicantia autem, quia talia sint, vt qualis sit valetudo, indicare possint. Præterea illud etiam considerandum 14

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, possintne conferri ex maiore, vel ex similitudine: vt vox candida, & candida vestis: acutus sapor, & vox acuta. Hæc enim ne eodem modo alba & acuta dicuntur, nec alterũ altero magis tale. Ex quo fit, vt id quod acutum est, & quod candidum, sint homonyma, quippe cùm synonyma omnia valeant ad comparationem. Nam aut similia dicentur, aut aliud alio maius. Quoniam autem diuersorum generum, quorum neutrum ab altero continetur, diuersæ specie differentiæ sunt (vt animalis & scientiæ sunt diuersæ differentiæ) videndum est, an ea quæ eidem nomini subiecta sunt, differentiæ sint diuersorum generum, quorum vnum ab altero non contineatur: vt quod acutum est, vocis & magnitudinis. Vox enim à voce differt, quòd acuta sit: item magnitudo à magnitudine. Ita fit, vt acuti vocabulum sit in homonymis. Diuersorum enim generum, quorum vnum ab altero non continetur, diuersæ sunt differentiæ. Iam illud etiam spectare debemus, eorúmne quæ eidem nomini subiecta sunt, diuersæ sint differentiæ: vt coloris eius qui in corpore inest, & eius qui in figuris rhetoricis, variæ sunt differentiæ: illius quod valet ad separandum aspectum, & quod ad comparandum: huius non eædem sunt. Quo fit, vt color variis modis dicatur. Earundem enim rerum eædē sunt differentiæ. Postremò quoniam species nullius differentia est (homo enim & bos non in numero differentiarum habentur, cùm speciei nomen vimque obtineant) videndum est diligenter, eorúmne quæ eidem nomini subiecta sunt, vnum in specie, alterum in differentia numeretur: veluti candor qui accidit corpori, coloris est species: qui autem in voce spectatur, differentia. Differt enim vox à voce, quòd

sit candida. Ac in iis quæ multis modis dicuntur, hæc considerandæ sunt omnia.

Differentias autem in iis primùm quæ ad vnum genus referuntur, perspicere & indicare debemus, veluti quid inter iustitiam & fortitudinem intersit, & inter prudentiam ac temperantiam: quoniam hæc ex eodem genere virtutis nata sunt omnia. Præterea in iis quæ diuersis generibus continentur, sed ita, vt inter illa differentias inuestigemus, inter quæ non videtur magna distantia: vt quid sensus à scientia differat. In iis enim quæ multum inter se discrepant, facilè apparent eorum distinctiones & dissimilitudines. Similitudo verò in iis sic spectanda est, quæ in diuersis generibus collocantur: vt alterum ad alterum est, sic aliud ad aliud, hoc modo. Quam rationem habet scientia ad id quod scientiæ subiectum est, eandem sensus habet ad id quod sub sensum cadit. Itémque, vt alterum in altero est, sic aliud in alio, hoc modo. Quemadmodum aspectus in oculo est, sic mens in animo: & sicut in mari tranquillitas, ita serenitas est in aëre: quoniam vtrunque est quies vacuitásque ventorum. In iis autem rebus, quarum magnæ sunt dissimilitudines & distinctiones, vsus & exercitatio capienda est maximè. Sic enim facilius quæ aliarum sint similitudines, perspicere poterimus. Atque etiam illud spectandum est, in eáne quæ ad idem genus pertinent aliquid idem conueniat: vt in hominem, equum, & canem. Si enim vnum & idem in eos cadat, hoc ipso erunt similes. Meditatum autem & in promptu habere, quot quicque modis dicatur, magnum ad perspicuitatem affert adiumentum. Facilius enim quid sit id de quo agitur, si explanatum sit, quot

modis dicatur intelligetur. In eo etiam magna vis est, vt de re ipsa, non de nomine tractetur argumentatio. Nam si incertum sit, quot modis id de quo agitur dicatur, fieri poterit, vt & is qui respondet, & is qui interrogat, non eodem animi sensum referat & intelligentiam, At si explicata sit ambiguitas, & is qui rem proponit ad disputandum, suum animi sensum de re ipsa exprimat, profectò ridiculus sit is qui rogat, nisi eodem omnem conferat conuertátque orationem. Magnam etiam vim habet, & vt ne fallaci conclusione ab alius capiamur, & vt alios captioso conclusionis genere fallamus. Si enim quot modis dicatur id de quo agitur, sciamus, non decipiemur: intelligemúsque ísne qui rogat, ad eandem intelligentiam omnem conferat orationem, an non: & nos, si quando nobis obijciendum est, eum qui respondeat, si ignoret quot modis id de quo agitur dicatur, fallaci conclusione poterimus decipere. Sed huius rei non semper est locus: sed cùm eorum quæ ambiguè dicuntur, alia vera, alia falsa sunt. Nec verò hic locus aptus est, & proprius dialecticæ. Itaque iis omnibus qui ratione & verè disserere volunt, hoc omnino fugiendum est, ne eorum in nomine versetur disputatio & controuersia, nisi fortè aliquis non possit aliter de re proposita disputare.

Cap. 15. Differentiarum autem inuentio & ad ratiocinationes conficiendas de eodem & alio vtilis est, & ad cognoscendum quid quicque sit. Conferre quidem ad ratiocinationes de eodem & alio, hinc perspici potest, quòd si rerum propositarum dissimilitudines distinctionésque inuenerimus, facilè non esse idem docebimus: ad perspicien-

dum autem quid quicque sit, quod eam orationem quæ vim & naturam cuiusque rei exprimat, ex propriis cuiusque rei differentiis intelligere solemus. Similium verò cognitio hanc nobis commoditatem afferet, vt argumentationes & per inductionem & per ratiocinationes quæ ex fictione dicuntur, tractemus: & definiendo vim naturámque rerum explicemus. Argumentationes quidem per inductionem tractabimus, quia rerum singularum quæ similes sunt inductione, res vniuersas concludi existimamus. Neque enim facilè inducere possunt ij, qui ignorant rerum inter se similitudines. Ad eas autem ratiocinationes quæ ex fictione tractantur, quod probabile est, vt res habet in vno eorum quæ similia sunt, sic in reliquis habere. Ita de vno aliquo, cùm disserere poterimus, illud antè ex conuentione ab aduersario accipiemus, quemadmodum in eo res se habet, ita in eo quod propositum sit habere. Cùm autem illud docuerimus, etiam id de quo quæritur, quasi ex illa fictione, docuerimus. Nam cùm id positum sit, quemadmodum in hoc sit, ita esse in eo de quo quæritur, necessaria conclusione confecta res à nobis fuit. Definiendi autem artem tenebimus: quòd si posiimus quid in quaque re idem sit, perspicere, non ignorabimus ad quod genus rem, quam definire volumus, referre debeamus. Genus enim id est semper, quod ex iis quæ communia sunt, maximè indicat quid quicque sit. Atque etiam in iis quæ multum discrepant, ad definitionem vtilis similitudinis cognitio est. vt idem esse tranquillitatem in mari, & in aëre serenitatem, quoniam vtrunque est quies, & quod punctum in linea, id vnum in numero: quia vtrunque principium est. Quapropter si pro genere

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud accipiamus, quod illis est hoc modo commune, non videbimur alienis verbis definiendo rem explicasse. Quinetiam ij qui definiunt, ferè eundem modum in definiendo seruare solent. Nam & vnum, principium numeri & punctum, lineæ principium esse definiunt. Ex quo perspicuum est, eos commune vtriusque genus dicere. Ac rationes quidem & quasi instrumenta, quibus ratiocinationes tractabuntur, diximus. Locos autem, ad quorum vsum hæc ipsa accommodata sunt, deinceps trademus.

ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER II.

Cap. 1.

QVAESTIONES autem partim vniuersæ sunt, partim singulæ: vniuersæ sunt hæ, Omnis voluptas in bonis est, Nulla voluptas in bonis est. Singulæ hæ, Est quædã voluptas in bonis, Quædã voluptas nõ est in bonis. Vtriusque autem genus quæstionũ, vniuersis rationibus quæ & ad confirmandũ & infirmandũ valet, cõtinetur. Si enim docuerimus aliquid in totũ genus cadere, etiã in partem aliquã cadere ostenderimus. Itemq; si in nullã rem cadere ostendemus, non in totũ genus docebimus conuenire. Primùm igitur de locis qui ad refellendũ totum genus pertinent, dicendum est, quòd simul ad generales, & eas quæ tanquam partes subiectæ sunt generi quæstiones, valent, & quòd quæstiones sæpius afferri soleant ad disputandum quæ aiunt, quàm quæ negant: iis autem qui contra disputãt, refutationis locis vtendum. Sed

difficillimè ab accidente, quasi commutata dicendi ratione appellationem propriam desumimus. Aliqua enim ex parte, non omnino inesse in solis accidentibus reperitur. Nam & à proprio, & à definitione, & à genere commutato sermone appellationem accipi necesse est: vt si cui insitum sit, vt sit animal gradiens bipes, vicissim id animal gradiens bipes esse verè dicetur. Similis est generis ratio. Si cui enim conuenit esse animal, id animal est. Quod idem contingit in proprio. Si cui enim id tributũ sit, vt aptum animũ habeat ad percipiendam grammaticam, id grammaticæ capax rectè appellabitur. Nihil enim horum potest aliqua ex parte conuenire aut non conuenire, sed omnino vel conueniunt, vel non conueniunt. At accidens, vt candorem & iustitiam, nihil prohibet quadam ex parte inesse. Quocirca non satis est candorem & iustitiam docere inesse, si docere velimus aliquem album esse vel iustum. Habet enim dubitationem, propterea quòd quadam ex parte albus est, vel iustus. Non igitur in accidentibus vicissim hæc retro commeant necessariò. In quæstiones autem duo peccata incidunt, quæ exponenda sunt: peccatur enim aut mentiendo, aut discedendo à verbis quæ imposita sunt rebus. Nam & ab iis peccatur, qui quod non cadit in aliquem, cadere confirmant, & ab iis qui res minus vsitatis & tritis nominibus appellant: vt qui hominem platanum appellant, nominum impositorum fines transeunt. Primum videndum est, an id quod alio modo dicitur, pro accidente explicarit: quod peccatum in genere versatur maximè: vt si quis candori accidere dixerit vt sit color. Non enim accidit candori vt sit color, cùm eius sit genus color. Atque id quidem fieri potest, vt nominatim quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

genus eſt, accidens eſſe ponat: veluti ſi dicat accidere iuſtitiæ, vt ſit virtus. Sæpiſſimè autem etiam ſi non exprimat, tamen facilè intelligitur genus pro accidente dictum eſſe: vt ſi quis candorem colore perfuſum eſſe dixerit, aut inceſſum moueri. Nullo enim ex genere παρωνύμως trahitur de ſpecie dicendi ratio, omniáque genera συνωνύμως de formis dicuntur. Species enim & nomen generis ſibi vendicant, & definitionem. Qui igitur candorem colore tinctum dixit, nec pro genere vſus eſt colore, quia παρωνύμως dixit: neque pro proprio aut definitione, qua proprium & definitio ad nullam rem aliam transferri poſſunt. At colore perfuſa ſunt etiam alia permulta: vt lignum, lapis, homo, equus. Ex quo perſpicuum eſt, id expreſſum eſſe, tanquam accidens eſſet. Alius locus eſt, vt ſingula perſequendo videas, ídne quod dictum eſt, in totum genus cadat, an in partem nullam. Quod in formis, non in infinitis videndum eſt. Sic enim via & ratio erit certior, in paucioribúſque conſiſtet tractatio. Initium autem à primis faciendum eſt, deinde vſque ad individua progrediendum deinceps, vt ſi in contrariis verſari ſcientiam dixerit, videndum, an in iis quæ cum aliquo conferuntur, & in iis quæ aduerſa appellantur, & in priuantibus & in negantibus, eadem ſpectetur ſcientia. Quòd ſi ne tum quidem id perſpici poterit, rurſum hæc in partes vſque ad individua tribuenda ſunt, vt in iuſtiſne & iniuſtis rebus, aut in duplo & ſimplo, aut in cæcitate & aſpectu, aut in eo quod eſt, & in eo quod non eſt. Si enim in eorum aliquo oſtenſum ſit, non eſſe eandem, ſublata & informata erit à nobis quæſtio. Quod idem iudicandum eſt, ſi vniuerſe negaret quæſtio propoſita. Hic autem locus & ad con-

firmandum & ad infirmandũ valet. Si enim diuiſione facta, vel in omnibus intelligatur, vel in pleriſque, poſcendum eſt, vt aut vniuerſum detur, aut certè occurratur nobis, non ita in quodam reperiri. Nam ſi neutrum horum faciat, ineptus videbitur qui non concedat. Alius locus ducitur ex 3
definitione accidentis & rei cui id accidit, vel vtriuſque vel alterius. In quo id conſiderandum eſt, num quid in definitionibus non verum pro vero ſumptum ſit. veluti ſi quæratur, Deúſne iniuriam faciat, conſtituendum eſt, quid ſit iniuriam facere. Nam ſi ſit, ſponte nocere, profectò Deus non facit iniuriam, quoniam Deus nocere nõ poteſt. Si etiam ponatur inuidus ſapiens, ſtatuendum eſt, quis ſit inuidus, & quid inuidia. Cùm enim inuidia, ægritudo ſit ex rebus ſecundis alicuius boni viri, certè ſapiens nõ inuidet: eſſet enim improbus. Itémque ſi ponatur, An qui indignatur, inuidus ſit, definiendo aperiendum eſt, qui ſit vterque. Sic enim verúmne ſit an falſum quod dictum eſt, intelligetur: veluti, ſi is inuidere dicitur, qui bonorum dolet rebus ſecundis: & indignari is, qui dolet improborum ſecũdis rebus. perſpicuum eſt non inuidere eum qui indignetur. In quo ſæpe etiam adhibendæ ſunt definitiones pro iis nominibus, quæ in definitionibus continentur, nec ab hoc deſiſtendum, quoad res intelligatur. ſæpe enim tradita tota definitione, non intelligimus quod quæritur: at definitione adhibita pro aliquo nomine eorũ quæ in definitione ſita ſunt, intelligimus. Præterea poſtquã ex quæſtione tibi propoſitionem feceris, quærendũ eſt, ſitne quicquã quod opponere cõtra poſſis: nam ſi quid inueneris quod cõtra propoſitionem opponas, id erit aduerſus quæſtionẽ argumentum. Quanquã autẽ hic ferè locus idem

valet quod is quem iam exposuimus, videndum esse, vtrum in toto genere, an in nullo reperietur, quod pro accidente dictum esset: tamen modo quodam & ratione differunt. Iam verò exponendum est, quæ appellanda sint, vt plerique solent, quæque non sint appellanda: qui locus & ad confirmandum & refutandum valet plurimum, vt res nominibus iis quæ trita sunt vulgo & vsitata, appellandas esse: at verò in constituendo, quæ res tales, vel non tales sint, non audiendam esse multitudinem: veluti salubria ea quæ valetudinis efficientia sint, vocanda sunt illa quidem vulgi opinione: sed vtrum id de quo agitur, efficiens sit nécne valetudinis, de eo non iam vulgi, sed medicorum iudicium expectare debemus. Præterea si multis modis quid dicatur, propositum autem sit conuenire illud alicui, vel non conuenire, ad alterum significatum multiplicis conferendum est argumentum, si ad vtrunque non possit. Hoc autem faciendum est in iis quorum latet ambiguitas. Nam si incertum non sit quot modis dicatur, occurret statim, nõ esse id explicatum, quod quæreret ac dubitaret, sed alterũ. Hic autem locus & ad probandum & ad reprehẽdendum valet. Nam si confirmare volemus, alterum accidere docebimus, si vtrunque non poterimus. Refellentes autem, si vtrunque non posimus, alterum certè non dici & reperiri in re de qua agitur, ostendemus. Sed hoc interest, quòd is qui reprehendit & refutat, nihil debet ex iis quæ concessa sunt, & ex conuentione accepta, disputare, nec si in toto genere, nec si in nulla parte positum sit quid reperiri. Nam si cuius non accidere docebimus, in toto genere reperiri aliquid reprehendemus. Itémque si in vno aliquo reperiri demonstrabimus,

nulla ex parte reperiri confutabimus. At is qui probat, antè debet ita quasi conuentione vti, si in parte aliqua intelligatur, in toto etiam genere intelligi, si modò pronunciatum verisimile debeatur. Neque enim satis est, ad probandum aliquid in totum genus cadere, in aliquam partem cadere, docere: veluti, si hominis animus immortalis sit, omnem etiam animum esse immortalem. Quapropter antè conuenire oportet, si quæuis anima sit immortalis, omnem etiam immortalem esse. Quanquam hoc non semper obseruandum est, sed tum denique, cùm de toto genere communem & vniuersam rationẽ non habebimus talem, qualis est ea, qua geometra demonstrat, triangulum tres angulos habere duobus rectis pares. Quòd si non ignoret verbi ambiguitatem is qui ponit quæstionem, cùm explicatum erit quot eius sint genera & modi, tum id & confirmandum erit, & refellendum, vt si id quod decet, vtile significat & honestum, omnem diligentiam adhibere oportebit, vt vtrunque probemus vel refutemus in eo de quo agatur, vt esse honestum & vtile, aut neque honestum neque vtile. Sin vtrunque non potest, alterum docẽdum erit, ita tamen vt præmoneamus esse quidem vnum verum, sed alterum non esse verum. Eadem ratio est, si plures sint partes, in quas id quod propositum sit, tribuatur. Præterea exponenda ea sunt, quæ non homonyma multis modis dicuntur, sed alio modo, vt artem vnam esse multarum rerum, aut quia & ipsius finis sit, & earum rerum quæ ipsæ ad finem pertinent atque referuntur: veluti, medicina est valetudinis & rationis victus: aut quia est rerum duarum, quarum vtraque finis est, veluti rerum contrariarum eandem esse artẽ. neque enim ex eo, quia alterum

Universidad de Deusto
Biblioteca

alterius dicitur, ſinem eſſe finis intelligere oportet, aut quia vnius eſt per ſe & vi ſua, alterius temerè & caſu: vt per ſe quidem triangulum ſcimus habere tres angulos pares duobus rectis, temerè & caſu, id quod latera habet æqualia. Nam quia accidit triangulo, qui conſtat lateribus æqualibus, triangulum eſſe, ob id intelligimus quòd duobus rectis pares habet tres angulos interiores. Si igitur eadem ars eſſe multarum rerum nullo horum modorum poteſt, certè omnino eſſe non poteſt: aut ſi quodammodo poteſt, perſpicuum eſt id fieri poſſe. In quo ad vtilitatem cauſæ noſtræ referenda eſt diuiſio, vt ſi confirmare quid velimus, ea proferenda ſunt omnia, in quibus id verum eſt quod volumus oſtendere, eáque tribuenda ſunt in eas ſolùm partes, quæ ad probandum valebunt. Sin autem refellamus, in ea quæ ad refutationem valent, cætera verò omittenda erunt. Sed hoc tum erit faciendum, cùm incertum erit quot modis quicque dicatur. Atque hoc in illo verſari, aut non verſari, iiſdem locis confirmandum erit: vt artem hanc in hac re cerni, aut tanquam in fine, aut tanquam in iis quæ ad finem referuntur, aut in iis quæ fortè temerè accidunt, aut contrà non cerni aliquid vno modo eorum, quos modò diximus. Eadem etiam ratio eſt cupiditatis, eorúmque omnium quæ ſunt multarum rerum. Eſt enim cupiditas huius aut illius rei, vel quaſi finis, vt valetudinis: vel vt eorum quæ ad finem pertinent, veluti remedij: vel quaſi fortè temerè eueniat, quomodo affectus eſt qui dulci vino delectatur, non quia vinum ſit, ſed quia dulce. Dulcedinem enim per ſe expetit, vinum temerè & caſu: quandoquidem ſi coaceſcat, non id iam appetit. Ita fit, vt vinum forte temerè appetat. Huius autem loci vſus eſt pluri-

mus in iis quæ cum aliquo conferuntur, quoniam huiuſmodi omnia ferè ſunt, quæ eius generis ſunt. Præterea commutandum eſt verbum in id, quod magis dilucidum eſſe videatur, vt pro eo quod accuratum & exquiſitum eſt in opinione, apertum & perſpicuum dicendum eſt, & pro nimia cura rerum agendarum, ſtudium rerum agendarũ. Si enim apertius & planius fiat quod dictum eſt, tum denique propoſitum facilius argumento tractari poterit. Valet autem hic locus & ad confirmandum quid, & ad refellendum. Vt autem contraria in eadem re cerni doceamus, genus ſpectare debemus: veluti, ſi volumus confirmare in ſenſu verſari integritatem & deprauationem: ſi ſentire iudicare eſt, & iudicare licet rectè & non rectè: certe in ſenſu integritas & prauitas verſetur neceſſe eſt. qui locus ex genere ducitur. Iudicare enim genus eſt ſentiendi, quoniam qui ſentit, quodammodo iudicat. Ex forma etiam generis duci poteſt. quæ enim ſpeciei accidunt, eadem eſſe in genere intelliguntur omnia: vt, ſi ſcientia ſit bona & mala, recta etiam ſit & praua affectio neceſſe eſt: ſiquidem affectio genus eſt ſcientiæ. Ac prior quidem locus vitioſus eſt, ſi ad confirmandum adhibeatur, alter verus & commodus. Neque enim neceſſe eſt quæcunque genere accidant, eadem ſpeciei accidere, quandoquidem animal eſt pennigerum & quadrupes, homo non item. Omnia autem quæ cadũt in ſpeciem, eadem neceſſe eſt cadere in genus. Si enim homo probus ſit, animal etiam probum. In refellendo contrà, prior locus verus eſt, alter vitioſus. Nam & quæ generi non accidunt, ſpeciei accidere non poſſunt: & quæ in ſpeciem non cadunt, ea non neceſſe eſt in genus non conuenire.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 2. *Quoniam autem necesse est, in quibus genus dicitur, in iis etiam speciem aliquam dici, & quæcunque genus habent, aut quæ à genere nomen duxerunt, eadem aliquam speciem habere, aut nomen ab aliqua specie ducere: veluti, si de aliquo scientia dicatnr, certè de eodem vel grammatica dicetur, vel musica, vel aliqua scientia. Et si quis arte sit instructus & præditus, aut nomen de arte habeat, certè grammatica vel musica, aut aliqua alia arte instructus sit necesse est, aut nomen ab arte aliqua ducet, veluti grammaticus vel musicus appellabitur. Si quid igitur proponatur, de quo genus aliquo horum modo dicatur, veluti animum moueri, considerandum est, moueatúrne animus aliquo genere motionis, vt crescátne, an imminuatur, an intereat, an oriatur, an alio genere motus agitetur. Si enim nullo genere motus agitetur, certè non mouetur. Atque hic locus & ad confirmandum valet, & ad reprehendendum. Nam si aliquo genere motus cieatur, moueatur: & si nullum genus in eum cadat, certè non mouetur. Cui autem copia non suppetet argumentorum ad propositum confirmandum aut infirmandum, is à definitionibus præsidium petere debebit, aut quæ rei propositæ propriæ sint, aut quæ esse videantur: quòd si ab vna non possit, à pluribus petat. Nam iis qui rem definiendo explicarint, facilius erit argumentum ducere: quippe cùm facilior sit in definitionem argumentatio. Videndum etiam est, cui rei res proposita adiuncta sit, aut quid necessariò, res proposita si sit, vna secum esse velit. Ac is quidem qui confirmare volet, cui rei res proposita adiuncta sit, videbit, quoniam si rem illam doceat cadere, rem etiam propositam docebit. Qui autem refellendi partes te-*

nebit, quæres rei propositæ sit adiuncta, considerabit. Si enim id quod rei propositæ sit consequens, non esse ostendemus, rem etiam propositam non esse docebimus. Spectandum est etiam an tempus alicubi discrepet: vt si quis id dixerit quod alitur, augescere necessario. Etsi enim animalia semper aluntur, tamen non semper augescunt. Itémque si quis scire dixerit memoria tenere. Nam hoc ad præteritum tempus pertinet: illud & ad instans & ad futurum. Nam & scire dicimur præsentia & futura, vt solis defectionem fore: meminisse nisi præterita non possumus. Iam locus captiosus & fallax est, eo loci impellere alterum, vbi magna argumentorum copia nobis suppetet. Quod interdum necessarium est, interdum necessarium videtur: interdum nec videtur, nec necessarium est. Necessario autem id faciundum est, tum cùm is qui contra disputat, negat aliquid eorum, quæ ad rem propositam pertinent, & alter de illo disserit: accidit autem eiusmodi illud esse, ad quod probandum amplissimus locus suppetat. Quod idem facere licebit, cum inductione vtemur, ad aliquid quod est cum re proposita coniunctum, quod nos euertere conabimur. Eo enim sublato & infirmato, res etiam de qua agitur, infirmabitur. Necessarium autem id videtur, cum id ad propositum pertinere videbitur, ad id autem ad quod sumitur, non pertinebit argumentum, siue neget is qui respondet, siue facta inductione probabili ex proposito ad aliquid quod infirmare conetur. Reliquum autem tum incidit, cùm nec est, nec videtur necessarium eò transferre disputationem, quò ille traducit: accidit autem citra vllam rationem eum qui respondet redargui. Hoc autem extremum genus, quoniam omnino à

disserendi ratione alienum remotúmque est, declinare debemus. Quocirca debet is etiam qui respondet, non grauatè ei qui hoc modo disputat respondere, eáque dare, quæ ad propositum non pertineant, ita tamen vt interim significet sibi quidem illa non probari, ea tamen se admittere: propterea quòd ferè in maiore animi distractione versari solent ij qui interrogant, si iis talibus omnibus positis, nil ad extremum se confecisse videant. Iam verò quoniam omnes qui quiduis dixerint, quodammodo multa complexi sunt (vnamquanque enim rem multa necessario consequuntur: vt is qui hominem esse dixit, & animal esse dixit, & animatum, & bipedem, & mentis ac disciplinæ compotem) sit, vt infirmata, & reprehensa vna quauis re earum quæ sunt consequentes, id etiam quod initio dictum est, reprehendatur. Sed videndum est, ne ad rem difficiliorem delabamur. Interdum enim facilius est id quod rem propositam consequitur, interdum rem ipsam propositam euertere. In iis autem rebus quibus alterum inest necessario, aut non est, veluti in homine vel morbus inest, vel valetudo, si de altero possumus disputare in vtranque partem, de altero etiam poterimus. Quod ad vtranque partem trahi potest. Si enim alterum accidere doceamus, alterum non accidere docebimus: & si alterum non conuenire demonstremus, reliquum docebimus cõuenire. perspicuum est igitur ad probandum & refellendum valere hunc locum. Atque etiam argumentum ducendum est à notatione verbi, quæ multò aptius videatur vim verbi explicare, quàm id ipsum ad quod significandum impositũ est: veluti εὔψυχον non fortẽ, vt tritum est, sed eũ qui bene animo sit affectus: & εὔελπιν eum

qui bona expectat. Itémque εὔδαίμονα eum esse, cuius animus sit bonus: quẽadmodum Xenocrates εὔδαίμονα ait esse eum cui animus bonus datus sit. eum enim deum esse omnibus. Iam cùm res aliæ necessariò eueniant, aliæ plerunque, aliæ fortè temeré: si quis eam quæ necessario euenit, plerunque fieri ponat, aut eam quæ plerunque fit, eiúsve contrariam quæ plerunque ita fit, necessariò fieri, is semper locum suppeditabit argumento. Num si id quod necesse est fieri, plerunque fieri ponat, profectò non in toto genere inesse dixerit, quod toti conuenit: ita aberrauit, siue id quod plerunque accidit, necessariò fieri dixerit, quoniam de toto genere dixit, quòd toti non accidit. Quod idem fit, si id dixit, quod rei contrarium est quæ plerunque euenit, euenire necessariò. Semper enim in paucioribus dicitur quod rei quæ plerunque fit, contrarium est. Veluti si ferè mali sint homines, boni rarius, certè vehementius errauit, si quis bonos dixerit esse necessariò. Eodémque modo si id quod temerè fit, necessariò fieri aut plerunque dixerit. Neque enim id quod temerè vtranque in partem cadit, necessariò fieri potest, neque id quod plerunque. Fieri autem potest, vt etiamsi non dixerit, neque exposuerit, vtrúmne plerunque fieri, an ex necessitate velit quod propositum est: si fiat autem plerunque, tamen disputet alter, quasi ille ex necessitate fieri asseruerit: vt si malos exhæredes esse dixerit, neque exposuerit, oportet disputare quasi ex necesitate id ille dixerit. Illud etiam videndum est, an eandem rem sibi accidere quasi aliam posuerit, quòd alterum eidem sit nomen impositum. Quemadmodum Prodicus diuisit voluptatem in gaudium, delectationem, & lætitiam. Eiusdem enim nominis volu-

ptatis hæc sunt omnia. Si quis ergo gaudio lætitiam accidere dicat, is idem sibi accidisse confirmabit.

Cap. 3. Quomam autem sex modis inter se contraria iungntur, & quatuor solùm modis iuncta repugnantiam efficiunt: sumenda sunt contraria, vt commodum erit & ei qui confirmandi, & ei qui refellendi partes tuebitur. Ac sex modis ea componi inter se hinc perspici potest, quòd aut vtrunque contrarium vtrique comparatur, idque bifariam: vt de amicis bene mereri, & de hostibus malè mereri: aut contrà, de amicis malè mereri, & de hostibus bene: aut vtrunque vni, quod etiam duobus fit modis: vt de amicis bene mereri, & de amicis male mereri: vel de amicis bene mereri, & de inimicis male mereri: aut vnum vtrique, quod etiam fit dupliciter, vt de amicis bene mereri, & de inimicis bene mereri: vel de amicis male mereri, & de inimicis male mereri. Ac duæ quidem primæ comparationes non sunt pugnantes, quoniam de amicis bene mereri non est illi contrarium, male de hostibus mereri: quippe cùm sint expetenda, & ad eosdem mores pertineant: nec illud de amicis male mereri, huic repugnat, bene mereri de inimicis. Sunt enim hæc fugienda, & moribus eiusdem continentur vtraque. Nec res quæ fugienda est ei quæ fugienda est, aduersatur, nisi vnum sit nimium, alterum parum: quoniam quod nimium est, id in rebus fugiendis ducitur, itémque parum. At reliqua quatuor contraria sunt inter se. Nam & de amicis bene mereri, illi contrarium est, de amicis male mereri: quandoquidem à contrariis moribus proficiscuntur, atque illud sequendum est, hoc fugiendum. Eadem est ratio cæterorum. In conniunctionibus enim singulis quiddam est

expetendum, & quiddam repellendum: & illud ad bonos mores pertinet, hoc ad malos. Ex quo perspicuum est, eidem plura data esse contraria. Huic enim, de amicis bene mereri, illud contrarium est, de inimicis bene mereri: & illud, de amicis malè mereri. Itémque ei, qui illa omnia intuebitur, duo videbuntur contraria. Sumenda igitur sunt ea contraria, quæ prodesse poterunt causæ nostræ. Iam si quid sit accidenti contrarium, considerandum est, an ei accidat cui accidens conuenire dixerit. Si enim hoc conuenit, illud non conueniet: quoniam fieri non potest, vt simul eidem contraria conueniant. Aut an tale aliquid dixerit, quod si sit, necesse sit contraria simul eidem inesse, vt si ideas in nobis esse dixerit. Nam & moueri eas & stare concludetur, sub sensum cadere, ac ratione & intelligentia continere. Nam & quiescere & eas immobiles esse, & sub intelligentiam cadere placet iis qui eas ponunt. Quæ si in nobis sitæ sint, profectò non poterunt esse immobiles: quum præsertim si ipsi moueamur, necesse sit ea omnia, quæ in nobis sunt, vnà moueri. Atque etiam sensu eas percipi, si modò in nobis sint, ex hoc intelligi potest, quòd sensu oculorum, formam vniuscuiusque rei cognoscimus. Rursus si positum est accidens id cui quid est contrarium, videndum est, idémne sit contrarij & accidentis subiectum. Eadem enim res vim habet ad recipienda contraria. Veluti si de odio dici iram dixerit: profectò odium in ea parte animi in qua irarum exstitit ardor, insit necesse est: est enim sedes iræ. Considerandum igitur, sitne contrarium in ea parte animi, in qua irarum existit ardor, qualis amicitia est. Nam si non insit, in eáque parte animi quæ cupiditatis sedes est, insit amicitia, certè non est consequens

iræ odium. Eadem ratio est, si eam partem animi in qua voluptates insunt, ignorare dixerit. Sedes enim erit scientiæ, siquidem etiam ignorationis sit, quæ pars non videtur sede esse scientiæ. Atque ex hoc loco, quemadmodum docui, ei qui refellendi partes obtinebit, depromenda erunt argumenta. eum autem qui confirmare volet, nihil adiuuabit hic locus, quatenus accidens conuenit: quatenus verò potest conuenire, adiuuabit. Nam si non posse contrarium recipere doceamus, nec conuenire accidens, nec conuenire posse docebimus. At vero non si contrarium conuenire, aut vim habere ad recipiendum contrarium doceamus: idcirco etiam accidens conuenire demonstrauerimus, sed posse conuenire tantummodo confirmatum erit. Quoniámque quatuor sunt contrariorum genera, spectanda erunt disparata ex eo argumento, quo vicissim retrò se sequuntur, & ei qui probabit, & ei qui refellet. Per inductionem verò argumentatio qualis sit, intelligendum, hoc modo: Si homo est animal, quod non est animal, id non est homo. Itémque in cæteris: hoc enim loco, cõmutato ordine, tractatur argumentatio. Cùm enim hominem sequatur & comitetur animal, tamen non si quid non sit homo, id continuò sequitur non esse animal: sed contrà, si quid non sit animal, sequitur non esse hominem. In omnibus ergo id pronunciandum est, vt si quod honestum est, id iucundum sit: etiam si quid non sit iucundum, id non sit honestum. Quòd si hoc non est consequens, ne illud quidem erit. Itémque si quod iucundum non est, id non sit honestum, certè quod honestum est, etiam iucundum sit necesse est. Perspicuum est igitur reciprocari in aientibus & negantibus argumentationem, si retrò tractetur. In iis autem contrariis quæ aduersa appellantur, hoc videndum est & ei qui probabit, & ei qui reprehendet, an ex contrario contrarium sit consequens, siue directo, siue conuerso ordine tractetur consecutio. Harum autem consecutionum genus vtrunque quale sit, & quomodo aduersis conueniat, inductione sumendum. Directè autem argumentatio tractabitur hoc modo: fortitudinem virtus, ignauiam vitium sequitur, & fortitudinem sequitur id quod expetendum est, ignauiam id quod fugiendum. In his ergo valebit directo à consequentibus ductum argumentum, quoniam id quod expetendum est, ei quod fugiendum contrarium est. Quod idem fit in cæteris. Contrà autem consequentia sunt, vt firmam corporis affectionem sequitur bona valetudo: infirmam verò affectionem morbus non sequitur, sed contra morbum infirma constitutio. Ex quo perspicuum est, contra in his argumentationem à consequentibus valere. Rarò autem illa è conuerso consecutio in aduersis incidit, ac ferè directo tractatur argumentatio. Quòd si nec directo cõtrarium ex contrario erit consequens, nec vicissim retrò commeabit: profectò in iis, de quibus agitur, nũquam alterum ex altero erit consequens: Sin in aduersis sequatur, etiam in propositis alterũ alteri consequetur necessariò. Quod item in priuantibus perindè atque in aduersis concidendum est, nisi quod in his non vicissim retrò commeat argumentum ex consequẽtibus, sed directo necessariò. Quemadmodum aspectum sensus requiritur, si cæcitatem sensus priuatio. Opponuntur enim sensus & priuatio sensus vt priuantia, quoniã eorum illud habitus est, hoc eius rei priuatio. Atque etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

de iis quæ cum aliquo conferuntur, eodem modo quo de priuantibus iudicandum est. In iis enim etiam valet à consequentibus tractatum directo argumentum. vt si triplum multiplex sit, etiam subtriplum submultiplex erit. Confertur enim triplum cum subtriplo, & multiplum cũ submultiplici. Rursum, si scientia opinio est, etiam quod sub scientiam cadit, erit inopinabile. Et si aspectus sensus sit, id etiam quod aspectabile est, sub sensum cadat necesse est. Hic autem occurritur, non duci necessariam in iis quæ cum aliquo conferuntur, argumentationem à consequentibus, quemadmodum dixi. Non enim si quod sensum mouet, scientia continetur, idcirco sensus est scientia. Nec verè certè quidem occurritur. Multi enim negant, ea quæ sensus mouentia sunt, cadere sub scientiam. Nec minus contra hoc quod dixi valet hic locus: nempe id quod sub sensum cadit, non posse scientia comprehendi: quoniam ne sensus quidem sit scientia. Rursum, à cõiugatis & casibus ducẽdum est argumentum, siue confirmemus quid, siue refellamus. Coniugata autem sunt hæc, iusta, & iustus, cum iustitia: & fortia & fortis, cum fortitudine. Itémque efficientia & conseruantia coniugata eorum sunt, quorum sunt & conseruantia & efficientia: vt efficientia valetudinem valetudinis, & conseruantia firmam corporis constitutionem, firmæ corporis constitutionis. Eodémque modo de cæteris iudicandum est. Atque hæc quidem Coniugata appellari solent. Casus autem sunt, vt iustè, fortiter, salubriter, & aptè ad firmã corporis affectionem quæque eodem modo dicuntur. Sed etiam ea quæ ex casibus dicuntur, in coniugatis esse videntur, vt iustè cum iustitia, & fortiter cum fortitudine, cõiugata sunt.

Coniugata autem dicuntur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem: vt iustitia, iustus, iusta, iustè. Perspicuum est igitur, si quid probatum sit, eorum quæ eiusdem sunt generis & coniugationis, esse in bonis & laudabilibus, cætera probata esse omnia. Veluti, si iustitia sit in rebus laude dignis, etiam iustus in iis sit, & res iusta, & quod iustè fit, necesse est: concludetúrque, quod iustè sit, etiã laudabiliter fieri, ex eodem casu: quoniam à laudabili re ortum est, quemadmodum illud iustè à iustitia. Non solùm autem in eo quod in quæstione est, spectanda sunt coniugata, sed etiam in contrario, vt quod bonum sit, non necessariò esse iucundum. Neque enim quod malum est, necessariò molestum est: aut si hoc, etiam illud. Et si iustitia scientia sit, iniustitia ignoratio erit. & si quod iustè sit, id fiat scienter & peritè: id etiam quod iniustè, inscitè & imperitè fiat necesse est. Aut si hæc non placent, ne illa quidem: quemadmodum in eo quod modò commemorauí, perspici potest: multò enim potius videbitur quod iniustè fit, id peritè, quàm imperitè fieri. Atque hic locus expositus est tum, cùm de contrariis quæ aduersa dicuntur, disputaremus. Nihil enim nunc aliud volumus, nisi contrarium ex contrario esse consequens. Præterea ab ortu & interitu rerum, & ex causis efficientibus & corrumpentibus magna copia suppetit ad disputandum, siue confirmare velimus, siue refellere. Quarum enim rerum ortus & origo est in bonis, eæ etiam in bonis sunt: & si hæ in bonis sint, origines etiam earum erunt. Si verò origo sit in malis, eæ etiam in malis numerabuntur. A rerum interitu contrà ducitur argumentum è consequentibus. Si enim interitus rerum sint in bonis, res ipsæ erunt in malis. Et si interitus &

Universidad de Deusto
Biblioteca

euersio rerum sit in malis, res ipsæ ducentur in bonis. Eadem est etiam ratio causarum efficientium & euertentium. Quorum enim effectorum causæ sunt in bonis, effecta etiam in bonis erunt. Quarum autem rerum causæ euertentes sunt in bonis, eæ sunt numerandæ in malis.

Cap. 4. Proximus locus est à simili, in quo videndum est, an res similes eodem se modo habeant: vt si scientia vna sit multarum rerum, etiam opinio. Et si aspectum habere sit, videre, etiam auditum habere, sit audire. Quod idem contingit in cæteris omnibus, & quæ sunt, & quæ videntur. Valet autem in vtranque partem hic locus. Si enim in aliqua re simili valeat, in cæteris etiam valeat necesse est. Et si in aliqua re simili non valeat, nec in cæteris valebit. Considerandum etiam est, an in vno, & in pluribus eodem modo res habet: quoniam interdum discrepat & dissimilis est affectio, vt si scire sit cogitare: multa scire, erit multa cogitare, quod non est verum. Multa enim scientia comprehendi possunt: multa simul cogitari non item. Quòd si non hoc, nec scire erit cogitare. Sumuntur etiã ex maiore & minore argumenta. Súntque ex maiore & minore quatuor loci. Vnus, si maior res ex maiore sit consequens, hoc modo: Si voluptas bonum sit, maior voluptas maius sit bonum. Si iniuriam facere malũ est, maiorem iniuriam facere maius malum erit. Atque in vtranque partem hic locus trahi potest. Si enim rei subiectæ elationem & summissionem accidẽtis sequatur elatio & summissio, quemadmodum dixi, necesse erit in re proposita accidens inesse: sin minus sequatur, non inerit. Hic autem locus per inductionem intelligendus est. Alter locus est, cùm vna res duabus comparatur. Si cui verisimilius est conuenire non conueniat, ne illi quidem cui minus: & si cui minus probabile est conuenire conueniat, ei etiam cui verisimilius. Tertius est, cùm duæ res cum vna conferuntur, si quæ magis conuenire videtur non conueniat, nec quæ minus. Etsi quæ minus videtur conuenire conueniat, ea etiam quæ magis conuenire videbitur, cõueniet. Extremus locus est huiusmodi, cùm duæ res duabus comparantur: Si quæ alteri magis videtur conuenire non conueniat, ne reliqua quidem reliquæ conueniet: & si ea quæ minus conuenire alteri videtur conueniat, reliqua etiam reliquæ conueniet. Sequitur locus, ex iis quæ paria sunt, aut paria videtur, atque is triplex, quemadmodum exposui de tribus locis postremis, quos ex maiore elici dixi. Si enim vna aliqua res duabus eodem modo conueniat, aut conuenire videatur, neque alteri conueniat, ne alteri quidem conueniet. Quòd si vni, etiam alteri. Alter locus tractatur hoc modo: Si duæ res eidem pari ratione conueniant, & altera non conueniat, ne altera quidem conueniet. Quòd si altera, etiam aliqua. Tertius hoc modo: Si duæ res duabus eodem modo conueniant, vníque altera non conueniat, reliqua etiam reliquæ non conueniet: quòd si vna alteri conueniet, reliqua etiam reliquæ conueniat necesse est. Atque ex maiore & minore & paribus tot argumenta duci elicíque possunt. Alius locus sequitur ex adiectione, hoc modo: Si vna res ad alteram adiecta eam faciat bonã aut albam, cùm prius bona & alba nõ esset, quæ adiecta est, bona erit & alba, quale etiam totum reddidit. Præterea si ad aliquid quod inest quippiam addatur, quod illud magis tale efficiat, quàm antè erat, idẽ tale erit. Eadem est ratio cæterorum. Quanquam hic locus

non valet in omnibus, sed in iis tãtummodo quæ elationem aliquam suscipere possunt. Atque idem non vicissim retro commeat in refellendo. Non enim si id quod additur, non facit id cui adiectum est bonum, propterea id non bonum esse necesse est. Quod enim bonum est, si ad id quod malum sit addatur, totum non efficit bonum necessariò, nec rem nigram candor albam facit, nec dulcedo rem amaram dulcem necessariò, si addantur, efficit. Iam verò si quid maius aut minus dicitur, omnino etiam conuenit. Nam quod bonum non est, nec album, id nec maius bonum, neque minus dicitur, neque albius, neque minus album: quippe cùm id quod malum est, nulla re maius bonum sit, aut minus bonum: sed maius malum, aut minus dicitur. Nec verò hic locus in refellendo vicissim retro commeat. multa enim eorum quæ illud magis respuunt, omnino dicuntur. Homo enim, & si magis aut minus quàm alius homo non dicitur, non tamen propterea homo esse desinit. Eodémque modo videndum est quid quadam ex parte, quid aliquando, & alicubi esse dicatur. Siquid enim quadã ex parte possit esse, aut aliquando, aut aliquo in loco, id certè omnino esse potest. Quod enim omnino fieri non potest, id nec aliqua ex parte, nec interdum, nec alicubi fieri potest. Quanquam huic loco occurritur, quòd quadam ex parte homines natura boni sunt, vt liberales, vt temperati: cùm interim boni non sint omnino natura: siquidem nemo prudens natura dicitur. Itémque fieri potest, vt aliquid eorum quæ interire possunt, quodam tempore non intereat & occidat, cùm fieri non possit omnino quin occidat. Eodémque modo alicubi hanc vel illam victus rationem seruare, vt in locis pestilentibus & insalubribus prodest, omnino non prodest. Aliquo etiam in loco fieri potest, vt vnus modo sit, & tamen non vnus modo esse illic possit omnino. Itaque alicubi etiam immolare patrẽ laudi ductum est, vt apud Tribalos: omnino autem non datur laudi & gloriæ. Nisi fortè hoc non aliquo in loco fieri declarat, sed apud aliquos, quoniã nihil refert vbi sint: vbique enim apud Tribalos id gloriæ ducitur. Rursum medicamentorum vsus interdum, veluti cùm sis in morbo, adiuuat, nec adiuuat omnino. Nisi fortè nec hoc quidẽ aliquando fieri significat, sed certum quoddam affectionis genus. Neque enim refert id quocunque tempore fiat, dummodo ita sit affectus. Id autem demum omnino & absolutè esse dicitur, quod citra vllam adiectionem dicitur, honestum verbi gratia, aut turpe: vt patrem immolare, non dicas honestum esse, sed apud nonnullos honestum esse. Non igitur omnino honestum est. At deos colere, pulchrum dices, etiamsi nihil adiungas est enim pulchrum omnino. Quare quod sine adiunctione videtur esse pulchrum, aut turpe, aut aliquid aliud eiusdem generis, tale esse id dicetur omnino.

ARISTOTELIS TOPIcorum Liber tertius.

RElíquus est comparationis locus, in quo videndum est, duobus propositis, vtrum sit optabilius aut melius. Ac primum exponẽdum illud est nobis, hoc loco non esse propositum de iis differere quæ valde dissímilia sint, quorúmque magnæ sint differentiæ & distinctiones, (neque enim est quisquam cui Cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in dubium veniat, ſitne beatitudo, quàm diuitiæ, magis expetenda) ſed de iis quæ cognata ſunt & vicina, & iis quibus propoſitis dubitamus, vtri priores partes tribuamus, propterea quod quid alterum alteri præſtet, minimè videamus. Ex quo perſpicuum erit, expoſita harum rerum præſtantia vna aut pluribus, animum aſſenſurum & approbaturum id eſſe magis expetendum quod excellet. Ac diuturniora quidem anteponenda ſunt breuioribus: & quæ prudentes anteponant, aut viri boni, aut leges rectæ, aut quæ anteponant ij, qui in aliqua re excellunt, hoc ipſo quòd tales ſunt, aut quæ ij qui vnoquoque genere ſcientes ſunt, aut quæ plures, aut etiam omnes: vt medicina & fabrica, quæ plures medici anteponant, aut omnes: aut quæ omnino plures, vel omnes, vel omnia, quale eſt ipſum bonum. Expetunt enim bonum omnia. Ex iis autem argumentum ducetur, prout commodum videbitur ad eam rem de qua agitur. Súntque omnino anteponenda ea, quæ à meliore arte proficiſcuntur: vt quoniam philoſophia melior eſt ars, quàm architectura, omnino ea quæ à philoſophia efficiantur, iis quæ ab architectura, anteponantur. Quæ autem à cuiuſque arte efficiuntur, ea quiſque alienis anteponit. Deinde anteponenda ſunt ea quæ vi ſua in genere ſunt, iis quæ non ſunt: vt iuſtitia viro iuſto. iuſtitia enim in genere eſt bonorum, vir iuſtus non eſt: & illa vi ſua bonũ eſt, hic non item. Nihil enim eſt id ipſum quod genus, quod non ſit in genere: vt homo albus nõ coloris nomen obtinet. Quod idem in cæteris cõtingit. Anteponũtur etiam quæ propter ſe expetũtur, iis quæ propter aliud, vt valetudo exercitationi: quoniã illa propter ſe expetenda, hæc propter aliud. Et quæ propter ſe

expetuntur, iis quæ fortè, temere & caſu: vt amicorũ iuſtitia, hoſtium iuſtitiæ: quòd illa per ſe expetenda eſt, hæc caſu, & fortuito, vt ne nobis noceant. Hic autẽ locus eandem ferè vim habet, quam ſuperior, ab eóque niſi modo non differt. Nam amicos per ſe iuſtos eſſe optamus, etiam ſi nihil inde ad nos redeat, & apud Indos habitent: at hoſtes ſi propter aliud iuſtos eſſe optamus, vt nihil nobis obſint. Et ex quibus per ſe bona propagantur, iis ex quibus caſu & temerè, vt virtus fortunæ: illa enim per ſe efficiens eſt cauſa bonorum, hæc fortuito. Et ſi quid aliud tale eſt. Eodem modo de contrariis iudicandum eſt. Ea enim quæ per ſe cauſæ ſunt malorum, poſtponuntur iis quæ caſu & fortuito, vt vitium fugiendũ eſt potius, quàm fortuna: illud enim per ſe malũ eſt, hæc caſu. Et quæ omnino bona ſunt, iis anteponuntur quæ alicui bona ſunt, vt valere quàm ſecari magis optandũ eſt: quoniam illud omnino bonum eſt, hoc alicui qui ſectione egeat. Et innata ac inſita bona aſſumptis & aduentitiis, vt iuſtitia viro iuſto: quoniam illa inſita eſt & innata, illud aduentitium. Et quæ in re meliore inſunt, & quæ iuſtiorem habent venerationem, iis quæ in deteriore: vt bona dei, hominum bonis: & animi, corporis bonis ſunt anteponenda: & quæ propria ſunt melioris rei iis quæ deterioris: vt dei quàm hominis. Cùm enim bonis, quæ illis inter ſe ſunt communia, non differant inter ſe, propriis alter alteri præſtat. Et quæ in melioribus, aut antiquioribus, aut in iis quæ in maiore ſunt pretio & honore, ea ſunt anteponẽda iis quæ in deterioribus, vt valetudo viribus corporis, & pulchritudini corporis. Valetudinis enim ſedes eſt in humore, ſiccitate, calore & frigore, iiſque omnibus, ex quibus primũ animal

Universidad de Deusto
Biblioteca

conſtat,cohæret:hæc verò in poſterioribus quibuſdam.Nam & vis corporis in neruis atque oſsibus ſita eſt, & pulchritudo corporis eſt apta quædam compoſitio membrorum. Fines iis quæ ad finem pertinent atque conducunt.Ex duobus quod ad finem propius accedit. Quæ ad vitæ finem pertinent,iis quæ ad alium aliquem: vt quæ ad beatam vitam pertinent,iis quæ ad prudentiam: quod enim ad beatitudinem pertinet, anteponendum eſt. Quæ fieri poſſunt, iis quæ non poſſunt.E duobus efficientibus cuius finis melior, id etiam præſtantius. Ex efficientibus & finibus proportione concludendum eſt,hoc modo:Cum pluribus partibus finis ſeni præſtat,quàm finis ille ſuæ cauſæ efficienti: vt ſi beatitudo valetudinem pluribus partibus ſuperet,quàm valetudo ſalubria,efficitur,vt efficientia beatæ vitæ vincant valetudinem. Quanto enim beatitudo valetudinem præſtat, tanto ſalubria præſtant efficientia beatitudinis. Atqui minore interuallo ſalubria valetudo anteibat: pluribus igitur partibus ſalubribus præſtant beatitudinis efficientia,quàm valetudo ſalubribus.Ex quo perſpicuum eſt,efficientia beatæ vitæ ſanitati,quia ei præſtent,eſſe anteponenda.Iam quæ per ſe in maiore ſunt honore & pretio, & laudabiliora ſunt,anteponenda ſunt,vt amicitia diuitiis,iuſtitia valetudini,& viribus corporis.Illa enim numerantur propter ſe in iis bonis quæ ſunt honorabilia & laudabilia: hæc non propter ſe,ſed propter aliud. Nemo enim opes propter ſe amat,ſed propter aliud. Amicitiam autẽ propter ſe colimus, etiam ſi nihil inde fructus ſperemus nos eſſe percepturos.Iam ſi duo quædam ſint valde inter ſe ſimilia, nec quid alterum alteri præſtet & excellat, perſpicere poſsimus: id ex conſe-

quentibus intelligi licet,hoc modo.Ex quo enim maiora bona ſequuntur,id anteponendum alteri eſt:quòd ſi mala conſequantur,ex quo minora mala oriuntur,id eſt eligendum. Nam ſi vtrunque eligendum, nihil prohibet aliquid moleſtiæ conſequi:ex conſequentibus autem duo argumenta ſumuntur, quoniam & aliquid antecedit rei, & præcurrit, & aliquid rem ſequitur:veluti diſcenti antecedit ignoratio,& eum conſequitur ſcientia.Ferè autem melius eſt quod rem ſequitur. Argumentum verò à conſequentibus ſumendum eſt,vt commodum fuerit.Plura bona paucioribus anteponẽda ſunt aut omnino,aut cum alia quæ pauciora ſunt, in aliis quæ plura, continentur. Huic autem loco occurritur,ſi vnum alterius gratia petatur. Neque enim vni vtrũque anteponitur,veluti curari & valetudo non pluris ſunt, quàm valetudo,quandoquidem curari optamus valetudinis gratia. Nihil etiam prohibet ea,quæ non ſint in bonis, bonis anteponi: vt beatitudinem cõiunctam cum aliqua re, quæ non numeratur in bonis,iuſtitiæ ac fortitudini. Et eadem coniuncta cum voluptate,magis expetẽda ſunt, quàm ſine voluptate, & eadem ipſa cum indolentia copulata, quàm cum dolore.In quo etiam quicque tempore maiorem vim habet, id in eo magis optandum eſt,vt in ſenectute ſine vlla moleſtia & cura viuere,quàm in adoleſcentia. Plus enim poteſt in ſenectute. Eadémque ratione in ſenectute magis expetenda prudentia eſt.Itaque nemo adoleſcens imperatores deligit, quòd prudentes eos non eſſe exiſtimet. contráque ſit in fortitudine, cuius in iuuentute neceſſarium munus & officium eſt. Eadem eſt etiam temperantiæ ratio. Adoleſcentes enim magis, quàm ſenes cupiditatibus ſeruiũt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

33 Quæ per omne tempus ætatis plus possunt, iis quæ maxima
parte vtiliora sunt: vt iustitia & temperantia fortitudine,
quia illis semper, hac interdum vtimur. Quæq; seipsis cõten-
34 ta sunt, meliora, quàm quæ egent aliis: quod in iustitia &
fortitudine cernere licet. Nam si iusti essent, nihil loci esset
35 fortitudini: at si fortes essent, iustitiam requirerent. Compa-
ratio etiam ex interitu, abiectione, origine, acceptione, con-
trariisque sumi potest hoc modo: Quorum bonorum interi-
tus magis declinandi sunt, ea meliora. Quod idem in abie-
ctionibus & contrariis contingit. Cuius enim prætermissio
& expulsio, aut contrarium magis fugiendum est, id etiam
optabilius. Contrà fit in ortu & acceptione. Quarum enim
rerum origines & assumptiones optabiliores sunt, eæ aliis
39 anteponuntur. Alius locus: Quod ad bonum propius accedit,
id & optabilius & melius est: quódque ad bonum simili-
tudine propius accedit, id melius: vt iustitia iusto. Quæ
40 meliori similiora sunt, ea meliora: quemadmodum Aiacem
Vlyssi anteponunt, quòd Achilli similior esset. Occurritur
huic loco, quòd nihil prohibeat Aiacem, non qua parte A-
chilles optimus fuerit, ei similiorem fuisse, & tamen alterũ
virum bonum fuisse, etsi dissimilem. In quo videndum est,
an etiam in iis quæ magis ridicula sunt, cernatur similitu-
do: quẽadmodum simia similitudine ad hominem propè ac-
cedit, cùm equus non sit similis. Neque enim præstantior est
41 simia, etsi similior homini, quàm equus. Rursum è duobus
si vnum meliori, alterum deteriori similius sit, melius erit
quod similius est præstantiori. Atque etiam huic loco occur-
ritur. Nihil enim prohibet, vnum meliori paulum similem
esse, alterum valde deteriori: vt si Aiax paulum admodum

similis sit Achilli, & Vlysses valde Nestori. Et si id quod
meliori similius sit, mala eius imitetur. quòd autem ad de-
terius similitudine propius accedat, bonam in partem simi-
le sit: vt equus asino, & simia homini. Quæ magis insignia 42
sunt, minus insignibus anteponuntur. Et laboriosa procli- 43
uibus: chariora enim nobis sunt ea, quæ difficulter paran-
tur. Et propria cõmunibus. Quæq; molestiæ minus habent: 44 45
quæ enim nullam molestiam afferunt, iis quæ afferunt, an-
teponuntur. Quæ aliis præstatiora sunt omnino, etiam quæ 46
in eo genere præstantissima sunt, iis quæ in altero genere sunt
præstantissima, anteponuntur. veluti si nobilior equo homo
sit, nobilissimus homo etiam sit generosissimo equo præstan-
tior. Et si res præstantissimæ & clarissimæ nobilissimis al-
terius generis præstant, etiam omnino illis rebus excellunt.
Vt si clarissimus homo generosissimo equo præstet, etiam ho-
mo equo præstat omnino. Quæque cum amicis communi- 47
care licet, iis quæ non licet. Quæ in amicos præstare cupi- 48
mus, iis quæ in quemuis. Vt officia seruare & bene mereri
magis optamus, quàm videri bene mereri, & officia ser-
uare. Quoniam beneficia malumus in amicos conferre,
quàm videri: in quemuis contrá. Non necessaria necessa- 49
riis meliora sunt, eáque interdum magis expetuntur. Bene
enim viuere præstat, quàm viuere: cùm bene viuere sit
non necessarium, & viuere in necessariis. Fit autem inter- 50
dum vt quæ meliora sunt, non etiam magis expetantur.
Non enim si quid melius, propterea id necesse sit etiam ma-
gis esse expetendum. Philosophorum enim vita cùm eo ge-
nere vitæ, quod in pecuniis quærendis consistit, sit melior: at-
tamen ei cui res ad viuendum necessariæ non suppetunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non magis expetenda est. Non necessaria autem sunt, cùm suppetunt res necessariæ, & aliæ præterea quædam honestæ parantur. Ac fere quidem certe necessariæ magis expetenda sunt, non necessaria meliora. Quæ ab alio non suppeditari possunt & accipi, iis quæ possunt, quomodo iustitia ad fortitudinem affecta est. Quæ sine aliis expetenda sunt, iis quæ nisi coniuncta cum aliis non expetuntur: vt vires corporis sine prudentia non sunt expetendæ, sine viribus etiam prudentia expetenda est. E duobus si vnum dissimulemus aut negemus in nobis esse, vt alterum in nobis esse videatur, id anteponendum est, quo præditi esse videri velimus: vel laboriosos nos esse negamus, vt ingenio valere videamur. Quorum bonorum defectio minus in iis vituperanda est, qui molestè ferunt ea à se abesse: & quorum defectio in iis qui non acerbè ferunt ea à se abesse, magis reprehendenda est. Eorum quæ in eodem genere sunt, quod propria illius generis virtute & laude valet, alteri quod eo caret, antepodẽdum est. Ex iis in quibus inest, id in quo maior est. Quæ bonum eum in quo sint efficiunt, iis quæ non efficiunt, vt calidius id est quod calefacit, eo quod non calefacit. Ex iis quæ efficiunt ea quæ magis efficiũt, aut quæ id quod melius est, & magis præcipuum bonum efficiunt, vt quæ animum bonum efficiunt, iis quæ corpus. Ex casibus etiam & vsu, actionibus, & operibus comparationis locus sumitur, & quæ ab illis orta sunt concluduntur. Alterum enim alteri consequens est: vt si id quod iustè fit: ei quod fortiter anteponendũ sit, iustitia fortitudini anteponetur. Et si iustitia fortitudini anteponenda sit, etiam id quod iustè sit ei quod fortiter. quod idem sit in cæteris. Si quo bono, vnum maius

bonum sit, minus alterum, maius magis expetẽdum est: vel si maiore aliquo maius sit alterum. Quinetiam è duobus quæ alicui præponenda sint, id quod magis expetendum sit, potius eligendum erit, quàm id quod minus. Quorum præstantia & laus, præstantiæ laudique aliorum anteponitur, ea etiam anteponẽda sunt, vt amicitia diuitiis. Amicitiæ enim excellentia & gloria, opum excellentiæ & exuperantiæ anteponenda est. Quæ ipsum sibi quisque parare & quærere malit, quàm alterum, ea anteponenda: vt amici opibus. Ex adiunctione hoc modo: Si eidem rei aliquid adiungatur, totúmque melius efficiat, id magis expetendum est. In quo cauendum est, ne ad ea progrediamur, in quibus altero eorum quæ coniunguntur, vtatur id quod vtrisque commune est, vel aliqua alia ei adiumenta afferat, reliquo non vtatur, neque ei sit adiumento: quales sunt cum fabrica, serra & falx coniuncta: quarum serra si coniuncta sit, optanda magis est, cùm magis expetenda non sit omnino. Rursum si quid ad minus additum, maius totum efficiat, magis expetendum est. Quod idem ex detractione effici potest. Quicquid enim est eiusmodi, quo detracto, id quod reliquum est, minus efficitur, id omne anteponendum. Quæque propter se expetenda sunt, iis quæ ad existimationem hominum & opinionem accommodantur: vt valetudo pulchritudini anteponenda est. Illud autem ad iudicium hominum & opinionem dirigitur: quod si nesciant, nullus in eo parando labor impendatur. Quæ etiam propter se expetũtur, & ad hominum commendationem, iis quæ alterius sólùm gratia. Quæque vi sua per se & propter se in maiore pretio & honore sunt, eadem meliora sunt, & magis expetenda. Ea autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

per se in maiore honore sunt & pretio, quæ detracta omni opinione vtilitatis, tamen magis propter se peteremus.

Cap. 2. DIVISIO etiam rerum expetendarum, & quarum causa expetantur, magnam suppeditabit copiam disputandi, vt vtilitatis, vel honestatis, vel voluptatis gratia res omnes expetendas. Quibus enim ad omnia, vel ad plura vtimur, ea iis anteponenda sunt, quibus ad tot res non vtimur. Quòd si in vtrisque eadem reperiuntur, in vtris magis reperiantur, videndum est vtrum iucundiora sint, an honestiora, an vtiliora. Quæ melioris rei causa comparata sunt, eadem magis expetenda: vt quæ virtutis, quàm quæ voluptatis gratia. Eadem ratio est rerum fugiendarum. Fugienda enim sunt magis, quæ res expetendas impediunt: veluti morbus magis declinandus & vitandus est, quàm deformitas, quòd magis nos à voluptate & virtute morbus detorquet. Ex eo etiam argumenta sumuntur, si rem propositã & expetendam & fugiendam esse doceamus. Minus enim expetenda est res eiusmodi, quam expetere æquè ac fugere liceat, quàm altera, quæ tantummodo sit expetenda. Ac comparationes quidē rerum inter se tractandæ sunt, quemadmodum à me præscriptum est. Qui iidem loci valent etiã ad faciendam sine comparatione fidem, quid sit expetendum, quidque fugiendũ. Detrahenda enim modo excellentia & præstantia est, qua alterũ alteri præstat. Si enim quæ in maiore honore sunt & pretio, eadem magis expetenda sunt: certè quæ in honore sunt, & ducuntur gloriæ, eadem sunt expetenda: & si quæ vtiliora sunt, ea magis expetenda, vtilia etiã expetuntur. Quod idem fit in cæteris, quæ comparantur. Sunt autem quædam, ex quorum inter se comparatione statim

vtrunque expetendum esse, aut alterum intelligimus: veluti cùm vnum natura bonum, alterũ minimè dicimus: perspicuum est enim id quòd natura tale sit, esse expetendum. Sumendi sut autē à maiore & minore loci, qui quàm latissimè pateant: sic enim ad plura concludenda valebũt. Possunt autem quidã ex iis locis, quos exposuimus, generaliores effici, si parua nominum fiat mutatio, veluti quod natura tale vel tale est, eo est magis tale, quod non est tale vel tale natura. Ex duobus si vnũ efficit, alterum non efficit tale vel tale, id quod ipsum habet, aut in quo inest, magis tale est, quod interdum facit, quàm quod non facit. Sin vtrunque vim efficiendi habeat, id quod plus efficit, & magis tale vel tale est. Et si ex duobus vnum magis superet tertium quippiam, quàm alterũ. Si è duobus vnũ magis tale vel tale sit, quàm quod tale est: alterum magis quàm quod non est eiusmodi: profectò primum in eo genere vincat necesse est. Ex coniunctione idem efficitur. Si quid ad eandem rem addatur, totumq; magis tale vel tale efficiat. Et si quid ad rem additũ quæ minus sit eiusmodi, totã magis talem reddat. Itémque detractione. Nam si quid detrahatur ab aliquo, ex eóque, quod reliquum est, minus tale vel tale existat, id in eo genere præstat. Quæ mixta coniunctáque sunt minus cum contrariis, ea magis talia vel talia: veluti id albius est, quod minus admixtũ habet nigrorem. Præter illos autē locos, qui suprà enumerati sunt, hic alius est locus. Quod sibi magis rei de qua agitur verã asciscit definitionem, velut si candoris hæc sit definitio: Color aspectum oculorum diuidens, is albior color erit, quo magis dispertit aspectum. Quòd si quæstio non generalis, sed quæ subiecta sit generi tanquam pars ponatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

primùm loci qui expositi sunt ad confirmandum vel reprehendendum, omnes valent plurimum. Si quid enim omnino & totum confirmemus aut refellamus, etiam partem ostendimus: propterea quòd si quid in toto genere reperiatur, etiam in parte: & si in nulla parte, in aliqua intelligi non potest. Aptissimi autem sunt loci, latissiméque patent ij, qui ex contrariis coniugatisque sumuntur. AEquè enim probabile est effari, si omnis voluptas sit in bonis, etiam dolorem omnem in malis esse: ac si qua voluptas sit bonum, aliquem etiam dolorem esse in malis. Et si quis sensus non sit vis & facultas, sequitur, vt sensus priuatio non sit imbecillitas. Et si quod opinabile est, scientiæ subiectum sit, sit vt quædam opinio sit scientia. Rursum si qua res iniusta sit in bonis, aliqua etiam res iusta sit in malis necesse est: & si quid eorum quæ iniustè fiunt, malum est, aliquid etiam eorum quæ iustè fiunt, erit bonum: & si quid eorum quæ iucunda sunt, in rebus fugiendis sit, aliqua etiam voluptas fugienda. Eodémque modo, si quid eorum quæ iucunda sunt, vtile sit, aliqua etiam voluptas erit in bonis. Quod idem in iis quæ vim interimendi habent, & in ortu & interitu contingit. Si quid enim quod vim habeat interimendæ voluptatis & scientiæ, in bonis est, sit etiam necesse est aliqua voluptas & scientia in malis. Itémque si aliquis interitus scientiæ sit in bonis, aut ortus in malis, erit in malis aliqua scientia: vt si obliuio flagitiorum alicuius in bonis, aut recordatio in malis numeretur, certè & cognitio flagitiorum alicuius in malis ducitur. Quod idem in cæteris contingit, propterea quòd eadem ratio verisimilitudinis valet in omnibus. Idem ex maiore, minore & pari efficitur,

hoc modo: Si quid eorum quæ ex alio genere sunt, magis tale vel tale sit, illorum autem nihil sit, efficitur vt id quod propositum est, non sit eiusmodi: vt si qua scientia bonum sit potius quàm voluptas, nec vlla sit in bonis scientia, ne voluptas quidem in iis numerabitur. Similiter ex pari & minore licebit confirmare & refellere, nisi quòd ex pari vtrunque efficietur, ex minore constituere solùm, non etiam destruere. Si enim pari ratione vis aliqua in bonis sit & scientia, sit autem vis aliqua in bonis, etiam scientia erit. Sin nulla vis & facultas, ne vlla quidem scientia. Si autem minore ratione vis aliqua bonum sit, quàm scientia, sitque vis aliqua bonum, etiam scientia: Sin nulla vis in bonis ducatur, non necesse est nullam etiam scientiam duci in bonis. Ex quo perspicuum est, locum ex minore solùm vim habere ad probandum. Non solùm autem ex comparatione eorum, quæ sunt diuersorum generum, argumentum duci potest, sed ex eodem etiam genere, si quis sumat quod sit in eo genere maximè tale: vt si qua ponatur esse in bonis scientia, probatúmque sit non esse in bonis prudentiam, nulla alia numerabitur: quippe cùm ne ea quidem quæ maximè videatur. Ex fictione idem efficitur, si id antè conueniat, pari ratione si cui conueniat, etiam omnibus conuenire, aut non conuenire: vt si hominis animus sit immortalis, etiam cæterorum. Quòod si non hic, ne cæterorum quidem esse. Si igitur in quæstione positum sit alicui conuenire, non conuenire alicui docere debemus. Sic enim illud consequens erit ex fictione nulli conuenire. Quòd si cui non conuenire ponatur, probandum est alicui conuenire: sic enim illud consequens erit conuenire omnibus. Illud autem perspicuum est,

eum qui ex huiusmodi fictione argumentum ducit, ad generalem reuocare quæstionem, quæ in parte proposita est: eum enim vult, qui partem concedat, totum etiam concedere: quandoquidem si vni, pari ratione æquum putat conuenire omnibus. Ac infinitæ quidem quæstiones vno modo euerti, refellique possunt: vt si voluptatem bonum esse dixerit, aut non esse bonum, neque aliud quicquam exposuerit. Nam si voluptatem aliquam in bonis esse dixerit, nullam esse omnino probandum est, si rem propositam velit euertere. Item si voluptatem aliquam non bonam esse enunciarit, omnino demonstrandum est omnem esse: aliter enim non potest reprehendi. Nam si voluptatem aliquam non esse bonum, aut esse doceamus, nondum proposita res reprehensa est. Ex quo perspicuum est, rem infirmari vno modo posse, confirmari duobus. Siue enim omnino doceamus omnem in bonis voluptatem duci, siue aliquam, res confecta erit. Itémque si opus sit ostendere aliquam voluptatem non esse in bonis, si nullum esse doceamus, aut aliquam non esse, vtrum effecerimus, aliquam in bonis non esse voluptatem docuerimus. Definita autem quæstione, duo ad refellendum loci suppetent, vt si quis ponat in nobis voluptatem aliquam esse, aliquam non esse: siue omnis in bonis esse doceatur, siue nulla esse, res proposita infirmata erit. Quòd si vnam tantummodo in bonis voluptatem posuerit, tribus modis id poterit refelli. Si enim omnem esse, vel nullam, vel plures docuerimus, rem propositam euerterimus. Si verò quæstio definita expositáque sit pluribus, veluti prudentiam solam ex virtutibus esse scientiam, ad id reprehendendum quatuor modis instructi erimus. Nam si doceamus omnem virtutem scientiam esse, aut

nullam, aut etiam aliam, veluti iustitiam, aut ipsam prudentiam non esse scientiam, euersum erit id de quo agitur. In quo vtile erit, quid cuique rerum singularum quæ continentur sub specie de qua quæritur, accidat, aut non accidat, videre: quemadmodum de generalibus quæstionibus tradidi. Genera etiam videnda sunt diligenter, eáque in partes, vt dixi, vsque ad indiuidua, tribuenda. Siue enim in toto genere videatur inesse, siue in nulla parte, postquam in singulis rebus aliquot ita rem habere docueris, petendum est vt omnino, totúmque concedat, aut certè occurrat in quo non ita reperiatur. Postremò quibus in rebus diuidi in specie diuersa aut numero potest accidens, facta eius diuisione, nunquid conueniat videndum est: vt tempus non moueri, aut non esse motum, si probare velimus, quot sint genera motus docendum est. Si enim nullum eorum conueniat tempori: tempus certè non mouetur, nec motus est. Itémque animum non esse numerum licebit docere, diuisione adhibita, omnem numerum aut parem esse aut imparem. Nam si animus neque par, neque impar sit, profectò esse numerus nullo modo potest. Ac ex his quidem locis argumenta ducenda sunt & depromenda ad confirmandum vel refellendum accidens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS TOPICORUM Liber quartus.

Cap. 1.

DEinceps quæ ad genus & proprium pertinẽt, videamus. In iis autẽ elementa definiendi tradẽtur: illa autem ipsa rarò in disputationẽ incidunt. Si igitur ponatur genus alicuius eorũ quæ sunt, primùm videndum est an de aliquo eorũ quæ illi cognata sunt, & vicina, maximè dicatur, vt sit in accidentibus: vt si voluptatis genus bonũ statuatur, an aliqua voluptas nõ sit in bonis, videdũ erit. Nã si ita fiat, certè voluptatis bonũ non est genus: quippe cùm genus in formis omnibus quæ sub ipsum subiectæ sunt, intelligatur. Deinde cõsiderandum est, an in quæstione qua quid sit res exquiritur, minimè dicatur, sed vt accidens: vt id quod album est, de niue: aut de animo, id quod pulsu suo & interiore agitatur. Neque enim idem nix est quod albũ aliquid. itaque non est id quod albũ est, niuis genus, nec animi id quod à se mouetur: accidit enim ei vt moueatur, quemadmodum sæpe animali vt ambulet. Præterea quod à se mouetur, non quid est, sed facere aut pati indicat. Itemq; id quod album est, non naturam niuis significat, sed qualitatẽ. Ita neutrum eorum in naturæ quæstione dicitur. Maximè verò an definitio accidẽtis in id genus quod datum est, cõueniat, spectare debemus. Nam vt in eo exemplo, quod modò protuli, permaneam, fieri potest vt aliquid seipsum & moueat & non moueat. Itémque vt album sit aliquid & non album: ex quo efficitur, neutrum eorum genus esse, sed accidens: quandoquidem accidens diximus esse,

id quod & conuenire alicui potest, & non conuenire. Iam illud etiam videndum est, an non in eadem diuisione genus & species numerata sint: vnúmque eorum ad substantiam, alterum ad qualitatẽ: aut illud ad ea quæ cum aliquo conferũtur, hoc ad qualitatem pertineat: veluti nix & cygnus ad substantiam: id autem quod album est, non ad substantiam, sed ad qualitatem pertinet. Ita id quod albúm est, nec niuis genus est, nec cygni. Rursus, quoniam scientia in iis est quæ cum aliquo conferuntur, bonum autem & honestum in qualitate, sit, vt honestum aut bonum non sit genus scientiæ, præsertim cùm eorum quæ cum aliquo conferuntur genera, etiam ipsa in eodem genere esse debeant. Id quod in duplo cernere licet. Nam cùm multiplum dupli sit genus, ipsum etiam in iis est quæ cum aliquo conferuntur: atque vt summatim dicam, eidem diuisioni, cui species, genus subiici debet. Siue enim species substantia sit, etiam genus: siue qualitas sit species, etiam genus qualitas sit necesse est: vt si candor ad qualitatem referatur, color etiam refertur. Quod etiam sit in cæteris. Præterea videndum est, an necesse sit, aut positne genus eo participare quod in genere positum est. Definitio autem participandi est, eius quod communicatur, recipere definitionem. Ex quo perspicuum est, species generum participes esse, genera formarum non esse, quandoquidem generis cum specie communicatur definitio, speciei cum genere non item. Illud ergo videndum est, genúsne id de quo agitur, particeps sit, an possit esse speciei particeps: vt, si quis eius quod est, aut vnius aliquod genus tradat. Ita enim fiet, vt particeps sit formarum genus: quoniam in rebus omnibus quæ sunt, id quod est & vnum in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

telliguntur: ergo etiam eorum definitio. Illud etiam, an species data & proposita in aliqua re verè dicatur, genus non dicatur: veluti si id quod est, aut quod sciri potest, opinabilis ponatur genus. de his enim rebus, quæ nullæ sunt, opinabile dicitur: quoniam multa eorum quæ nulla sunt in opinione considunt: Id autem quod est, aut quod scientia comprehenditur, de iis quæ nulla sunt, vt perspicuum est, non dicuntur. Ex quo fit vt neque id quod est, neque id quod scientia comprehenditur, sit genus opinabilis: præsertim cùm in quibus species dicitur, genus quoque dici debeat. Præterea illud etiam considerandum est, an nullius formæ id quod positum est, in genere particeps esse possit: fieri enim non potest, vt generis sit particeps, id quod nullius formarum est, nisi fortè aliquid eorum sit, quæ in diuisione prima formarum collocantur, quæ omnia genere tantummodo participant. Si igitur motus ponatur voluptatis genus esse, an neque interitus, neque commutatio, neque vllus motus alius eorum qui eodem genere continentur, voluptas sit, videndum est. Perspicuum est enim, nullius formæ recipere posse communionem, ita ne generis quidem: quandoquidem id necesse est, quod generis est particeps, alicuius etiam particeps esse formarum. Ita fit, vt motionis species voluptas esse non possit, neque indiuiduorum, neque eorum quæ subiecta sunt sub specie motionis: quandoquidem generis speciesque cum indiuiduis definitio communicatur, vt certus homo, & hominis particeps est, & animalis. Præterea illud etiam videdum est, an id quod positum est in genere, in pluribus quàm genus intelligatur: vt opinabile in pluribus quàm id quod est, dicitur. Etenim id quod est, & quod non est, in

opinione considit. Ita opinabile, eius quod est, species esse nullo modo potest. Sæpe enim ad plura genus, quàm species pertinet. Itémque illud, an genus in totidem rebus quot forma dicatur: vt si eorum quæ res omnes consequuntur, vnum genus, alterum species statuatur, qualia sunt id quod est, & vnum. Omnibus enim in rebus, id quod est, & vnum, intelliguntur. Neutrum igitur alterius esse genus potest, quandoquidem in rebus paribus æqualibúsque dicuntur. Quod etiam fiet, si quod primum est & principium, alterum alterius genus esse statuatur. Nam & initium primum est: & quod primum est, id initium. Ita si vtrunque idem valet, certè neutrum alterius genus futurum est. In quibus omnibus illud initium & quasi elementum nobis propositum esse debet, Genus ad plura, quàm speciem differentiamque pertinere. Pauciora enim quàm genus, etiam continet differentia. Animaduertendum etiam est, an id quod pro genere adhibitum est, non est genus alicuius eorum quæ specie non differunt, an etiam non possit videri. Is quidem qui rem confirmabit, sitne cuiusquam videbit. Est enim omnibus iis quæ specie non differunt, idem datum genus: quod si vnius docuerit esse, profectò omnium esse ostenderit: sin vnius non esse docuerit, certè nullius docuerit: vt si quis indiuiduas lineas ponat, dicátque earum genus esse id quod secari non potest. linearum enim earum quæ diuidi possunt, non est genus id quod datum est, cùm specie non differant: quandoquidem rectæ lineæ omnes specie non differunt. Cap. 2.

ILLVD etiam, an sit aliud aliquod genus eius speciei quæ data est, quod nec genus propositum contineat, neque sub illud subiectum sit, vt si quis iustitiæ genus esse scietiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ponat. quoniam enim genus est etiam virtus, neutrúmque genus alterum continet, scientia genus esse iustitiæ nullo modo potest. Cùm enim species vna duobus generibus subiecta est, tum alterum altero continetur. Quanquam de nonnullis quæstio est. nonnullis enim & virtus & scientia prudentia videtur esse, nec alterum genus altero contineri: non tamen omnium consensu prudentia scientia est. Quòd si quis id quod dixi verum esse concedet, at certè alterum alterius genus esse, aut sub eodem genere vtrunque subijci, quod eidem genus sit necesse est: quod & in virtute, & in scientia contingit: vtrunque enim eidem generi subiectum est, quippe cùm eorum vtrunque habitus sit & affectio. Illud igitur videndum est, an neutrum generi proposito conueniat: quoniam si nec alterum altero continetur, nec vtrunque eodem, certè id quod propositum est, esse genus nullo pacto potest. Spectandum etiam genus est propositi generis, & semper id genus quod suprà est, omniane illa de specie dicantur, & in quæstione naturæ intelligantur. De specie enim in quæstione naturæ genera quæ suprà sunt, dici debent omnia. Quòd si cubi hæc non constet ratio, profectò id quòd propositum est, non est genus. Iam illud etiam considerandum est, an speciei cum genere, aut cum aliquo genere eorum quæ suprà sunt, communicetur definitio. Quod enim genus suprà est, nullius eorum quæ infrà sunt, definitione participat. Ac ei quidem qui partes infirmandi obtinet, ita vt dixi, hic tractandus locus est. Ei autem qui probabit rem, si speciei genus propositum conuenire constiterit, in dubium autem veniat, an vt genus conueniat, satis erit aliquod eorum generum quæ suprà sunt, dici de specie in quæ-

stione qua quid quicque sit exquiritur, docere. Etenim si vnum aliquod in illa quæstione dicatur, certè omnia & quæ hoc priora antiquioráque sunt, & quæ posteriora: siquidem de specie dicantur, in naturæ quæstione dicentur: ex quo efficitur, id genus quod datum sit, in eadem quæstione dici. Quòd si vnum in naturæ quæstione dicatur, cætera etiam omnia, siquidem dicantur, in eadem dictum iri quæstione, inductione concludendum est. Sin an omnino genus propositum speciei conueniat, in controuersia versetur: non satis est docere, vnum aliquod genus eorum quæ suprà sunt, in naturæ quæstione dici de specie: velut si quis ingressui genus dederit delationem, non satis est ingressum esse motionem docere, ad probandum ingressum esse delationem, quandoquidem alia sunt etiam motionum genera: sed antè docendum est, ingressum nullius eorum quæ in eadem diuisione, qua delatio, collocantur, nisi delationis retinere definitionem. Quod enim particeps est definitionis generis, id alicuius etiam formarum quæ prima partitione continetur, definitione participet necesse est. Quod si ingressus, nec accretionis, nec imminutionis, neque aliarum motionum sibi definitionem vendicet, profectò delationis vendicet necesse est: ita ingressus delatio genus erit. Præterea in quibus species posita vt genus dicitur, considerandum est, an etiam genus quod datum est in quæstione naturæ de iis, de quibus etiam forma, dicatur: itémque an quæ supra genus sunt omnia. Nam si quo loco hoc non conueniat, certè id quod datū est, generis nomen non obtinebit. Etenim si genus esset, omnia & quæ suprà sunt, & ipsum illud in naturæ quæstione dicerentur, quēadmodum etiam species in ea quæstione

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur. Commodum igitur erit ei qui refellendi partes obtinebit, non dici genus in quæstione qua quid sit quæretur, de iis omnibus de quibus etiam forma dicatur: at ei qui confirmabit in ea dici quæstione. Ita enim efficietur, & genus & formam de eodem in quæstione naturæ dici: ex quo consequens erit, idem duobus generibus esse subiectum. Alterum igitur altero contineatur necesse est. Quòd si demonstratum sit, id genus quod constituere volumus, non esse subiectum sub specie, profectò species sub eo subiecta erit. Ita ostensum erit, generis id nomen obtinere. Videndum etiam est, an speciei propositæ, iisque, quibuscum species communicatur, generum conueniat definitio. Necesse est enim in specie, iisque omnibus quæ specie participant, generum dici definitiones. Quod si quo loco non conueniat, certè quod datum est, generis nomen non obtinet. Illud etiam, num differentiam pro genere adhibuit: vt si immortale genus dei dixerit. Est enim animantium differentia, immortale: quandoquidem animantium alij sunt mortales, alij immortales. ex quo perspicuum est in errore illum esse versatum, quoniam nullius rei genus differentia est. Quod verum esse ex hoc intelligi potest, quia differentia quid res sit non indicat, sed potius quale quid sit, quemadmodum gradiens & bipes. Illud etiam, an differentiam in genere quasi speciem posuerit, vt si quis impar speciem numeri dixerit: differentia enim numeri est impar, non species: nec differentiæ generis est particeps, præsertim cum quicquid generis est particeps, id vel species sit, vel individuum: & differentia nec speciei nec individui nomen obtineat omnino. Ita fit vt generis non sit particeps differentia. Non igitur impar species est, sed differentia, quandoquidem non est particeps generis definitionis. Præterea illud etiam considerandum est, an genus in formarum numerum retulerit: vt contiguitatem idem esse quod continuationem: aut permixtionem idem quod temperationem: aut, vt Plato definit, delationem, loci mutationem: neque enim necesse est contiguitatem continuationem esse: sed contrà, continuationem contiguitatem esse necesse est: quippe cùm non omne quod coaptatur continuetur, sed quod continuatur aptatur. Quod idem sit in cæteris: neque enim confusio omnis temperatio est: quoniam siccorum permixtio non est temperatio: nec mutatio loci omnis, delatio. Ingressus enim delatio non videtur esse, propterea quòd in iis tantummodo quæ vi, non sponte & voluntate sua locum mutant, dicitur: id quod in rebus inanimis cõtingit. Ex quo intelligitur, speciem, quam genus, in pluribus dici in iis quæ data sunt, cùm contrà necesse sit fieri. Videndum etiam illud est, an sub formarum aliquâ differentiam collocarit: veluti si immortale idem esse quod deum dixerit. Ex eo enim consequens erit, id quod inferius est specie, in paribus aut pluribus dici specie: semper enim in paribus rebus, aut in pluribus quàm species differentia dicitur. Etiam illud, an genus sub differentia quasi speciem reposuerit, vt colorem sub eo quod vim habet ad aspectũ oculorum comparãdum, vel numerum sub impari. Itémque illud, an genus dixerit differentiam. Fieri enim potest, vt aliquis hoc propositum afferat & inducat, tẽperationis differentiã esse confusionem, aut delationis, loci immutationẽ. Atque hæc omnia ex iisdem locis, quoniã inter eos communio est & societas quædã, intelligenda sunt. Nam & genus in pluribus dici debet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm differentia, & differentiæ non esse particeps: quòd si ita, vt in superioribus exemplis, genus detur, neutrum eorum quæ exposuimus, accidere potest. Sic enim & in pau-
21 cioribus dicetur genus, & participabit differentia. Præterea illud intelligendum est, si differentia nulla earum quæ generi subiectæ sunt, de specie quæ data sit, dicatur, ne genus quidem dictum iri: nam quoniam de animo nec impar
22 nec par dicitur, eo fit, vt ne numerus quidem. Iam verò si species sit prior naturæ ordine, & genus vnà secum tollat
23 & euertat, nam id contra fieri debet: quod idem fit, si species genus expressum & propositum, aut differentiam potest relinquere, vt animus motum, aut opinio verum & falsum, neque enim alterum eorum genus potest esse, aut differentia, quoniam quandiu species est, eam & genus & differentia sequuntur.

Cap. 3. Atque etiam illud videndum est, an id ipsum quod po-
24 situm est genus esse alicuius, particeps sit definitionis contrarij generis, aut esse possit: sic enim eadem res simul contrariorum poterit esse particeps, propterea quod species nunquam genus prætermittit: & contrarij est aut potest esse
25 particeps. Illud etiam, an cum specie aliquid communicetur, quod iis quæ subiecta generi sunt, conuenire non possit omnino: vt si animus vitæ est particeps, nec vllus numerus possit viuere, certè animus esse numeri species nullo modo po-
26 test. Illud etiam videndum est, an species multis variisque modis cum genere collata dicatur. In quo ex locis eorum quæ multis modis dicuntur, quos exposuimus, argumenta nobis
27 suppetent. Sunt enim genus & species synonyma. Cùmque omnium generum multæ sint formæ ac species, consider an-

dum est, an possit alia species esse illius generis quod datum est. Nam si non sit alia species, profectò id quod propositum
28 est, in numero generum non est habendum omnino. Illud etiam, an quod per translationem dicitur, pro genere sit positum: veluti si quis temperantiam concordiam concentúmque dixerit. Nam cùm genera omnia propriè de formis dicantur, concentus de temperantia non propriè, sed per translationem dicitur: quandoquidem concentus omnis in sonis
29 cernitur. Iam verò an aliquid speciei contrarium sit, videndum est: qui sanè locus multis modis tractari potest. Primũ, si in eodem genere etiam contraria reperiantur, cùm interim nihil sit generi contrarium. In eodem enim genere contraria inesse debent, si nihil generi sit contrarium. Quòd si quid
30 contrarium sit generi, an contrarium in contrario sit, videndum est. Contrarium enim, si quidem sit generi aliquid contrarium, in contrario necesse est esse. quæ omnia ex inductione intelligi licet. Præterea illud etiam, an in nullo om-
31 nino genere id insit, quod speciei contrarium est, sed genus ipsum sit: quale est bonum. Nam si illud in genere non reperiatur, nec contrarium quidem eius in genere reperietur, sed ipsum in generum numero habebitur. Quod in bono malóque contingit: quorum neutrum ad genus refertur vllum, sed vtrunque eorum genus est. Illud etiam, an contrarium
32 & genus sit alicui & species, & quibus aliquid est interiectum, & quibus nihil est. Nam si quid interiectũ sit generibus, etiam formis est: & si formis, etiam generibus vicissim. Quod in virtute & vitio, iustitia & iniustitia perspici licet: quorum vtrisque aliquid interiectum est. Huic loco occurritur, inter valetudinem & morbũ nihil medium

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, inter malum & bonum aliquid esse. Tum videndum
est, an inter species & genera aliquid interiectum sit, nec eo-
dem modo, sed ita vt inter alia negatio interiecta sit, inter
alia res aliqua subiecta: siquidem eodem modo vtrisque pro-
babile est data esse. Id quod videre licet in virtute & in vi-
tio, & in iustitia & iniustitia, quibus aliqua interiecta est
negatio. Porrò quando non erit generi contrarium, non so-
lum illud videndum est, an contrarium in eodem genere re-
periatur, sed etiam illud quod medium est: quandoquidem
in quo extrema, etiam medium collocatur, quod in candore
& nigrore cõtingit. Nam & eorum & colorum omnium
qui medij sunt & interiecti, color genus est. Cui tamen loco
occurritur. Parum enim & nimium cùm in eodem genere
reperiantur (sunt enim in malis) tamen mediocritas quæ iis
interiecta est, non in malis est, sed in bonis. Illud etiam, an ge-
nus alicui, species nulli sit contraria. Nã si genus alicui con-
trarium est, etiam forma est, veluti virtus & vitiũ, iustitia
& iniustitia. quod idem in cæteris omnibus perspici licet.
Hoc tamen loco nobis occurritur: valetudo enim vniuersa,
morbo contraria est, certus autem morbus, cùm morbi sit spe-
cies, nulli cõtrarium est: vt febris, vt oculorum dolor & sin-
guli alij. Ac ei quidem qui refellendi partes tuebitur, tot mo-
dis hæc videnda sunt: quoniam si ea ipsa quæ exposuimus,
minus reperiãtur, certè quod datum est & propositum, non
est genus. Ei autem qui confirmabit, tribus ex locis ad dispu-
tandum suppetet copia. Primus est, si quod contrarium est
speciei, id in eo genere situm sit quod positum est, cùm interim
contrarium generis minimè reperiatur. Si enim contrarium
ad aliquod genus pertineat, profectò propositum etiam ad

illud genus pertinebit. Alter locus est, si id quod interiectum
est & medium, ad genus propositũ referatur: ad quod enim
genus media, etiam extrema referuntur. Tertio loco, si quid
contrarium est generi, an etiam contrarium sit in contra-
rio, videndum est: si enim sit, profectò propositum etiam ge-
nus sit in proposito necesse est. Cap. 4.

At verò & ei qui infirmabit, & ei qui confirmabit,
à casibus & coniugatis videndum erit, an eodem modo sint
consequentia quæ proponuntur. Nam si semel in vno, etiam
in omnibus intelligetur, aut non intelligetur: veluti si iusti-
tia scientia quædam est, etiam id quod iustè fit, scienter fiat,
& iustus sciens sit necesse est. Quod si nihil eorum sit, ne alio-
rum quidem esse aliquid potest. A simili, hoc modo: Quod
iucũdum est, eandem habet rationem ad voluptatem, quam
id quod vtile est, ad bonum: siquidem vtrunque vtriusque
efficiens est: ita fit, vt si voluptas sit in bonis, etiam id quod
iucundum est, sit in iis quæ vtilia sunt. Perspicuum est enim
boni esse efficiens, quandoquidem voluptas est in bonis. Hoc
etiam modo locus ab origine & ortu interitúque ducitur,
vt si ædificare sit agere, ædificasse etiam erit egisse: & si di-
scere est recordari, certè didicisse recordatum esse erit: &
dissolui, interire est: profectò & dissolutum esse, interisse
erit, & dissolutio aut diremptio, interitus. Eadem est ratio
eorum quæ vim habent ad gignendum & interimendum.
Itémque vis & vsus, omninóque in quauis similitudine, &
is qui refellet argumentationem, & qui confirmabit, eodem
modo perspicere debet, quomodo in loco ab ortu & interitu
exposuimus. Si enim id quod vim habet ad interimendum,
vim etiam habet ad dirimendum, etiam interire erit diri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi: & si id quod vim habet ad gignendum, pertineat ad efficiendum, certè & gigni idem quod fieri erit, & ortus idem quod effectio: quod de vi & vsu eodem modo iudicandum est. Nam si vis affectio sit, etiam posse, affici erit. & si alicuius rei vsus & functio actio sit, profectò & fungi idē quod agere: & functum esse, idem quod egisse valebit. Quòd si priuatio erit id quod speciei contrarium est, dupliciter licebit refellere. Primò quidem, si in genere quod propositum est, id contrarium reperiatur. Aut enim in nullo omnino genere eodem, aut certè non in extremo priuatio est: veluti si affectus in extremo genere sensu insit, certè sensus cæcitas esse non potest. Deinde si & generi & speciei contraria sit priuatio, neque sit contrarium in contrario, ne id quidem genus quod propositum est, in proposito intelligetur. Atque is quidem qui refellit, argumenta sumet, quemadmodum exposui: qui autem confirmabit, vnum tantummodo depromet, hoc modo: Si contrarium in cōtrario, etiam propositum genus in proposito reperiatur necesse est: vt si cæcitas quædam sensus vacuitas sit, etiam affectus sensus sit necesse est. Ab aientibus autē & negātibus, commutato ordine quemadmodum in accidentibus expositum est, argumenta ducenda sunt, hoc modo: Si quod iucundum est, bonum est: quod est non bonum, id non iucundum est: si enim non ita sit, erit aliquid iucundum, quod non est bonum. Fieri autem non potest, vt si bonum genus sit eius quod iucundum est, sit aliquid non bonum iucundum: præsertim cùm in quibus genus non dicitur, ne vlla quidem species in iis dici queat. Hoc quidem modo ei hui confirmabit, ducendum argumentum est. Si quod non bonum est, id non iucundum est: quod iucundum est, in bonis est: ita genus est bonum eius quod iucundum est. Quòd si in iis sit species, quæ cum aliquo conferuntur, an etiam genus in iis sit, videndum est. Si enim species in eorum habeatur numero, quæ cum aliquo conferuntur, etiam genus habeatur necesse est, quod in duplo & multiplo cernere licet: quorum vtrunque in iis est, quæ cum aliquo conferuntur. At verò non si genus ad eā pertineat, speciem etiam pertinere necesse est. Nam & scientia in iis est, & grammatica non item. An ne id quidem quod suprà diximus, verum videri potest: nam cùm virtus in bonis sit, & in rebus honestis, virtúsque in iis quæ cum aliquo conferuntur, tamen nec bonum, nec honestum in iis quæ cum aliquo conferuntur, sed in qualibus. Præterea videndum est, an species non ad idem referatur per se, & generis ratione, vt si duplum simpli dicitur duplum, etiam quod multiplum est, ad simplum referri debet, sin minus, certè multiplum esse genus dupli nullo modo potest. Itémque illud, an minimè ad idem referatur & generis & omnium generum superiorum ratione: si enim duplum sit simplici multiplum, erit etiam duplum exuperans simplum, omninóque omnium generum quæ suprà sunt ratione ad simplum referetur. Quanquam huic loco occurritur: propterea quòd non necesse sit ipsum per se, & generis nomine cum eadem re conferri. Nam cùm scientia ad rem quæ scientia comprehenditur, referatur, tamen habitus & affectio non ad rem quæ sub scientiam cadit, sed ad animum pertinet ac refertur. Illud etiam, an genus & species iisdem casibus explicentur: vt an alicui tribuatur, an verò alicuius sit, aut alióne modo dicatur. Eadem enim est ratio speciei & generis.

Id quod sit in duplo, iisque omnibus quæ suprà sunt. Alicuius enim rei & duplum & multiplū, duplum multiplúmque dicitur: quod eodem modo de scientia iudicandum est. Alicuius enim scientia, & ipsa scientia, & genera, vt affectio, vt habitus esse dicuntur. Occurritur tamen interdum, non ita rem habere, propterea quòd differēs & contrarium alicui contrario dicitur, cùm interim diuersum quod illorum genus est, non alicui diuersum, sed ab aliquo dicitur. Diuersum enim quid ab aliquo nominatur. Rursum, illud videndum est, an ea quæ cum aliquo conferuntur, iisdem casibus explicentur, miniméque reciprocentur eodem modo: vt sit in duplo & multiplo, quorum vtrunque alicuius & ipsum & cùm vicissim reciprocatur, dicitur. Nam & simplum & subduplum, alicuius rei simplum & submultiplum appellatur: quod idem in scientia & opinione contingit, quæ alicuius esse dicuntur. Itémque reciprocantur. Nam quod sub opinionem cadit & scientiam, eodem modo in ablatiuo cum scientia & opinione reciprocatur: ex quo fit, vt si in aliquo non vicissim respondeat alterum alteri, non sit futurum genus. Illud etiam videndum est, an in hoc ipso genere quod tractamus, genus & species paribus casibus explicentur, quoniam iisdem, paribúsque casibus vtrunque dici debet, quod sit in dono & largitione. Nam & donum, alicuius donum, & alicui dono datum esse dicitur: & largitio, alicuius largitio, & alicui facta largitio dicitur: quorum largitio genus doni est. Est enim donum, largitio quæ reddi non debet. Quanquam nonnulla sunt in hoc genere, quæ paribus casibus non efferantur. Duplum enim alicuius duplum est: quod autem vincit, & maius est, & aliqua re

maius est, & aliqua magnitudine maius est. Quicquid enim præstat, id excellentia aliqua præstat, & alicui rei præstat. Ita non sunt genera dupli, quæ proposita sunt: quandoquidem paribus casibus ea & species non exprimuntur: aut certè non omnino verum est, speciem & genus paribus casibus efferri. Atque etiam illud videndum est, vt contrarij contrarium genus sit, vt dupli multiplum, & simpli submultiplum: contrarium enim contrario genus esse debet. Quòd si quis scientiam ponat esse sensum, id etiam quod sub scientiam cadit, sub sensum cadere oportebit. Non ita est: neque enim omne quod scientia comprehenditur, mouet sensum: cùm præsertim quædam eorum quæ intelligentia & ratione continentur, subiecta sint scientiæ. Ita non est genus eius quod scientia comprehenditur, id quod sub sensum cadit: quod si ita non est, ne sensus quidem scientiæ genus est. Quoniam autem eorum quæ cum aliquo conferuntur, partim necesse est in iis sita esse quibuscum conferuntur, vt affectio, vt habitus, vt apta compositio membrorum, quæ in nullo alio possunt inesse, quàm in iis ad quæ referuntur: partim non est necesse in iis sita esse ad quæ pertinent: potest tamen, vt ita sit, euenire: (vt si animus est, qui scientia contineatur, nihil prohibet animum sui continere scientiam, & tamen non est necesse: cùm præsertim fieri possit, vt hæc ipsa in alio sita sit) partim non possunt in iis inesse omnino ad quæ referuntur, vt contrarium in contrario esse non potest, neque scientia in eo quod subiectum est scientiæ, nisi cùm animus aut homo ea sunt quæ sub scientiam cadunt. Illud videndum est, an aliquis ad aliquod genus eiusmodi quippiam retulerit, quod non est eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

generis: vt si quis memoriam retentionem scientiæ dixerit. Omnis enim retentio in eo sita est quod retinet. Ita fit, vt scientiæ retentio in scientia sita sit. memoria igitur in scientia sita erit: quãdoquidem scientiæ retentio est: quod fieri non potest. Omnis enim memoria in animo sita est. Hic autem locus ad accidens referri potest: nihil enim interest, vtrum memoriæ genus sedem & retentionem dicamus, an ei hoc accidisse: quoniam si quouis modo memoria retẽtio sit scientiæ, eadem ei attribuetur ratio.

Cap. 5. ILLVD etiam intelligendum est, si quis habitum pro actione dixerit, aut actionem pro habitu, eorum neutrum esse genus: vt si quis sensum, motum corporis dixerit: est enim sensus habitus, motus autem actio. Quod idem fiet, si memoriam habitum continendæ opinionis appellauerit: nulla enim memoria habitus est, sed potius actio. Errant etiam ij, qui habitum statuunt esse vim quæ consequens est ex habitu, vt clementiam iræ continentiam, & fortitudinem atque iustitiam, metus lucrique continentiam. Nam & fortis cleménsque vacuus à perturbatione dicitur: & continens is qui est in perturbatione, neque ab ea vincitur. Ac vis quidem ex vtroque talis fortasse consequitur, vt si sit in perturbatione, non ab ea vincatur, sed eam vincat: sed tamen fortem aut clementem esse, non est hoc se modo continere, sed nihil omnino ab iis perturbationibus agitari. Interdum etiam quod ex re qualibet consequens est, id pro genere dicunt, vt dolorem, iræ genus, & fidei opinionem. vtrunque enim eorum cum ex formis propositis quodammodo consequatur, neutrum tamen in numerum generum venit: qui enim irascitur, dolet ille quidem, sed ita vt dolorem ante esse

quàm iram intelligamus, quandoquidem non ira doloris, sed dolor iræ causa est: ex quo efficitur, vt ira non sit dolor omnino. Ex quibus etiam intelligi potest, fidem non esse in opinione. Fieri enim potest, vt is etiam qui nõ fidem habeat, eandem habeat opinionem: quod fieri non posset, siquidem fides esset opinionis species. Non enim fieri potest, vt idem etiam permaneat aliquid, si ex specie omnino aut genere in genus transferatur: quemadmodum fieri non potest, vt aliquid sit idem animal, & aliàs homo sit, aliàs non sit. Quòd si quis contendat, necesse esse eum qui opinetur, etiam credere, idem paria esse & æquè patere opinionem ac fidem fatebitur. Ita non erit genus, quoniam genus ad plura debet pertinere. Illud etiam videndum est, an in aliquo eodem vtrunque inesse possit. In quo enim genus inest, etiam species: vt in quo cãdor existit, etiam color: & in quo grammatica, etiam scientia solet existere. Si quis igitur verecundiam metum esse dicat, aut iram dolorem non efficietur vt in eodem genus speciésque intelligantur. Est enim verecundia in ea parte animi sita, quæ rationis est particeps, metus autem in ea in qua irarum existit ardor, & dolor in ea in qua cupiditates versantur: quoniam in ea etiam voluptatis est sedes: ira verò, in qua ira versatur. Ex quo efficitur non esse genera ea quæ proposita sunt, quandoquidem non in eo ipso insunt in quo species & formæ. Itémque si amicitia in ea sit parte in qua voluptates habitant, non erit voluntas aliqua, præsertim cùm voluntas omnis in ea parte sita sit, quæ rationis est particeps. Valet etiam hic locus ad subiecta & accidentia: in quo enim accidens situm est, etiam id cui conuenit, situm est: ita fit vt si in eodem nõ existant, non sit acci-

deps. Illud etiam, an quadã ex parte cum ſpecie genus quod datum eſt, communicetur. Non enim quadam ex parte genus communicatur: quippe cùm homo non ſit quadam ex parte animal, nec grammatica aliqua ex parte ſcientia: quod idem in cæteris contingit. Illud ergo conſiderandum eſt, an quædam cum genere quadam ex parte communicentur: veluti ſi animal cadere ſub ſenſum, aut aſpectabile quoddã eſſe dictum eſt. Animal enim & ſub ſenſum & ſub aſpectum quadam ex parte cadit: quandoquidem corpore ſenſum & aſpectum mouet, animo autem nõ mouet. ex quo ſequitur non eſſe genera animalis, aſpectabile, & quod ſenſum mouet. Fallũtque nos interdum ij qui totum ad partem transferũt, veluti animal ad corpus animatum: atqui pars in toto nullo modo dicitur: ~~non eſt igitur corpus genus~~ animalis, quandoquidem pars eius eſt. Atque illud etiam ſpectandum eſt, num quid eorum quæ vituperanda & fugiẽda ſunt, ad vim, aut ad id quod aliquid poteſt, relatum ſit: vt ſi ſophiſtam eum ſtatuerit aliquis, qui poteſt parare pecunias ſapiẽtia, quæ in eo videtur exiſtere, aut calumniatorem eum, qui poteſt calumniari, & ex inimicis inimicos facere: aut furem eum, qui poteſt clàm aliena furari: nemo enim eorum quos expoſuimus, eiuſmodi appellatur ex eo quòd poſsit aliquid eorum efficere: quandoquidem & deus poteſt, & vir bonus quæ mala ſunt, efficere, cùm interim non ſint eiuſmodi. Omnes enim improbi ex animo & voluntate nominantur. Præterea omnis vis & facultas in numero expetendorum habentur: etenim malorum vis expetenda eſt. Itaque deum & viros bonos iis ipſis præditos eſſe dicimus. Eos enim fatemur res malas & flagitioſas agere poſ-

ſe. Ita ſit vis, nullius rei, quæ quidem vituperanda ſit, genus poſsit eſſe. Sin ſecus, certè efficietur, vt aliquid eorum quæ vituperanda ſunt, ſit expetendum. Sic enim vis aliqua vituperanda erit. Itémque illud videndum eſt, an aliquid eorum quæ propter ſe & per ſe honorabilia ſunt, aut expetenda, ad vim & facultatem, aut adid quod poteſt aliquid, aut quod efficiens eſt, relatum ſit. Vis enim omnis, & quicquid aliquid poteſt, aut efficiens eſt, id omne propter aliud expetendum eſt. Aut, an aliquid eorum quæ duplex habent genus, aut plura, ad alterum retulerit. Sunt enim quædam quæ ad vnum genus referri non poſſunt, quo in genere ſunt impoſtor & caluniniator. neque enim is calumniator aut impoſtor habendus eſt, qui vult, nec poteſt, neque is qui poteſt, neque vult, ſed is demum in quo vtrunque horum ineſt. ex quo efficitur, ea quæ poſita ſunt, non in vno genere, ſed in vtroque eſſe collocanda. Iam verò contrà interdum genus pro differentia, & differentiam pro genere dicunt: vt ſtuporem magnitudinem admirationis, & fidem ſtabilitatem opinionis. neque enim magnitudo, neque firmitas & ſtabilitas, generis, ſed differentiæ nomine appellari debent: quoniã & ſtupor admiratio eſt nimia, & fides firma opinio. ex quo perſpicuum eſt, & admirationem genus eſſe, & opinionem: magnitudinem verò nimiam & firmitatem, eſſe differentiam. Præterea ſi quis exuperantiam & firmitatem pro genere explicauerit, efficietur vt res inanimæ & fidem habeant & conſternentur. Nam quoniam ineſt vniuſcuiuſque rei firmitas & magnitudo, aut exuperantia in eo cuius eſt firmitas & exuperantia, certè ſi ſtupor exuperantia eſt admirationis, ſtupor inerit in admiratione: ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

obſtupeſcet admiratio, itémque fides erit in opinione, ſiquidem firmitas opinionis eſt, ex quo efficitur opinionem credere. Conſequens etiam erit, vt is qui iſto pacto de genere ſentiet, firmitatem firmam exuperantiámque nimiam eſſe fateatur: quandoquidem fides aliqua firma eſt. Si igitur fides firmitas ſit, certè firmitas firma futura eſt. Itémque quoniam ſtupor aliquis nimius eſt, ſi ſtupor exuperantia ſit, erit nimia exuperantia: quorum neutrum verum eſt, quemadmodum nec ſcientia id eſt, quod ſub ſcientiam cadit, neque motus id quod mouetur. Errant etiam interdum ij qui affectionem eius faciunt ſpeciem, cuius eſt affectio, quales ſunt ij que immortalitatem vitam ſempiternam eſſe deſiniunt. Eſt enim affectio quædam, aut certè comes vitæ immortalitas: quod verum eſſe fiet perſpicuum, ſi quis ex mortali immortalẽ effici conceſſerit. Nemo enim eum hominem aliam vitam degere, ſed aliquid ei conuenire, aut affectionem accidere fatebitur. Ita fit vt immortalitatis vita non ſit genus. Quo etiam in errore verſantur ij qui affectionem eius rei cuius eſt affectio, genus eſſe ponunt, vt ventum eſſe aërem motum & agitatum. Eſt enim potius ventus, aëris impulſio: quandoquidem idẽ aër & cùm agitatur, & cùm ſtat, permanet: ex quo efficitur ventum non eſſe omnino aërem. Eſſet enim ventus, etiam ſi aër non impelleretur: ſiquidem idem aer qui ventus erat, permanet. Similis eſt ratio cæterorum eius generis. Quòd ſi etiam in hac re ventum eſſe aerem impulſum & agitatum concedere debeamus, at certè non omni ex parte id approbandum eſt: non iis quidem in rebus, in quibus hoc tale genus non verè dicitur, ſed in iis in quibus verè intelligitur genus id quod propoſitum eſt.

Sunt enim quadam in quibus non verè dicitur: ex quo genere ſunt nix & cænum. Aiunt enim niuem eſſe aquã congelatam atque concretã: cænum verò terram humore temperatam: atqui neque cænum terra eſt, neque nix aqua. Neutrum igitur genus eſſe eorum quæ propoſita ſunt, vllo modo poteſt: quippe cùm ſemper genus de formis verè dici debeat. Itémne vinum quidem aqua eſt putris, vt ait Empedocles: Aqua putruit in ligno. Iam verò ſi omnino nullius ſit genus id quod datum eſt, perſpicuum eſt ne eius quidem quod poſitum eſt, eſſe: quod hinc intelligi poteſt, quia nihil ſpecie differunt ea omnia, quibuſcum genus id quod datum eſt, communicatur: cuius generis ſunt alba quæ ſpecie inter ſe non differunt. Species autem omnis generis differunt. Non igitur id quod albũ eſt, vllius genus eſſe poteſt. Illud etiam videndum eſt, ídne pro genere aut differentia dixerit, quod ex rebus omnibus conſequens eſt. Sunt enim multa quæ res omnes conſequuntur: veluti id quod eſt, & vnum, in iis ſunt quæ rem omnem ſequuntur. Itaque ſi id quod eſt, genus eſſe poſuerit, certè omnium rerum genus futurum eſt, quandoquidem in iis dicitur: genus autem de nullo, niſi de formis dicitur. Ita vnum, eius quod eſt, ſpecies eſſet: ex quo efficeretur, in iis omnibus in quibus genus, etiam ſpeciẽ dici: quandoquidem & id quod eſt, & vnum, de rebus omnibus dicitur, cùm ſpecies pauciora quàm genus continere debeat. Quòd ſi id quod omnibus ex rebus ſequatur, differentiam appellauerit, profectò paria aut plura, quàm genus, differentiã continebit. Nam ſi genus etiam in iis eſt, quæ conſequentia ſunt ex omnibus, ex æquo: ſin minus ex omnibus genus ſequatur, plura eo contineat differentia neceſſe eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iam si in subiecta specie genus id quod datum est, vt id quod album est, in niue insit, perspicuum est id non esse genus. Solum enim genus de subiecta specie dicitur. Atque illud etiam videndum est, an genus & species sint synonyma. Genus enim de formis omnibus nominis definitionisque communi societate dicitur. Qui etiam error nascetur, quando generi & speciei aliquid erit contrarium, melióque contrariorum ad genus deterius referetur: ita enim fiet, vt id quod reliquum est, insit in alio: sunt enim in contrariis generibus contraria: fit igitur ex his, vt quod melius est, sit in deteriore: atque optimæ cuiusque rei, etiam genus optimum est. Illud etiam videndum est, idémne aliquid quod ad vtrunque eodem modo affectum sit, ad deterius genus, non ad præstantius retulerit: vt si animum motum vel id quod mouetur dixerit. Nam quoniam idem animus æquè vim habet standi ac mouendi, profectò si status melior est, in eo genere animus statuendus erat. Iam ex maiore & minore elicere argumenta licet ei qui refellit, si genus accessionem capiat, & species non capiat, nec ipsa, neque quod ab ea deductum est, hoc modo: Si virtus elationem habeat, etiã iustitia & iustus habebunt: alius enim alio iustior dicitur. Nam si genus quod datum est, accessionem accipiat, speciésque non accipiat, neque ipsa, neque id quod ab ea natũ sit, id quod datum est, esse genus nullo modo potest. Præterea si id quod magis aut æquè videtur genus, non est genus: certè ne id quidem quod datum est. Atque huius loci in iis plurimus vsus est, in quibus multa de specie in quæstione dicentur, qua quid res sit quæritur, nec certum genus traditum est, neque quod eorum genus sit, possumus explicare: vt de

ira, & dolor, & opinio contemptus in naturæ quæstione dicuntur: præsertim cùm is qui irascitur, angatur, séque contemni putet. Quæ eadem tractatio in specie per locum comparationis suppetit, hoc modo: Si quæ species magis aut æquè inesse videtur in genere quod datum est, non inest in genere: ne ea quidem quæ data est, in genere erit omnino. Atque is quidem qui infirmabit, quemadmodum exposui, hũc tractabit locum: qui autem confirmandi partes tenebit, ei hic locus nihil ad argumentandum suppeditabit, quoties genus quod datum est, & species, recipient amissionem: nihil enim prohibet, si vtrunque recipiat, alterum alteri non esse genus. Nam & id quod album est, quódque honestum, accessionem capit, nec alterum alteri genus est. Sed generum ac formarum inter se comparatio magnam ei suppeditabit argumentorum copiam, hoc modo: Si eadem est huius & illius generis ratio, & alterũ genus est, etiam alterũ erit. Itémque ex minore & maiore idem effici potest, hoc modo: Si continentiæ vis magis quàm virtus genus, virtus autem genus est, vis etiam erit. Quod de specie eodẽ modo iudicandum est. Si enim æquè hoc atque illud eius de quo agitur species est, & alterum est species, etiam reliquum. Et si quod minus videtur, species est, etiã quod magis videtur. Illud etiam in confirmatione videndum est, an genus de iis quibus datum est & tributũ, in naturæ quæstione dicatur, nec vna sit species eius quod genus esse positũ est, sed & plures & differentes. sic enim genus erit. Quòd si vna sit species ea quæ data est, videndum est, an etiam de aliis formis genus dicatur in quæstione naturæ. ex quo iterum efficietur & de pluribus ipsum ac differentibus dici, & genus approbari. Quoniam au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem quibusdam placet differentiam in quæstione naturæ dici de formis, secernendum est genus à differentia, iis locis quos exposuimus: quorũ primus est, genus plura quàm differentiam continere: Alter, Genus in respondendo quid quidque sit, aptius dici posse, quàm differentiam. Qui enim hominem animal esse dixerit, planius facit quid sit homo, quàm si gradiens dicat. Tertius est, Differentiam generis qualitatem declarare semper, genus differentiæ qualitatem non item. Nam & qui gradiẽs dixerit, quale quid animal exprimit: & qui animal dicit, non quale quid gradiens explicat. Ac differentia quidem à genere hoc pacto separanda est. Quoniam autem videtur musicus, quia musicus sit, sciens esse, etiam musica scientia quædam est: quoniámque si quod ingreditur, ob eam causam quia ingreditur & ambulat, mouetur, ingressus etiam quædam est motio. In quo autem genere aliquid confirmare & efficere velimus, quemadmodum dixi, diligenter videndum est, hoc modo: Si scientiam esse fidem confirmandum est: si is qui scientia præditus est, quia sciat credit, profectò scientia fides sit necesse est. Eadémque ratione in aliis omnibus facere licebit. Postremò quoniam quod alicui consequens est semper, nec vicissim retrò commeat, id difficile est improbare non esse genus, si hoc ex illo omni ex parte sequatur: illud verò ex hoc non omnino, (veluti ex tranquillitate quies sequitur, & ex numero id quod secari potest, contráque non sequitur: quãdoquidem non quicquid diuidi potest, numerus est, nec quies tranquillitas omnis) eo quidem vtendum est pro genere, quod semper sequitur tum, cum alterum non reciprocatur. quòd si ab altero id proponatur, non in omnibus, neque omni ex parte

probandum est. ei autem hoc loco sic occurrẽdum est: id quod non est, ex rebus omnibus quæ gignuntur, consequẽs est, cùm præsertim quod gignitur, non sit: neque retro id commeat vicissim. Non enim omne quod nõ est, generatur: attamen non est genus id quod non est, eius rei quæ gignitur, quandoquidem eius quod non est, nullæ sunt species omnino. Ac in genere quidem probando vel improbando eam viam ac rationem, quam præscripsi, sequi ac tenere debemus.

ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER V.

VTrum autem propriũ sit, nécne, id quod propositum est, ex iis locis quos deinceps exponemus, intelligetur. Explicatur quidem proprium aut per se & vi sua, ac semper: aut alterius comparatione, & interdum veluti hominis proprium est per se ac vi sua, animal esse humanum natura: alterius autem comparatione, vt animi ad corpus, quòd animus imperare, corpus parêre debet. Proprium autem semper est, exempli caus. i, dei, animal esse immortale. Interdum proprium est, vt certi hominis deambulare in gymnasio. Nascuntur autem ex eo quod collatum cum altero proprium explicatur, aut duæ aut quatuor quæstiones. nam si alicuius proprium esse ponat, alterius idem neget esse, duæ tantummodo quæstiones oriuntur, vt hominis cum equo collati proprium est bipedem esse. Nam hominẽ non esse bipedem aliquis possit cõcludere, & equum Cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bipedem: & vtroque modo proprium sic positum confutabitur. Quòd si vtrique suum proprium concedatur, ita vt etiam vtrũque ab vtroque negetur, quatuor quæstiones existent: veluti hominis cum equo collati proprium est bipedem esse, & equi quadrupedem. Nam & hominem non esse bipedem, & naturâ quadrupedem esse, argumento concludere licet. Itémque equus bipes esse & nõ quadrupes, probari potest. Ergo si quouis modo doceatur, quod propositum est refellitur. Proprium autem per se ac vi sua, id est quod omnibus tribuitur, & ab omni genere separat, vt hominis proprium est, mortale esse animal natum ad cognitionem & scientiã. Proprium verò ad alterum est, quod non ab omnibus, sed à quodam certo distinguit & separat, vt virtutis cum scientia collatæ proprium est, in plurimis animi partibus esse: scientiæ, in ea solum quæ rationis est particeps, & in iis solum animalibus quæ ratione vtuntur, existere. Semper proprium est, quod per omne tempus verè dicitur, nec vnquam amittitur: vt animalis, ex animo & corpore constare. Aliquando id proprium est, quod ad aliquod tempus verè dicitur, nec semper consequens est necessario: veluti cuiuspiam hominis in foro deambulare. Fieri autem potest, vt proprium proponamus ad aliud, & differẽtiam inter aliqua dicamus duobus modis. Vno modo, vt id quod proprium dicitur, omni & semper conueniat: altero, vt in maxima parte & plerunque insit: veluti hominis cum equo collati bipedem esse, ita proprium est, vt & in omnibus hominibus id & semper intelligatur: quandoquidem omnes homines bipedes sunt per omne vitæ tempus, equus autem nullus vnquam bipes est. Imperare autem parti ei animæ in qua voluptates versantur,

& ei in qua irarum ardor existit, sic proprium est eius partis animi quæ rationis est particeps, vt ferè & maxima in parte intelligatur. huius enim imperare est, illarum parêre: nec pars animi rationis particeps omni ex parte imperat, interdúmque contrà paret. Neque pars ea in qua voluptates habitãt, & in qua iræ, parent semper, sed interdum imparant, tum cùm hominis animus vitiosus est & deprauatus. Sed ea plurimum ad differendum valent propria, quæ per se sunt, & semper conueniunt, & ea quæ cum aliquo conferũtur. nam ex eo quod proprium est cum altero collatum, multæ, quemadmodum suprà dixi, quæstiones nascuntur. aut enim duæ aut quatuor inde eliciuntur necessariò. multa igitur argumenta ex eis ducentur. Ex eo verò quod per se & perpetuò proprium est, multa argumenta licet ducere, aut ad plura tẽpora trahere. quod enim per se ineſt, ad multa pertinet, quandoquidem ei cui proprium est, exclusis separatisque omnibus aliis, quod hoc modo proprium est, conuenire debet. Quamobrem si ab omnibus non separet, certè non est commodè attributum proprium. Quod autẽ semper proprium est, id in pluribus temporibus obseruari debet an conueniat. nam nisi conueniat, & conuenerit & conueniet, non est futurũ proprium. Quod verò interdum proprium est, non in aliis temporibus, nisi in instanti spectatur: itaque paucæ argumentationes ducuntur ex eo: quæstio autem ad differendum valet ea, ex qua & crebra & firma argumenta trahuntur. Atque iisdem ex locis quos in accidente exposuimus, argumenta ad differendum de eo proprio quod ad alterum est, suppetent, si proprium aliquid conueniat, alicui non conueniat. Ad tractandum autem quod super proprium est & per se,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ij loci qui deinceps exponentur, magnam nobis ad argumentandum copiam suppeditabunt.

Cap. 2. Ac primùm quidem videndum est, an rectè & aptè néene explicatum sit proprium. Esse autem rectè aut minus rectè explicatum, ex vno loco illo intelligemus, si rebus minimè notioribus, aut si rebus magis perspicuis expositum sit proprium. Ac is quidem qui refellit, non constare ex notioribus ostendet: is autem qui confirmabit, ex iis ipsis quæ magis perspicua sunt, constare demonstrabit. Esse autem expositum verbis minus perspicuis & notis, cognoscemus, primùm si omnino obscurius & magis inuolutũ erit propriũ quod datur, quàm id cui attribuitur propriũ. Neque enim proprium aptè & commodè propositum erit, quãdoquidem cognoscendæ & illustrandæ rei gratia proprium inuentum est. Nam & proprium & definitiones discendi cognoscendique causa adhibemus. verbis igitur magis perspicuis illustranda sunt: sic enim facilius intelligemus. Vt qui posuit ignis proprium esse proximè ad animi similitudinem accedere, is certè obscuriore vsus est verbo animi, quàm ignis: quoniam facilius quid ignis sit, quàm quid animus, cognoscimus: ita non rectè minúsque aptè propositum fuit proprium ignis ad animi similitudinẽ proximè accedere. Deinde, cùm minus planum sit ac perspicuum hoc illi cõuenire. non enim solùm propriũ re clarius & notius esse debet, verùm etiam rei conuenire. qui enim nescit, an huic rei propriũ conueniat, ne illud quidem, an huic rei soli conueniat, intelliget. ita fit, vt si alterutrum horũ interueniat, incertum & obscurum futurum sit proprium, vt quando aliquis ignis propriũ esse ponit, in quo primùm animi sedes est, eo vtitur quod obscurius est igne, animum in igne & in eo primùm consistere: ex quo fit propriũ ignis non esse aptè positum id in quo primo animus inest natura. In confirmatione autem, vt rebus magis perspicuis, & is perspicuis magis duobus modis, quos modo exposuimus, videndum est. Sic enim aptè & commodè hac ex parte proprium explicabitur: quandoquidem loci ij qui ad confirmandum aliquid rectè positum esse valent, alij ex hac tantùm parte, alij omnino rectè expositum docebũt: veluti si quis proprium animalium dicat habere sensum, is rebus magis perspicuis, & planius vtroque genere proprium explicabit. Aptè igitur expositum est, hac ex parte animalis propriũ esse, sensum habere. Proximus locus est in refutatione, si quod verbum eorum, quibus proprium explicatur, pluribus modis dicatur, aut oratio ipsa multa declaret omnino. Sic enim minus aptè positum erit proprium: veluti quoniam sentire, plura significat, vnum habere sensum, alterum vti sensu, certè animalis non erit aptè explicatum proprium, sentire natura: ob eámque causam non est vtendum verbo aut oratione quæ pluribus modis dicatur, qua proprium exponamus, propterea quòd ea quæ multis modis dicuntur, obscurã faciunt orationem: cùm præsertim in dubium veniat ei qui argumentaturus est, vtrum tandem alter dicat ex iis quæ multiplici verbo cõtinentur: profectò enim cognitionis causa cõparatum est proprium. Iam verò præterea necesse est eos reprehendi, qui isto pacto explicant proprium, quando aliquis in ea significatione, in qua id quod propositum est, verum non sit, ratiocinationem conficiet de eo quod multis modis dicitur. In confirmatione huius loci vsus est, si id quod proprium datur, nec multa signi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficat, neque vllum verbum, neque ipsa oratio : sic enim hac ex parte aptè proprium ponetur: veluti quoniam nec corpus multa declarat, nec id quod celerrimè sursum fertur, neque ea quæ ex his verbis constat oratio, ob eam causam rectè ponetur ignis proprium esse, corpus quod maxima celeritate sursum mouetur. Sequitur locus in refutatione, si multis modis dicatur id cuius proprium explicetur, neque exponatur cuius eorũ ponatur esse propriũ. Neque enim rectè propriũ illud datum est. Quibus autem de causis, ex iis quæ suprà dixi, intelligi potest. Eadem enim necesse erit concludere, hoc modo: Quoniã aliquid scire, multa significat (nam & scientiam habere aliquid, & scientia vti aliquid, & scientiã esse eius, & scietia vti eius) ob eam causam nullũ propriũ rectè dari poterit illius scire aliquid, nisi cuius eorũ proprium ponat, explicetur. In cõfirmatione autem eius vsus erit, si multis modis non dicatur id cuius proprium ponitur, vnúmque sit & simplex. hac enim ex parte proprium aptè explicabitur: vt quoniam homo vno modo dicitur, homini rectè proprium tribuetur, animal cicur natura. Coniunctus huic locus in refutatione valebit, si sæpe idẽ in proprio dictum erit. sæpe enim fallunt nos ij qui hoc faciunt, vt in definitionibus sic in propriis. quod si in proprio contingat, non erit rectè datum: quippe cum id quod sæpe dicitur & iteratur, auditorem conturbet: ex quo fit, vt & obscura sit oratio, & præterea delirent & nugentur qui eam inducunt. Duobus autem modis aliquid idẽ sæpe repetitur. Primũ, cũ eandẽ rem sæpe nominabit: vt si quis dicat, ignis propriũ esse corpus leuissimũ corporum, sic enim sæpe dixit corpus. Deinde si quis pro nominibus definitiones accipiat, vt si quis terræ propriũ

tribuat, substantia quæ naturaliter fertur celerrimè corporũ deorsum: deinde vtatur pro verbo corporũ, illa oratione substantiarum talium, quoniã corpus idem valet quod substãtia talis: ex quo efficitur substãtiæ nomen iterari: vt neutrum propriũ rectè tributũ esse videatur. At verò in confirmatione huius loci vsus erit, si nullo verbo eodẽ sæpe vtare. hac enim ex parte aptè propriũ statuetur: vt si quis propriũ hominis dixerit animal ad cognitionẽ & scientiã natum, is nec sæpe eodem verbo vtetur, & hac ex parte rectè homini proprium statuet. Sequitur locus in refutatione, si tale aliquod verbum in proprio expresserit, quod conueniat rebus omnibus. inusitatum enim & minus aptũ erit verbũ quod à nullo separat. atqui vt in definitionibus, sic quod in propriis exprimitur, debet se iungere: non igitur rectè expositum erit proprium: vt si quis proprium scientiæ dicat opinionem, quæ ratione dimoueri non potest, cùm sit vna: quoniam in proprio exponendo, aliquo eiusmodi vsus est, vnius scilicet nomine, quod rebus omnibus cõuenit, profectò scientiæ proprium rectè positum nullo modo videri potest. In confirmatione valebit hic locus, si nullum verbum commune adhibeatur, sed eiusmodi, quod à re aliqua separet. hac enim ex parte præclarè positum erit proprium: vt si quis animali proprium tribuat habere animum, is quoniam nullo verbo communi vsus est, habere animum rectè hac ex parte animalis proprium dedit. Proximus locus est in refutatione, si quis plura propria eidem statuat, neque se plura ponere explicet. Tum enim haud rectè positum erit proprium. Vt enim in definitionibus nihil adhibendum est præter orationem quæ rei vim & naturam explicet: sic ne

Universidad de Deusto
Biblioteca

in propriis quidem, præter orationem quæ proprium id quod datum est efficiat, quicquam exprimendum est: quandoquidem inusitatum minúsque aptum est, quod præterea additur. Id quod continget, si quis ignis proprium dixerit corpus tenuissimum & celerrimum. vtrunque enim de solo igne verè dici potest: ex quo efficitur ignis proprium, corpus tenuissimum & leuissimum non esse rectè datum. In confirmatione huius loci vsus erit, si non plura propria eiusdem, sed vnum esse ponatur, hac enim ex parte proprium rectè ponetur: vt si quis dicat humoris proprium, corpus quod in omnem formam flectitur, is quoniam vnum expressit proprium, non multa, eò rectè vsus est humoris proprio. Sequitur locus in refutatione, si vel eo vtatur, cuius proprium explicat, aut eorum aliquo quæ ei tribuuntur. Nam quoniam cognitionis gratia inuentum est proprium, eo modo non rectè ponit. Eadem quidem res semper æquè obscura est: quod autem alicui tributum est, id quoniam eo est posterius, non est magis perspicuum: ita fit, vt ex his nihil disci cognoscíque possit: vt si quis propriũ animalis ponat substantiam, cuius est species homo, is quia aliqua re vsus est earum quæ animali tributæ sunt, profectò non cõmodè vsus est proprio. In confirmatione autem ita demum proprium rectè hac ex parte statuetur, si nec eo, neque aliquo eorum quæ ei tributa sunt, vtamur. quod fiet, si proprium animalis ponamus, quod ex animo & corpore concretum est. sic enim neque ipsum, neque quicquam ipsius adhibebimus: ex quo efficietur, vt præclarè hac in parte animalis proprium explicemus. Eadémque ratione ea spectanda sunt in aliis etiam rebus, quæ non faciunt, aut quæ faciunt aliquid planius. Iam

verò in refutatione videndum est, an tale aliquid adhibitum sit, quod aut contrariũ sit, aut omnino æquè antiquum naturæ ordine, aut posterius: neque enim rectè proprium ponetur, Nam contraria sunt ordine naturæ æquè antiqua. quod autem æquale est alicuius naturæ ordine, & eo posterius, non facit ipsum planius, neque declarat. Vt si quis boni proprium dicat, malo maximè esse contrarium, is boni contrarium adhibuit, ob eámque causam proprium boni haud rectè explicauit. In confirmatione autem huius loci vsus erit, si nec contrario vtemur, neque vllo alio quod æquale sit ordine naturæ, vel posterius. sic enim rectè hac in parte statuemus proprium: vt si quis scientiæ proprium ponat opinionem quæ maximè fidem facit, is quia nihil adhibuit, nec quod scientiæ esset contrarium, nec quod omnino simul esset cum ea, aut ea posterius ~~naturæ ordine~~, eo rectè proprium scientiæ hac ex parte statuit. Sequitur locus in refutatione, si quod non semper sequitur, propriũ positum est, sed id quod interdum non proprium est. non enim præclarè & commodè proprium erit explicatum. Neque enim in eo nomen necessario verè dicitur, in quo inesse ipsum intelligimus: neque in eo necesse est nomen non dici, cui illud non intelligimus conuenire. Ita non erit rectè expressum proprium. Præterea non erit perspicuum an conueniat id quod statutum est esse proprium, si tale sit vt prætermitti separarique possit. Itaque non erit perspicuum neque apertum proprium: vt si quis propriũ animalis ponat, moueri interdum aut stare, is quia tale statuit proprium, quod interdum non proprium efficitur, certè haud aptè proprium statuit. In confirmatione considerabimus, an id proprium statutum sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod semper est in re necessariò. hac enim ex parte rectè proprium ponetur, vt si quis virtutis propriũ dicat, eum in quo sit, bonũ efficere, is quia proprium statuit quod semper consequens est, ob eam causam rectè virtutis proprium hac ex parte constituit. Sequitur locus in reprehensione, si id quod hoc tempore proprium est statuat, neque se proprium huius temporis dare, exponat. neque enim rectè statuet proprium. Primum enim quod contra mores & consuetudinem statuitur, id omne enodationis indiget. Atqui solent ferè omnes id proprium statuere, quod sempiternum est. Deinde incertum est, isne qui non explicat mentem suam, velit id ponere, quod hoc tempore sit proprium. Non igitur dare debet reprehensionis occasionem: quod continget, si quis ponat alicuius hominis propriũ esse, sedere vnà cum aliquo homine, illúdque hoc tẽpore proprium esse non statuat. Neque enim illud rectè statuat propriũ, nisi se dixisse hoc tẽpore proprium esse explicet. Atque hic locus ad confirmandum valebit, si explicemus, cùm aliquid propriũ statuemus hoc tẽpore, nos proprium hoc tẽpore ponere. sic enim rectè proprium hac in parte statuemus. Excepti causa si quis alicuius hominis proprium dicat esse, aliquo in loco hoc vel illo tẽpore deambulare, quoniam distinctione vsus est, rectè id proprium esse posuit. Proximus in reprehẽsione locus erit, si quis tale statuat proprium, quod conuenire aliter, quàm sensu perspici non licet. Neque enim tum positũ propriũ erit: quandoquidẽ quicquid mouet sensum, si id extra sensum sit, obscurũ est. incertum enim est an iam conueniat, propterea quòd sensu tantũmodo intelligatur. Quod verũ esse in iis quæ non necessariò semper cõsequuntur, perspiciemus: veluti si quis solis pro-

prium esse dicat, astrum splendidissimũ quod supra terram fertur, is adhibet in proprio, illud quod supra terram fertur: quod quidẽ quia sensu cognoscitur, non rectè solus proprium statuit. Incertum enim erit, cùm sol occiderit, an supra terram feratur, quòd tum sensus oculorum nos deficit. At in confirmatione huius loci vsus erit, si proprium statuamus eiusmodi, quod sensu non sit perspicuum, aut certè quod si sensum mouet, perspici potest necessariò conuenire. Hac enim ex parte rectè statutum erit proprium: vt si quis extremitatis proprium ponat, quod primum colore inficitur, is illo toto colore inficitur, quod sensum mouet, ille quidem vtitur, sed eiusmodi quod perspicuum est semper conuenire. Ita hac ex parte rectè statutum est extremitatis proprium. Iam in reprehensione videndum erit, an definitionem vt proprium posuerit. sic enim proprium non rectè ponetur, quandoquidem non debet proprium rei vim naturámque explicare. Cuius exemplum erit, si quis hominis proprium dicat, animal gradiens bipes. proprium enim hominis statuet, quod quid res sit, explicat. Non igitur rectè statuit hominis proprium. In confirmatione autem huius loci vsus erit, si proprium eiusmodi statuamus, quod vicissim dicatur, neque rei vim naturamq; declaret. Erit enim hac ex parte rectè explicatum propriũ: vt si quis hominis proprium ponat, animal ciẽur natura, propriũ ille quidem statuet quod vicissim dicitur, sed quod non quid res sit, indicat. Ita fiet, vt hac ex parte rectè statutũ sit hominis propriũ. Coniunctus huic locus est in reprehensione & refutatione, cùm proprium datur, cuius nulla pars quid res sit explicet. Oportet enim vt in definitionibus, sic in pprorijs primum genus exprimi, deinde iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc pacto adiungi cætera quæ separant atque seiungunt. Non igitur rectè proprium ponetur, quod non eo modo statuetur: vt si quis proprium animalis dicat, animum habere, non ponet in quæstione naturæ animal: ex quo sequetur animalis proprium non rectè positum esse. In confirmatione autem considerandum est, an collocatum sit aliquid, quod in quæstione naturæ dicatur de eo cuius proprium ponitur, & ita demum adiungantur cætera. Hac enim ex parte rectè proprium datum erit: veluti si quis proprium hominis ponat animal ad scientiam & cognitionem natum, is & proprium quod in quæstione naturæ aliqua ex parte positum est, dabit: & ea ex parte hominis proprium rectè explicabit. Ac virum rectè an minus rectè proprium datum sit & explicatum, ex iis locis qui adhuc sunt expositi, intelligere debemus.

Cap. 3. Vtrum autem id proprium sit omnino quod explicatur & datur, nécne, ex iis quos deinceps exponemus locis, licebit concludere. Iisdē enim locis aliquid omni ex parte rectè poni proprium concludemus, quibus propriū omnino statuitur: quorū primus erit in refutatione diligens eorū omnium animaduersio & consideratio, quorū propria dabuntur: veluti videndū erit, an ea ex parte qua datur, non verè de singulis dicatur, an verò nō sit proprium vniuscuiusque eorum eius ratione cuius proprium explicetur: sic enim nō erit propriū quod esse ponebatur, vt quia de geometra non verè dicitur, eum nulla ratione falli posse, (fallitur enim geometres in falsa descriptione) non est proprium futurum docti & artificis non falli ratione. In confirmatione autem an in omnibus verè dicatur, & hac ex parte qua sub illo toto genere

continentur, videndum est, quoniam proprium erit quod positum est esse proprium: vt quia animal ad cognitionem & disciplinam percipiendam natum, in omni homine verè dicitur, & quia homo sit, eò hominis proprium erit animal ad disciplinam percipiendam natum. Huius autē loci vsus erit in refutatione, quoties in quo nomen, non etiam oratio verè dicetur, & cùm in quo oratio non etiam nomen intelligi licet. In confirmatione autem, cùm in quo nomen, etiam oratio, & in quo oratio, nomen quoque intelligetur. Alter locus est refutationis, cùm de quo oratio, non etiam nomen verè dicitur: & cùm de quo nomen, non etiam verè dicitur oratio: tum enim quod positum est esse proprium, non erit propriū: quod ex hoc exempla intelligi potest. Animal enim ad disciplinam & scientiam percipiendam natum, in deo verè intelligitur, homo non intelligitur. ex quo efficitur non esse proprium hominis hoc totum, animal quod ad disciplinam cognitionémque percipiendam natum est. In confirmatione autem valebit, quoties in quibus omnibus oratio, nomen etiam dicetur: & in quibus nomen, etiam oratio: quod enim proprium positum est non esse, proprium erit. Quod hinc intelligi potest, quia de quibus illud totum habere animum, etiam animal verè dicitur: & de quibus animal etiam animatum. ita habere animū, animalis proprium est. Refutationis tertius locus erit, si subiectum eius esse proprium statuatur, quod in subiecto esse dicatur: vt si quis proprium statuat tenuissimæ rei ignem, quia rem subiectam, proprium ei quod de illa dicitur tribuit, certè non rectè posuit ignem proprium esse rei tenuissimæ. Ob eámque causam subiectum non est futurum proprium eius, quod in

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiecto esse dicitur. sic enim idem, multorum, & quæ specie differunt, proprium esset: quãdoquidem multa quædã quæ specie differunt, eidem conueniunt, quæ de eo solo dicuntur: quorum omnium subiectum propriũ futurum est, si quis isto pacto statuat proprium. Ad confirmandum autem valebit, si id quod in subiecto inest, subiecti proprium esse ponatur: quandoquidem proprium futurũ est id quod positum est non esse proprium, siquidem in solo eo intelligitur, vt dixi, proprium, cuius propriũ esse dicitur: vt si quis terræ proprium dicat, corpus grauissimum specie, is quia proprium subiecti dedit eiusmodi, quod & de solare, & vt proprium dicitur, efficitur vt rectè positum sit terræ proprium. Sequitur locus proprius refutationis, si quis per communicationẽ proprium tribuat. nõ enim erit propriũ quod positum est esse proprium: quippe cùm id quod communione quadam conuenit, ad vim naturámque rei explicandã pertineat. Erit autem hoc modo positum proprium, differentia quædam, quæ de specie aliqua dicetur: vt si quis propriũ hominis dicat hoc totum, gradiens bipes, per communionẽ quandam proprium explicabit: ex quo fiet, vt non sit proprium hominis, gradiens bipes. Hoc loco videbit is qui confirmandi partes obtinebit, ne per communionem proprium explicet, neque vim naturámque rei declaret: ita tamen, vt vicissim de re dicatur. Quod enim positum est non esse proprium, id propriũ futurum est: vt si quis animalis propriũ ponat hoc totum, quod vim habet sentiendi, is nec propriũ communione explicabit, neque tale quod vim naturámque rei declaret, & tamẽ eiusmodi quod vicissim de re dicatur. Ita proprium erit animalis hoc totum, quod vim habet sentiendi. Proximus locus refuta-

tionis erit, si doceatur proprium non posse vnà cum re, cuius propriũ ponitur, cohærere: sed vel posterius, vel prius quàm ipsum nomen rei conuenire. Sic enim aut nunquã, aut certè non semper proprium est futurum, id quod positum est esse proprium: vt quia alicui prius conuenit esse hominem, posterius autẽ ambulare per forũ, certè ~~volitare~~ in foro, aut nunquam, aut non semper hominis est propriũ. In confirmatione autẽ huius loci vsus erit, cùm id quod proprium ponitur, vnà cum re semper æderit necessariò, neque definitionis vim, neque differentiæ habebit. Sic enim proprium erit quod positum est nõ esse proprium: vt quia hoc totum, animal quod ad disciplinam cognitionemq; natum est, vnà cum homine existit necessariò, neque differentia est, neque definitio, certè hominis proprium id ipsum futurum est. Sequitur locus refutationis, cùm eorundem, quia eadem sint, nõ est idem proprium. Non enim quod positum est proprium esse, proprium erit. quod intelligi potest ex hoc exemplo. Nã quia eius quod persequendum est, propriũ non est, videri nonnullis bonum, ne eius quidem quod expetendum est, proprium erit videri nonnullis bonum. Idem enim valent quod persequendũ est, & quod expetendum. Is autem qui confirmabit, ex hoc loco argumentum ducet, quando eiusdem rei quia eadem sit, idem proprium esse ponetur. Nam proprium erit quod positum est non esse proprium, vt hominis quatenus est homo, proprium dicitur, habere animum tripertitum: & mortalis quatenus mortalis est, tripertitum animum habere, propriũ erit. Valet etiam hic locus in accidẽte, quoniam iisdem quatenus eadem sunt, eadem conuenire aut non conuenire debent. Coniunctus huic locus est in refutatione, cùm eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ sunt eiusdē speciei, non ea ponuntur propria, quæ etiam eadem sint specie: non enim rei illius id quod positū est, proprium erit: vt quoniā eiusdem generis homo & equus habentur, neque semper proprium est equi à se stare, ne hominis quidem proprium erit à se semper moueri & agitari. Sunt enim eiusdem generis moueri & stare per se, quoniam vtrique eorum quatenus animalia sunt, hæc conueniant. In confirmatione autem illud videndum est, an eorum quæ sunt eiusdem generis, id proprium statuatur, quod semper ad idem genus referatur. erit enim proprium, quod non esse proprium positum est: vt quoniam hominis proprium est, esse gradientem bipedem, auis etiam proprium erit, volucrem esse bipedem. Sunt enim hæc eiusdem generis omnia: alia enim, vt species quæ sub eodem sunt genere, cùm sint animali subiecta, alia verò vt generis animalis differentiæ. Sed hic locus falsus est, cùm alterum eorum quæ numerata erunt, vni alicui soli speciei conueniet, alterum pluribus, qualia sunt gradiens quadrupes. Quoniam autem idem & alterum multis modis dicuntur, difficile est si quis captionibus contrà disputare velit, vnius & solius alicuius rei explicare proprium. Quod enim conuenit alicui, cui quid accidit, etiam accidenti conueniet, si cum eo sumatur cui conuenit: vt quod ineſt in homine, etiam in albo homine, si modò sit albus, reperietur. Itémque quod in albo homine ineſt, id etiam in homine inerit. Sed quispiam multa propria refellet, si subiectum aliud per se faciet, aliud si cum accidente coniunctum sit: vt si dicat aliud esse hominem, aliud album hominem, idem fiet si aliud ponat habitum, aliud id quod ex habitu nominetur. vt enim quod in habitu ineſt, in

eo etiam ineſt quod ab habitu appellatur: sic quod in eo quod ex habitu nominatur ineſt, etiam in habitu insit necesse est: veluti quoniam artifex ab arte dicitur, non erit artis proprium non posse ratione dissuaderi: quippe cùm id etiam artifici conueniat, qui nulla ratione de scientia deduci dimouerique possit. In confirmatione autem dicēdum est, non esse aliud omnino id quod accidit, & aliud id ipsum cui accidit, si cum eo comprehendatur quod accidit: sed ob eam causam aliud dici solere, quod eorum sit natura & ratio diuersa, quoniam aliud est hominem esse hominem, & aliud hominem album esse hominem album. Præterea ex casibus eruendum est quod contra huiusmodi captionem adferamus: scilicet non esse artificem aliquid quod ratione mutari non possit, sed eum qui ratione dissuaderi non possit: nec artem & scientiam esse id quod ratione sit immutabile, sed ipsam ratione esse immutabilem. Nam ei qui omni ratione contendit, omni etiam ratione occurrendum. In refutatione proximus locus erit, si quis velit aliquid quod natura ineſt explicare, eóque verbo id ponat, vt id semper ineſse declaret. Sic enim fiet, vt iacere id & ruere quod positum est proprium videatur: vt si quis hominis proprium dicat, esse bipedem, vult ille quidem exponere aliquid quod natura insitum est, sed oratione sua id quod semper insitum est, significat: ita non est futurum hominis proprium, bipedem esse: quandoquidem non omnis homo duos habet pedes. In confirmatione autem huius loci vsus erit, si id quod natura insitum est, proprium statuere velimus, idque oratione nostra exponamus. Neque enim proprium ex hac parte tolletur aut corruet: vt si quis proprium hominis ponat hoc to-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum,animal ad disciplinam & cognitionem percipiendam natum, idque significet oratione sua, natura illud esse insitum proprium,hac ex parte nunquam improbabitur hominis proprium esse id quod diximus. Iam verò in quibus est aliquid primum, & aliquid cui per illud primum cõuenire quippiam dicitur, difficile est explicare proprium. Nam si eius proprium dederit,quod in alio aliquo intelligitur,etiam de primo verè dicetur:sin autem primi propriũ ponat,etiam in illo quod in alio intelligitur, reperietur: vt si quis extremitatis proprium dicat colore infici,etiã colore infici in corpore dicetur:quòd si in corpore,etiam in extremitate.Ita fiet, vt non in quo oratio,nomen quoque verè dicatur. Sæpe autem accidit vt in quibusdam propriis explicandis peccetur, propterea quòd nec quomodo,nec quorum proprium ponãt, explicent.Omnes enim enituntur proprium statuere id quod aut natura insitum est,quale est hominis bipes:aut quod hoc tempore conuenit:vt hominis alicuius quatuor habere digitos:aut specie,quemadmodum ignis tenuissimis ex partibus constare: aut omnino & per se,vt animalis viuere : aut per aliud,vt animi,prudentiæ esse præditũ:aut quasi in quo primum aliquid inest, vt in parte animi quæ rtionis est particeps,prudẽtiæ esse sedẽ:aut ex eo quòd aliquid habet, quemadmodum artificis est proprium, ratione de sententia deduci non posse. Neque enim ex alia re,quàm ex eo quod habet quicquã,ratione de sentẽtia deduci non potest.aut etiam statuitur proprium ex eo quod aliquid habetur,sicuti proprium est scientiæ ratione non posse mutari:aut ex eo quod aliquid cõmunicatur,quale proprium est animalis sentire. Nam & si aliquid aliud, veluti homo sentit,tamen iam cũ illo hoc cõ-

municatur:aut ex eo quod communicat,vt alicuius animalis viuere.Si igitur non adiungatur illud natura,certè in eo peccatur,propterea quòd fieri potest,vt quod natura insitum est,ei non conueniat, cui natura conuenit: quemadmodum homini duos habere pedes. Peccat etiam qui se non explicat proprium dare quod nunc sit proprium:propterea quòd ex eo efficitur quod est propriũ rei,certo quodam tempore illi non cõuenire:quale est,quatuor habere digitos hominem:si etiam non exponat se id proprium ponere quod primum,aut quod per aliud conueniat,non in quo oratio,etiam nomen verè dicetur:vt si quis colore infectum esse,vel extremitatis vel corporis proprium exposuerit. Quòd si non antè explicarit se id proprium dare, vel quia habeat ipsum, vel quia habeatur, certè id quod dedit,non est futurũ proprium.Nam si ei proprium tribuit,cui hoc ipso conuenit,quo ab aliquo habetur, etiam ei illud conuenire perspicietur,quod ex eo tale esse intelligitur,quia in se habet quippiam: & si ei qui habet,tribuat,ei etiã quod habetur,conueniet: quod fiet si hoc totum, ratione non posse dissuaderi,scientiæ aut artificis propriũ esse ponatur. Atque etiam peccabit in explicãdo proprio,qui non exposuerit se id statuere proprium,quod dat, vel ex eo quòd participet,vel ex eo quòd communicetur,propterea quòd isto pacto aliis quibusdam conueniet proprium.Nam si in eo statuat,quod communicatur, cum iis quæ participant, conueniet:at si in eo quod participat,iis quæ communicantur:vt si quis alicuius animalis,aut animalis propriũ ponat viuere. Peccat etiã qui verbum illud,specie, non addit,eo quòd vni soli eorum quæ illi subiecta sunt, cuius proprium statuitur, conueniet. Quod enim præstat & excellit,id vni soli conue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nit, vt igni conuenit celeritas maxima. Fit etiam interdum, vt is aberret in tradendo proprio, qui verbum illud, specie, addidit. Oportet enim earum rerum, quibus proprium tribuitur, esse vnam speciem, vt rectè addatur hoc verbum, specie, quod in nonnullis non contingit, quo ex genere ignis est: neque enim vna est species ignis: quandoquidem specie inter se differunt, pruna, flamma, & lumen, quorum vnumquodque ignis est. Ob eam autem causam, cùm speciei nomen adiungitur, alia species eius quod dictum est, non debet esse, quia aliis magis, aliis minus, id quod proprium explicatum est, conuenire accidet, cuius generis est tenuissimum esse, si ignis proprium esse ponatur: nam & prunis & flammæ lumen tenuius est. quod non debet accidere, quoties nomen non dicitur magis in eo, in quo ratio verius dicitur: alioqui id verum non erit, in quo sit magis oratio, etiam nomen magis potiúsque dici. Præterea ita fiet, vt si idem proprium & illius quod omnino, & illius quod maximè inest in eo quod omnino tale vel tale existit, qualem habet rationem subtilissimum corpus ad ignem. Nam & luminis & ignis omnino illud ipsum futurum proprium est: quippe cùm lumen sit tenuissimum. Ac si quis isto pacto proprium statuerit, argumenta contra ducenda erunt: ei autem qui ponit quæstionem, videndum est, ne his obiectionibus det locum, sed vt primum proprium posuerit, quemadmodum, & cuius generis proprium ponat, explicandum.

Cap. 4. In refutatione proximus erit locus, si quis aliquid sui ipsius proprium statuat, neque enim proprij vim obtinebit quod positum est esse propriũ. Quicquid enim idem est quod aliquid idem, id naturam explicat: quod autem naturam

explicat, non est proprium, sed definitio: vt si quis honesti proprium dicat esse decorum, is quia aliquid sui ipsius ponit proprium (honestum enim idem est quod decorum) certè non erit honesti decorum proprium. Huius autè loci vsus erit in confirmatione, si aliquid sui ipsius non ponamus esse proprium, & tamen eiusmodi, quod vicissim dicatur. sic enim quod proprium non esse statutum est, proprij vim & nomen obtinebit: quod fiet, si quis proprium animalis ponet hoc totum, natura animata: neque enim aliquid sui ipsius proprium esse ponit, cùm interim vicissim dicatur. Ita proprium animalis erit animata natura. Iam in iis quæ ex similibus eiusdémque generis partibus constant, videndum erit, in refutatione totiúsne proprium in parte non verè intelligatur, an proprium partis in toto minimè dicatur: quoniam non rectè explicatum erit quod positum est esse proprium, hoc enim in quibusdam solet contingere. fieri enim potest, vt iis quispiam propriũ tribuat, quæ ex sui similibus eiusdémque generis partibus constant, modò totius, modò partis habita ratione: quorum neutrum rectè explicabit. Exemplum totius erit, si quis dicat maris proprium hoc totum, aqua plurima quæ salsa est. Nam alicuius quod ex sui similibus partibus concretum est, proprium ponit, sed eiusmodi, quod in parte non verè dicatur: quandoquidem certum quoddam mare non est aqua plurima salsa: ita maris proprium non erit hoc totum, plurima aqua quæ salsa est. Partis autem exemplum tale est: Si quis aëris proprium esse dicat, quod respirabile est, is alicuius quod ex sui similibus partibus constat, ponit proprium, sed eiusmodi, quod & si de quodam aëre verè dicitur, tamen de vniuerso non dica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: quippe cùm non omnis aër sit respirabilis, quare spirabile aëris futurum non est proprium. In confirmatione autem ex hoc loco argumentum ducemus, si proprium quod dabimus, de vnoquoque quod ex sui similibus constat, verè dicetur: ita tamen vt proprium sit eorum totius ratione. sic enim quod proprium non esse positum est, erit proprium: vt, quoniam in vniuersa terra verè intelligitur in inferiorem locum ferri natura, certè proprium erit hoc ipsum alicuius terræ omnino, quia terra est. Nam de terra, hoc ipso quòd terra est, dicitur: ex quo efficitur vt terræ sit proprium natura ferri ad inferiores partes. Ex contrariis autem multa argumenta vtranque in partem elici possunt. Primum in refutatione ex contrariis, quæ aduersa dicuntur, erit, quando contrarij non est contrarium proprium: neque enim proprium contrarij contrarium futurum est, hoc modo: Si iustitia iniustitiæ contraria est, & optimo id quod est deterrimum: iustitiæ autem optimum non est proprium, nõ erit igitur iniustitiæ quod deterrimum est, proprium. In confirmatione autem vsus erit, quoties contrarij contrarium est proprium: sic enim fiet vt contrarij proprium sit contrarium. Exemplum tale est: Si malo bonum contrarium est, id quod fugiendum est, ei quod est expetendum: est autem boni proprium id quod expetendum est: profectò mali proprium erit id quod fugiendum est. Alter locus est ex iis quæ cum aliquo conferuntur. In refutatione quidem hoc modo tractabitur: Si quid eorum quæ cum aliquo conferuntur, alicuius eiusdem generis non est proprium, ne id quidem quod est in iis quæ cum aliquo conferuntur, vllius eiusdem generis proprium erit. quod ex hoc exemplo intelligi licet:

Si duplum simpli duplum dicitur, & id quod vincit, illius quod vincitur: id autem quod vincit, non est dupli propriũ: certè simpli id quod vincitur & superatur, non erit proprium. In confirmatione autem hoc modo: Si illius quod cum aliquo confertur, aliquid eiusdem generis proprium est, id etiam quod ex eo genere est, alterius eiusdem generis erit proprium. cuius exemplum est: Si duplũ cum simplo confertur, vnum cum duobus, & duo cũ vno: dupli autem proprium est id quod duorum habet rationem ad vnum: profectò dupli proprium sit id quod vnius ad duo rationem habet, necesse est. Proximus locus est ex priuantibus, qui in refutatione tractabitur hoc modo: Si rei res non est proprium, ne priuationis quidem proprium priuatio erit. Et si priuationis priuatio non est proprium, ne rei quidem res proprium erit: vt si surditatis proprium non est, vacuitatem esse sensus: (est enim id cæterorum sensuum commune) ne auditus quidem sensum esse proprium videbitur. In confirmatione hoc modo: Si res rei proprium est, etiam priuationis propriũ erit priuatio: & si priuationis priuatio proprium est, rei etiam res proprium erit: vt si aspectus proprium est cernere ex eo quòd aspectum habemus: cæcitatis etiam proprium erit non cernere, quia aspectum non habeamus, cùm natura aptus nobis aspectus esse videatur. Sequitur locus ex aientibus & negantibus, qui in multas partes distributus est. ac primi quidem, qui ex iis quæ dicuntur, ducitur, in refutatione solùm vsus est hoc modo: Si id quod ait, alterius est propriũ, non erit eius proprium id quod negat. Et si id quod negat, eius proprium sit, id quod ait, non est illius futurum proprium: vt si animalis proprium est id quod animatum est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non erit animalis proprium,id quod non eſt animatum. Alter eſt ex iis quæ dicuntur aut non dicuntur, & ex iis de quibus dicuntur aut non dicuntur: qui in refutatione tractabitur hoc modo: Si id quod ait,eius quod ait non eſt proprium,,ne id quidem quod negat, eius proprium eſt quod negat. Et hoc modo: Si id quod negat,eius proprium non eſt quod negat, ne id quidem quod ait,eius quod ait, futurum eſt proprium.Cuius exemplum eſt tale:Si hominis proprium non eſt animal,ne eius quidem quod non eſt homo,proprium erit id quod non eſt animal.viciſſimque, Si eius rei quæ non eſt homo, ea non videatur propria quæ non eſt ex genere animalium,ne hominis quidem animal proprium eſſe futurum. In confirmatione autem huius loci tractatio eſt talis: Si eius quod ait,id quod ait, eſt proprium,etiam eius quod negat,id quod negat erit proprium: & ſi eius quod negat, id quod negat proprium eſt,etiam eius quod ait, id quod ait proprium erit.quod hoc exẽplo illuſtrari poteſt:Si eius quod eſt non animal,proprium eſt non viuere,certè animalis viuere erit proprium.cõtráque,Si viuere animalis eſt proprium, certè eius etiam rei quæ eſt non animal, proprium erit non viuere. Tertius locus eſt ex iis quæ ſubiiciuntur,cuius in refutatione tractatio erit talis:Si ea quæ ſtatuta ſunt eſſe propria, aientium ſunt propria,non erunt eadem etiam negantium propria. Et ſi negantium expreſſa ſint propria, aientium propria non erunt. Exemplum tale eſt: Si animalis proprium eſt quod animatum eſt, certè quod animatum eſt, eſſe proprium eius quod eſt non animal,nullo modo poteſt. In confirmatione autem hoc modo:Si ea quæ poſita ſunt eſſe, propria non ſunt aientium,negantium erunt. Quanquam

hic locus interdum vitioſus & captioſus. Nam nec aientia negantium, nec negantia aientium propria ſunt. Aientia enim negantibus non conueniunt ommino. Negantia autem aientibus illa quidem conueniunt, ſed non vt propria. Sequitur locus ex diuiſione, cuius in refutatione tractatio talis eſt: Si eorum quæ in diuiſione enumerantur, nihil vllius reliquorum eſt proprium,ne id quedem quod eius poſitum eſt eſſe proprium,illius futurũ eſt proprium: vt ſi animal quod ſenſum monet,nullius aliorum mortalium animantium eſt proprium, ne id quidem animal quod intelligentia & ratione continetur, dei proprium eſt. In confirmatione autem hic locus nobis copiam ad argumentandum ſuppeditabit, quoties quiduis reliquorum omnium,quæ in diuiſione enumerata ſunt,ſumetur proprium vniuſcuiuſque eorum quæ diſtributa ſunt. Quod ſi eſt alicuius eorum proprium quæ enumerata ſunt in diuiſione,etiam reliquum proprium erit illius alterius,cuius proprium non eſſe ſtatuebatur: id quod ex hoc exemplo intelligi poterit: Si prudentiæ proprium eſt per ſe virtutem eſſe eius partis animi quæ rationis eſt particeps, cæterarúmque virtutum, quarum ſingulæ hoc modo aſſumuntur, certè temperantiæ proprium erit per ſe, naturáque ſua virtutem eſſe huius partis animi, in qua voluptates verſantur. Sequitur locus ex ſimiliter cadentibus, qui in refutatione hoc modo tractabitur. Si caſus alterius caſus non eſt proprium, ne id quidem quod ſimiliter cadit, alterius propriũ erit: cuius exemplum eſt tale: Si eius quod iuſtè fit,non eſt proprium præclarè fieri, nec iuſti id quod præclarum eſt, proprium erit. In confirmatione autem eius loci talis eſt tractatio: Si id quod cadit,alterius proprium

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,etiam casus erit alterius proprium: vt si hominis proprium est hoc totum, gradiens bipes, etiam homini in datiuo conueniet gradienti bipedi. Non solùm autem ex iis quæ exposuimus à similiter cadentibus,sed etiam à contrariis, quemadmodum in superioribus locis explicatum est, argumenta ducenda sunt,ac in reprehensione quidem hoc modo: Si contrarij casus non est proprium casui alicuius contrarij,ne cõtrarij quidem casus alterius casui contrarij futurum est proprium:cuius exemplum est tale:Si eius quod iustè fit,non est proprium probè fieri, certè eius quod iniustè fit, improbè fieri proprium non erit. In confirmatione autem ducetur hoc modo: Si contrarij casus alterius contrarij casui proprium statuitur,etiam contrarij casus alterius contrarij casui ponetur proprium:vt si boni proprium est optimum,mali quoque id quod deterrimum est,proprium erit. Sequitur locus à simili, cuius in reprehensione tilis erit vsus: Similium similia non sunt propria, nec similium similia propria erunt. Si enim, exempli gratia, architectus eandem habet rationem ad extruendam domum, quam medicus ad efficiendam & restituendam valetudinem: medici autẽ proprium non est efficere valetudinem, ne architecti quidem extruere domum proprium erit.In confirmatione autem hic locus hoc modo exponitur:Si similium similia propria sunt,similium quoque propria erunt similia: vt si medicus eandem habeat rationem ad efficiendam valetudinem,quam gymnasij præfectus ad efficiendam firmam constitutionem, & sit proprium præfecti gymnasij vim habere ad efficiendam firmam corporis constitutionem, erit etiam medici proprium esse effectorem valetudinis. Proximus locus est eorum quæ

habent eandem proportionem, cuius tractatio est huiusmodi in refutatione: Si ea quæ eandem habent proportionem, aliorum quæ eandem habent proportionem non sunt propria,nec ea quæ eodem modo affecta sunt,aliorum quæ eandem habent affectionem, propria erunt. Et si quid eorum quæ eodem modo affecta sunt, alterius proprium est, id non erit proprium eius, cuius proprium esse ponitur: vt si eodem modo prudentia affecta est ad honestum & turpe, quod vtriusque eorum est scientia: prudentiæ autem proprium non est scientiam esse honesti, profectò non erit proprium prudentiæ, rei turpis esse scientiam. Et si prudentiæ proprium est honesti scientiam esse, eius certè rei turpis scientiam esse non erit proprium: quandoquidem eiusdem multa esse propria non possunt. In confirmatione autem huius loci nullus est vsus, quippe cùm id quod eodem modo affectum est, vnum cum multis comparetur. Proximus locus est ex iis quæ ad naturam, originem, interitúmque referuntur, qui in reprehensione tractabitur hoc modo: Si id quod ad naturam & statum refertur, non est eius quod ad naturam & statum pertinet proprium, ne id quidem quod ad interitum pertinet,illius quod eiusdem est generis: nec quod ad ortum vllius eiusdem generis proprium erit: vt si exempli causa hominis non est proprium, esse animal, non erit proprium huius totius, hominem gigni, illud totum animal fieri: nec hominis interitus proprius est interitus occasúsque animantis. Eodémque modo sumenda argumenta sunt ex ortu concludendo statum & interitum,itémque ex interitu concludendo statum & ortum: quemadmodum paulò antè ex statu concluſus ortus

Universidad de Deusto
Biblioteca

& interitus est. In confirmatione autem hoc modo: Si id quod ad statum pertinet, est alicuius eiusdem generis proprium, eius etiam quod ad ortum pertinet, erit proprium id quod eiusdem est generis, & illius quod ad interitum, quod eiusdem generis esse ponitur: cuius exemplum tale est: Si hominis proprium est esse mortalem, etiam hominis ortus proprium erit, nasci mortalem: & interitus hominis, mortalem interire: eodémque modo concludendus est ex ortu & interitu, status & ortus, quemadmodum hic locus in refutatione expositus est. Sequitur locus ex forma rei propositæ. In refutatione quidem huius loci talis erit tractatio. Si formæ non conuenit, aut certè non ex ea parte qua id dicitur conuenire, cuius proprium datum est, quod proprium positum est, non erit proprium: vt si ipsi homini non conuenit quies, quia homo sit, sed quia idea, non erit proprium quiescere. In confirmatione autem locus est eiusmodi: Si quid speciei conuenit, ídque ex hoc ipso conuenit, quia dicatur de eo ipso cuius ponitur non esse proprium, erit proprium id quod positum est non esse proprium: vt si conuenit ipsi animali, ex animo & corpore concretum esse, ídque ei quia animal sit conuenit, certè animalis proprium erit ex animo & corpore constare.

Cap. 5. Sequitur locus comparationis ex maiore & minore, qui quadripartito distributus est, quorum primus in refutatione tractabitur hoc modo: Si quod elationem habet alterius eiusdem generis, non est proprium, ne id quidem quod submissionem habet, vllius eiusdē generis proprium erit: nec quod minimā habet alterius, nec quod maximā habet elationem alterius eiusdē generis: nec denique id quod omnino

dicitur vllius eiusdē generis, vt si exempli causa, colore magis infectum esse, magis corporis non est proprium, nec minus colore infectum esse, eius quod minus est corpus propriū erit, nec infectum esse colore corporis omnino. In confirmatione autem huius loci tractatio erit talis: Si id quod elationem habet, eiusdem generis alicuius propriū est, id etiam quod submissionē habet, alicuius eiusdem generis proprium erit. Itémque, Id quod minimam habet submissionem alterius eiusdem generis, & quod maximam habet elationem alicuius eiusdem generis, & quod omnino dicitur, alicuius eiusdem generis sit proprium necesse est: cuius exemplum est eiusmodi: Si eius quod magis viuit, magis sentire proprium est, etiam eius quod minus viuit, id quod minus sentit: & eius rei quæ maximè viuit, maximè sentire: & eius quod minimo beneficio vitæ vtitur, minimè sentire: & eius quod omnino viuit, omnino sentire proprium erit. Atque etiam ex eo quod omnino dicitur, argumenta ducenda sunt. In reprehensione quidē hoc modo: Si id quod omnino dicitur alterius eiusdem generis non est proprium, ne id quidem quod elationem habet eius quod est eiusdem generis, neque id quod submissionem habet alterius eiusdem generis, neque id quod maximā habet elationem alterius, neque id quod minimam habet submissionē alterius, erit propriū: quod ex hoc exemplo intelligi potest: Si hominis non est proprium bonum esse, ne eius quidem qui hominis nomine magis aut potius appellatur, probiorem esse proprium erit. At in confirmatione argumentum ab hoc loco sic sumetur: Si id quod omnino dicitur eius quod est eiusdem generis proprium est, id etiā quod maiorem elationem habet alterius, & quod minorem ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet ſubmiſſionrm, quódque minimam ac maximam habet alterius eiſdem generis propriũ, futurum eſt, vt ſi ignis proprium eſt ſurſum ferri natura, eius etiam propriũ erit, quod ignis potius dicitur celerius in ſuperiorem locum ſuapte natura ferri. Eodémque modo ex cæteris hæc cõcludenda ſunt omnia. Alter locus eſt in reprehenſione talis: Si quod magis propriũ videtur alicuius, non eſt proprium: ne id quidem quod minus proprium eſſe videbatur, alterius propriũ erit. Eius loci tale exemplum erit: Si animalis magis proprium eſt ſentire, quàm hominis ſcire: nec proprium eſt animalis ſentire, non erit hominis ſcire proprium. In confirmatione autem hoc modo tractabitur: Si id cui illud minus additur, alterius cui idem adiungitur eſt proprium, etiam id cui magis additur, alterius cui idem iungitur, eſt futurũ proprium: vt ſi minus hominis proprium cicurem & humanum eſſe natura, quàm animalis viuere: hominis autem eſt proprium cicurem eſſe ſuapte natura & humanum, profectò animalis proprium erit viuere. Tertius locus ex maiore & minore in reprehenſione talis eſt: Si quid eius, cuius magis eſt proprium, proprium non eſt, ne eius quidem proprium erit, cuius minus eſt proprium: & ſi illius eſt, non etiam huius erit: vt ſi colore infici extremitatis magis propriũ eſt, quàm corporis, nec proprium eſt extremitatis, non erit proprium corporis omnino, colore infici: quod ſi eſt extremitatis proprium, non erit corporis proprium. At verò in confirmatione huius loci nullus vſus eſt: cùm præſertim idem multorum proprium eſſe nullo modo poſſit. Quartus locus eſt in refutatione huiuſmodi: Si quod magis proprium videtur alicuius, id non eſt eius proprium, ne id quidem pro-

prium erit, quod minus propriũ eius videtur. Cuius exemplum tale eſt: Si animalis magis proprium eſt ſenſu percipi, quàm ſecari in partes: & animalis non eſt proprium ſenſu percipi, non erit animalis proprium in partes ſecari. In confirmatione autem tractabitur hoc modo: Si quod minus proprium eſt alicuius, id eius proprium eſt, certè quod magis proprium eſt, eius erit proprium, vt ſi minus eſt proprium animalis ſentire, quàm viuere: & animalis proprium ſentire eſt proprium, profectò animalis proprium erit viuere. Deinceps ſequitur locus à paribus, cuius loci tractatio in refutatione hæc prima erit: Si quod æquè eſt proprium, non eſt proprium alicuius cuius æquè propriũ eſt: ne id quidẽ quod æquè proprium eſt, eius erit proprium cuius æquè proprium eſt: vt ſi æquè proprium eſt partis animi, in qua voluptates verſantur, appetere, ac eius quæ rationis eſt particeps, ratiocinari: & eius partis in qua voluptates verſantur, non eſt proprium appetere: non erit etiam ratiocinari eius quæ rationis eſt particeps, proprium. In confirmatione autem huius loci tractatio erit huiuſmodi: Si id quod æquè proprium eſt, eius eſt proprium, cuius æquè proprium eſt, erit etiam quod æquè proprium eſt, eius proprium cuius æquè propriũ eſt, cuius exemplum tale eſt: Si æquè propriũ eſt partis animi, quæ rationis eſt compos, primam eſſe ſedem ſapientiæ, atque eius in qua voluptates habitent, primam eſſe ſedem temperantiæ, & partis eius quæ compos eſt rationis, primam eſſe ſedem ſapientiæ proprium eſt: illius etiam in qua voluptates habitant, proprium erit primam eſſe ſedem temperantiæ. Alter locus in reprehenſione talis eſt: Si quod pari ratione alicuius eſt proprium, non eſt proprium eius quod æquè pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prium eſt,id non erit eiuſdem proprium, vt ſi cernere æquè proprium eſt hominis ac audire:hominis autem non eſt proprium cernere:non erit etiam audire hominis proprium. In confirmatione autem talis vſus erit: Si quod pari ratione alicuius eſt proprium, id eius proprium eſt, etiam id quod æquè proprium,eius erit proprium: vt ſi æquè proprium eſt animi, eius partem valere ad appetendum, ac poſſe ratiocinari primum:animi autem proprium eſt eius partem eſſe, quæ primum appetat: animi etiam proprium erit, partem eius primum poſſe ratiocinari. Tertius locus eſt in reprehenſione eiuſmodi: Si quid non eſt proprium eius, cuius æquè proprium eſt, non erit proprium eius cuius pari ratione eſt proprium: & ſi illius eſt proprium,alterius proprium non erit. Quod hoc exemplo illuſtrandum eſt: Si exempli cauſa incendere æquè proprium eſt flammæ atque prunarum,& flammæ incendere non eſt proprium,non erit prunarum proprium incendere. quòd ſi flammæ proprium eſt, nõ erit prunarum proprium. Huius autem loci nullus vſus eſt in confirmatione. Intereſt autem inter locum à ſimilibus & à paribus,quòd ille ex proportione ſumitur, non ex eo quòd vnum quodam modo alteri attribuitur: hi autem ex eo quod ineſt vnum alteri certo quodammodo, vim habet. Deinceps locus in refutatione tractatur, ſi quis ex vi proprium ſtatuet, propriúmque vi ad id quod non eſt, accommodabit, nec vis poterit rei quæ non eſt conuenire, non erit proprium quod poſitum eſt,proprium eſſe: vt ſi quis dicat aëris proprium eſſe inſpirabilem eſſe, ex vi proprium ſtatuit: quandoquidem illud proprium reſpirabile, quod reſpirari poteſt ſignificat, atque etiam proprium ſtatuit

rei quæ nulla eſt. ſiquidem ſublato animali quod reſpirare aërem ſolet, aër eſſe poteſt: nec tamen ſi nullum ſit animal, fieri poteſt vt quid reſpiret: ita fit vt aëris non ſit futurum proprium eiuſmodi, quod reſpirari poteſt, tum cùm animal nullum erit tale quod reſpiret: quare aëris proprium nõ erit ſpirabile eſſe. At in confirmatione huius loci vſus erit,quando ex vi proprium explicabimus, quod aut ad id quod eſt, aut ad id quod non eſt, refertur: ſed ita, vt vis ipſa rei quæ nulla eſt, poſsit conuenire. ſic enim proprium erit id quod poſitum eſt non eſſe proprium: vt ſi quis eius quod eſt, proprium ponat poſſe pati vel facere, is ex vi proprium expreſsit, idque ad id quod eſt accommodauit. Quandiu enim aliquid eſt, id & pati aliquid & facere poteſt. ita eius quod eſt, proprium erit poſſe pati vel facere. Extremus locus refutationis erit, quando ex præſtantia & excellentia proprium exponitur. proprium non eſt quod poſitum eſt eſſe proprium. ij enim qui hoc pacto proprium ſtatuunt, faciunt vt in quo oratio, in eo non etiam nomen verè dicatur: ſublata enim re, tamen ſtabit oratio, quippe cùm alicui earum rerum quæ ſunt, conueniat maximè: vt ſi quis ignis proprium dicat eſſe hoc totum, corpus leuiſsimum, igne ſublato erit corpus aliquod leuiſsimum. non eſt igitur ignis proprium hoc totum, corpus leuiſsimum. In confirmatione autem, ne præſtantia ſtatuamus proprium, prouidendum eſt. ex ea enim parte rectè ponetur proprium: vt ſi quis hominis proprium ponat hoc totum, animal natura cicur & humanum, is quoniam non explicauit proprium ex præſtantia, ex ea parte proprium rectè ſtatuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS TOPICORVM
Liber sextus.

Cap. 1.

IN tractatione autem locorũ definitionis quinque ad reprehendendum nobis proponere debemus. Primũ, omnino non verè dici de quo nomen, etiã orationem: debet enim in omni homine verè dici hominis definitio. Alterum, non esse positũ pro genere aut pro accommodato genere, id genus quod est in definitione. Nam qui definit rem, debet ad genus differentiam adinngere: cùm præsertim eorum quæ in definitione collocantur, rei quæ definiendo explicatur, naturam genus declarat maximè. Tertium, non esse propriam orationem, quoniam debet propria esse definitio, quẽadmodum suprà dixi. Quartum, vt omnia quæ dixi, perfecta sint, non tamen rem definitam esse, nec eius vim explicatã. Postremum est vitium, si tu quidẽ definieris, non aut em rectè. Ac si de quo nomen, non etiam oratio verè dicitur, ex locis accidentis ad id demonstrandum & concludendum argumeta ducenda erunt. Illic enim hoc vnum egimus, vt verene an falso diceretur, cognosceremus: cùm præsertim quando disserebamus accidens conuenire, verè dici: quando non conuenire, non verè dici fateremur. Non esse autem aptum genus id quod positum est, aut non esse propriam orationẽ quæ data est, ex locis generis & proprij qui sunt expositi docebimus: quod autem reliquum est, non esse definitam rem, aut non rectè definitam, quemadmodum intelligemus, meditamur dicere. Primum quidem an minus aptè res definita sit, videndum est: quandoquidem

facilius est facere aliquid, quàm rectè facere. ex quo persicuum est, sæpius in hoc ipso peccari, quandoquidem difficilius est. ita argumenta facilius in hoc, quàm in illo genere suppetent. Sunt autem duæ partes eius rei quæ non aptè definita est: Vna, si dubia & obscura interpretatione vtamur. Debet enim is qui rẽ definit, quàm potest apertissima interpretatione vti: quandoquidem cognoscendæ rei causa traditur definitio. Altera est, si aliquid amplius, quam necesse erat, in definitione posuerit: sic enim superuacaneum erit, quicquid amplius adiectũ erit in ea definitione. Rursus vtrunque eorum quæ exposita sunt, in plures partes distributum est. Ac primus quidem locus ad probandum definitionem esse obscuram, erit, cùm aliquod verbum, quod in definitione continetur, ambiguum erit: vt si quis definiat ortum motum ad naturam serẽtem, aut valetudinem esse aptam caloris & frigoris temperationem & moderationem. Est enim vt motus, sic moderationis ambiguũ verbũ: ita dubium erit vtrum velit significare eorum quæ explicata sunt & declarata eo verbo, quod multis modis dicitur. Quod idem continget, quoties res quæ definitur, multis modis dicitur, neque explicatur. Sic enim incertum erit vtrius definitionem explicauerit: incidúntque tum cauillationes, quasi non ad omnia quæ definiendo explicata sunt, accommodetur definitio: ídque tum incidet maximè, cùm obscura est & latens ambiguitas. Atque etiam ratiocinatio cõficiet potest diuisione adhibita, quot modis dicatur id quod in definitione concluditur. Si enim satis explicatum nõ sit vlla significatione earum quibus id dicitur, profectò eo modo res rectè explicata non erit. Proximus locus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,quando per translationem definitio explicatur:vt si quis scientiam definiẽs,immutabilem esse dicat, & quæ nunquã decidat:aut terram altricem,aut temperãtiam concentum. Est enim obscurum quicquid per translationem dicitur.Calumniari etiam poterimus aduersus eum qui translatione vsus erit, quòd non proprio verbo sit vsus: quandoquidem non poterit rei quæ definitur,accommodari definitio:quod in temperantia contingit:quandoquidem in sonis omnis cõcentus cernitur. Præterea si concentus genus sit temperantiæ, idem in duobus generibus erit, quorum neutrum alterum continet:neque enim concẽtus virtutem continet, nec virtus concentum. Deinceps locus sequitur, quando aliquis in definiẽdo verbis inusitatis vtitur,id quod Plato fecit, qui oculum ὀφρυόσκιον,id est cilij vmbram definiuit, & araneã σκιδακὲς, id est, vt ita dicã,putrimordacẽ:aut si quis medullam,ossium procreatricẽ dicat. quicquid enim inusitatũ est, id obscurũ est. Sunt etiam nõnulla quæ nec per ambiguitatem,nec per translationẽ, nec propriè dicuntur: vt si lex definiatur esse modus vel imago eorum quæ naturaiusta sunt. quæ omnia translatione deteriora sunt. Translatio enim illustrat declarátque quodammodo propter similitudinem id quod significatur:quippe cùm omnes qui transferunt verba, ea propter quandam similitudinẽ transferant. At verò illud tale nullo modo rem illustrat,quandoquidẽ similitudo nulla reperitur,propter quam lex, modus aut simulachrum dicatur:nec id propriè dici solet. ita si modum propriè aut simulachra legem dicant esse,mentiuntur.Est enim simulachrum id,cuius origo ab imitatione profecta est:quod in lege non reperitur. Quòd si impropriè id dicant.certè obscurè loquun-

tur,atque deterius quàm ea quæ per translationem dicuntur. Locus alius erit,quando contrarij definitio ex ea quæ data est, non intelligetur. Quæ enim rectè definitiones constituuntur,etiam cõtrarias significant atque declarant. Aut quando per se prolata, non perspicuum erit cuius sit definitio,sed simile aliquid vsueniet,quod in veterum pictorum operibus,quæ quidem nisi quis superscripsisset,nunquam cognosci intelligíque potuissent. Ac ex iis quidem locis ad probandum non esse definitionem dilucidam,argumenta ducentur.Quando autem abundans dabitur & constituetur definitio:primùm videndum erit, an verbum aliquod adhibitum sit eiusmodi, quod conueniat omnibus rebus, aut quæ sunt omnino in rerum natura, aut quæ subiectæ sunt generi eidem rerum earum quæ desmiuntur. Sic enim vt in definitione aliquid redundet necesse est. Nam & genus a cæteris, & differentia ab aliquo eorum quæ sunt in eodem genere, debet rem quæ definitur seiungere. Atqui quod rebus omnibus conuenit omnino,a nulla separat: & quod omnibus quæ subiectæ sunt eidem generi conuenit,ab iis quæ sunt in eodem genere, non secernit:ita superuacaneum est tale illud quod adiectum est. Alius locus erit, quando id quod adiectum est,est proprium:quo sublato & reliqua oratio propria est, & naturam rei explicat: quale est in hominis definitione hoc totum quod adiicitur, natum ad disciplinam. eo enim sublato propria est definitio, naturámque rei indicat. Atque vt vno verbo complectar omnia,id omne superuacaneum est & redundans, quo sublato quod reliquum est, planam facit rem eam quæ definitur: qualis est etiam animi definitio,si quidem numerus sit se ipse mouens & agi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tans. Est enim animus id quod seipsum mouet, quemadmodum Plato definiuit: nisi fortè proprium est illud quidem quod expositum est, sed numero sublato rei vim naturámque non declarat: quorum vtrũ verius sit, difficile est explicare. In his autem omnibus quantum vtilitatis ratio postulat, videndum est: Qualis est pituitæ definitio illa, humor primus ex cibo incoctus. vnus enim primus humor est, non multi: ita redundat illud incoctus: quandoquidem sublato illo propria reliqua est futura definitio. Fieri enim non potest, vt aliquid ex cibo vnum atque alterum primum decidat: nisi fortè pituita non est id omnino quod ex cibo primùm decidit, sed primam est eorum quæ non sunt concocta: vt illud non cõcoctum, addendum esse videatur. Nam si illo modo dicatur: non vera erit definitio: siquidem non est primum omnium. Proximus locus erit, quoties aliquid eorum quæ in definitione continentur, non omnibus iis quæ sunt sub eadem specie, conuenit: Qualis definitio deterius & absurdius explicata est iis omnibus, in quibus aliquid adhibetur, quod omnibus naturis conuenit. illo enim modo si reliqua propria erat definitio, & tota propria erit: quandoquidem si ad proprium, aliquid quod verum est addatur, omnino propria est tota oratio. At si quid eorum quæ in definitione collocata sunt, non omnibus conueniat iis, quæ eidem speciei subiiciuntur, tota esse oratio propria nullo modo potest. neque enim de re vicißim dicetur: cuius generis est hoc totum, animal gradiens bipes quatuor cubitorum neque enim eiusmodi definitio de re vicißim dicitur, propterea quòd non omnibus iis, quæ eidem speciei subiiciũtur, magnitudo quatuor cubitorum cõuenit. Illud etiam videndum erit, an verbum idem iteratum est: vt si quis cupiditatem definiat, voluptatis & delectationis appetitionem. Omnis enim cupiditas est voluptatis: quare illud etiam quod idem est cum cupiditate, voluptatis erit. Definitioni igitur cupiditatis conueniet, esse appetitionẽ voluptatis: nihil enim interest cupiditatem dicas, an appetitionem voluptatis. Itaque esse voluptatis de vtroque dicetur: nisi fortè hoc alienum videri non potest. homo enim cùm bipes sit, certè bipes erit: id quod idem est quod homo. Est autẽ idem quod homo, animal gradiens bipes, ita animal gradiens bipes, bipes est. Sed non ex hoc alienum quicquam & incommodum efficitur, quandoquidem de animante qui gradiens est, solo, ac perse sumpto, bipes non dicitur bis. Sic enim bis de eodẽ bipes diceretur: cùm autẽ de animante gradiente bipede nomẽ bipedis dicatur, semel tantummodo bipes dicitur. Eadẽ est ratio cupiditatis, propterea quòd non de appetitione dicitur illud esse delectationis, sed de tota oratione. ita fit vt semel etiam hoc loco ratio dicendi exprimatur. Atqui iterare idem verbum, nõ est incommodum: sed illud demum incõmodum est, sæpe idem de aliqua re dicere: quod Xenocrati vsuenit, qui sapientiã ait esse definitionẽ & cognitionẽ naturarum, quippe cum definitio quædã sit cognitio. ita bis idẽ dixit adiecto verbo cognitionis. In eodẽ errore versantur ij, qui refrigerationem caloris naturalis priuationẽ esse definiunt. nã cùm eius quod insitum est, omnis sit priuatio, superuacaneum est nomen naturalis addere, satisque erat addere caloris priuationem: quandoquidem ex ipso nomine priuationis, rei naturalis esse intelligitur. Rursus videndum est, an ad id quod omnino dicitur, aliquid etiam quod in parte sit, adiunga-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: vt si quis æquitatem definiat imminutionem rerum vtilium atque iustarũ. Cùm enim quod iustum est, etiam vtile sit quiddam, profectò in rebus vtilibus continetur. Ita illud rerum iustarum, redundat: quia posito eo quod omnino & in totum dicitur, id adiectum sit quod est in parte. Quod idem fiet, si medicinam aliquis definiat, scientiam rerum salubrium animali & homini: aut legem, imaginem eorum quæ natura & vi sua bona sunt & iusta. Nam quoniam quod iustum est, quædam pars est boni, is qui ita definit, sæpeidem dicit. Ac vtrum rectè nécne definitio explicata sit, ex his locis & aliis eiusdem generis intelligemus. Ad probandum autem naturam rei explicatam esse aut non esse definiendo, ex iis quos deinceps exponemus, argumenta sumentur. Primùm videbimus num prioribus & magis perspicuis verbis exposita sit definitio. Definitio enim rei cognoscendæ gratia traditur. Et rem cognoscimus nõ ex rebus & verbis quibuslibet, sed ex prioribus & magis perspicuis, quẽadmodum in demonstrationibus contingit. ea enim vis est omnis doctrinæ & disciplinæ. Ex quo perspicuũ est, eum non explicare rem definiendo, qui non rebus eius generis rem illustret & aperiat definitione. Si enim rem definiunt, certè multæ erunt eiusdem rei definitiones: quippe cùm perspicuum sit eum qui rebus magis perspicuis & notioribus definierit, aptius & commodius rem definiendo explicasse. ita eiusdem rei vtraque definitio erit propria, quod non ita est. Sua enim cuiusque rei vna est vis atque natura. Itaque si multæ eiusdem rei definitiones erunt, vis & natura rei eius quæ definitur, erit eadem, quæ vtraque definitione declaratur. Atqui & naturæ non sunt eædem, quandoquidem alia

& diuersæ sunt definitiones. Perspicuum est igitur eum non definiuisse rem, qui non magis perspicuis neque notioribus rebus definierit.

Ad probandum igitur non esse explicatam definitionem magis perspicuis rebus, duplex locus suppetet. Nam aut videbimus, an ex magis dubiis omnino & ignotis, aut an nobis magis ignotis & dubiis exposita sit res definiendo: quoniam vtroque modo id fieri potest. Quod enim prius est, id eo quod posterius est, notius est omnino, vt punctum linea, & linea plano, & planum solido: quẽadmodum vnio numero notior est, quoniã prior initiúmque est omnis numeri. Itémque elementum syllaba. At verò in nostra cognitione contrà interdum contingit. Nam & quod solidum est, magis sub sensum cadit, quàm quod planum est: & quod planum est magis, quàm linea, & linea quàm punctum: quippe cùm hæc plerisque nota sint omnia. Hæc enim cuiusuis, illa subtilis & otiosi ingenij est discere. Et quanquam præstat omnino eniti, vt posteriores res ex prioribus intelligamus & cognoscamus: (habet enim id maiorem vim ad scientiam) tamen apud eos qui rem ex talibus non possunt cognoscere, necesse est profectò rem definiendo aperire iis rebus, quæ illis notæ sunt & perspicuæ. Cuius generis sunt & puncti, & lineæ, & plani definitiones: omnes enim res antiquiores, posterioribus explicant: vt lineæ punctum, plani lineam, solidi planum extremũ esse definiũt. Sed tamen illud intelligendũ est, eos qui ita definiũt, vim & naturam rei quæ definitur, explicare non posse. Nisi fortè idẽ sit & nobis notius & omnino: siquidem omnes qui rectè rem definiunt, genere differentiisque definire debent, quæ in iis sunt rebus quæ Cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnino, & per se notiores sunt, & magis perspicuæ, quàm forma: quippe cùm sublato genere, sublata differentia, forma tollatur. Ex quo fit, vt specie priora sint, & antiquiora. Atque etiam notiora esse ex hoc intelligi potest, quòd cognita specie genus & differentiam cognosci necesse est: qui enim hominem nouit, etiam animal & bipes nouit. at cognito genere, aut cognita differentia, non necesse est speciem esse cognitam, ita species minus nota & perspicua est. Iam verò ita fiet, vt ij qui definitiones eiusmodi veras esse confirmant, quæ ex iis constant quæ cuique perspicua sunt & nota, multas eiusdem rei definitiones esse fateantur. Nam quoniam alia aliis nec eadē omnibus notiora sunt, vna cuique & alia assignanda erit definitio: siquidem definitio ex iis quæ cuique planiora sunt & notiora, constitui debet. Præterea eidem alia aliàs magis aperta videntur. Nam à primo ortu ea quæ sub sensum cadunt: vbi autem acriori sunt iudicio, contra. Ita ne eidem quidem semper eandem definitionem dare debent ij, qui definitionem rebus, quæ cuique magis perspicuæ sint, tractari volunt. Ex quo perspicuum est non iis talibus, sed iis quæ omnino clariora sunt, rem esse definiendam, quippe cùm ita demum vna & eadem semper sit futura definitio. Ac fortasse quod omnino & vi sua notum est, non omnibus perspicuum est, sed iis demum qui bene animo constituti sunt: quemadmodum id etiam quod omnino salubre est, iis salubre est quorum bene affectum est corpus. Tractari ergo hæc debent omnia accuratè & subtiliter: adhiberi autem in disputationibus pro rerum vsu. Sed consensu omnium euerti definitio tum potest facillimè, cùm nec omnino perspicuis & notis, nec iis quæ

nobis nota sunt explicabitur. Ac vna quidem ratione ita intelligetur non esse perspicuis traditam & apertam definitionem, si posterioribus (quemadmodum suprà dixi) priora declarabunt. Alia autem ratione, si eius rei quæ stabilis & certa est, incertis & mutabilibus nobis statuetur definitio: quippe cùm prius sit, & clarius quod stabile & certum est, quam quod incertum & mutabile. Ad probandum autem non constare ex prioribus definitionem, tribus ex locis argumenta sumentur. Primus erit, si contrariis contrarium definiendo aperietur, vt si bonum malo definiatur: simul enim naturæ ordine sunt contraria, & quibusdam eadem ars in vtroque versari videtur. Ex quo fit, vt alterum altero non sit notius. Sed tamen illud ignorare non debemus, quædam esse quæ aliter definiri non possint: cuius generis est duplum, quod sine simplo definiri non potest: itémque omnia quæ per se cum aliquo conferuntur. Nam cùm eorum omnium vis & natura idem valeat, quod ad aliquid quodammodo affectum esse, profectò vtrunque sine altero cognosci non potest, vt necesse sit alterum in alterius definitione contineri. Ac sunt cognoscenda illa quidem eius generis omnia, eisque in his, vt re ferat, ita vtendum est. Alter locus nobis argumenta suppeditabit, quando in definitione aliquid adhibetur, quod idem valet, quòd res quæ definitur: id quod obscurū est, tum cùm non eodē verbo vtūtur, quod est rei quæ definitur: vt si solem astrum die perspicuum definiant. qui enim diei vocabulo vtitur, etiam solis vtitur. Vt autem hæc manifestò deprehendatur, pro nomine definitio sumenda est, hoc modo: Dies est solis motus super terram: sic enim perspicuum erit, eum qui motus solis super terram

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixerit, etiam solem nominasse, vt solis nomine vsus sit, qui diei vsus fuerit. Alter locus est, quando eo quod in eadem diuisione numeratur, alterum eiusdem generis definitur, vt si quis imparem numerũ definiat, qui parem vno vincit. Sunt enim simul ordine naturæ ea quæ ex eodem genere distribuuntur in partes, cuiusmodi sunt impar & par, quæ numeri sunt differentiæ. Quod item fiet, si superiora inferioribus definiendo aperiatur, vt si par numerus definiatur esse qui bifariam diuiditur, aut bonum habitus virtutis. Nam & bifariam à duobus quæ sunt paria, ductum est, & virtus quædã est pars bonorum. ita hæc illis subiecta sunt. Necesse est etiam eum qui eo quod infrà est vtatur, etiam superiore vti, cùm præsertim qui virtutis nomen vsurpat, boni etiam nomen vsurpet: quandoquidem virtus in numero bonorum habetur. Itémque is qui bifariam dicat, pari vtitur: quoniam illud bifariam aliquid in duas partes distributum declarat, & duo paria sunt. Atque hic quidem locus vnus est, vt generatim dicam, ex quo ad docendum definitionem non prioribus & magis perspicuis esse illustratam, argumenta ducentur: cuius partes erunt superiores. Secundus locus erit, quando res quæ definitur, ex aliquo genere, neque in genere ponitur: qui error in iis omnibus versatur, in quibus nõ ponitur genus definitionis: vt si quis corpus definiat, id quod habet tres dimensiones: aut hominem, id quod rationem numerorũ tenet, is non dicit quid est, quod habet tres dimensiones, quæ est magnitudo, & quid est quod scit numerare, quod est animal. Genus autem quid res sit declarat, & primum eorum quæ in definitione dicuntur, collocatur. Idem fiet, si res quæ definitur, in multis dicatur;

neque ad omnia pertineat definitio: vt si quis grammaticam definiat, artem esse scribendi id quod dictatur & profertur, Deest enim & legendi: quandoquidem non potius scribendi quàm legendi eam artem tradidit is, qui eam definiuit: vt non qui alterum, sed qui vtrunque dixerit, definisse videatur: siquidem eiusdem rei multæ definitiones esse non possunt. Ac in nonnullis quidem hoc verè dicitur, quod expositum est: in quibusdam verò non item: cuius generis ea sunt omnia, in quorum vtroque non per se res quæ definitur cernitur, quemadmodum medicina in morbo & in valetudine versatur, quorum in valetudine vi sua & per se, in morbo temerè & casu cernitur: præsertim cùm omnino alienum sit à medicina morbum efficere atque generare. Ita non verius medicinam definiendo aperit is qui vtrunque complexus est, quàm is qui alterum, imò verò deterius: quandoquidem quiuis alius morbum efficere potest. Proximus locus erit, quando non ad id quod præstantius est, sed ad id quod deterius, res quæ definitur, accommodatur, cùm plura sint, in quibus vis eius intelligatur. Omnes enim ars vísque omnis, ad id quod continet præstantissimum omnium referri videtur. Rursus si res quæ definitur, in proprio & accommodato genere non collocetur, argumenta ex his locis generis, quos suprà exposuimus, ducentur. Iam si quis superiora genera definiendo dicat, non rectè definiet, vt si quis iustitiam definiat esse habitum efficientem æquabilitatis, aut habitum qui suum cuique tribuit: is enim ita definiendo virtutem transilit. Quoniam igitur iustitiæ genus prætermittit, vim eius & naturam nõ explicat: quippe cùm cuiusque rei vis sit cum genere coniuncta. Hic autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

locus idem valet quod ille: Non in proximo genere aliquid collocare. Qui enim in proximo genere numerarit aliquid, is superiora dixit omnia: quandoquidem in inferioribus ea quæ suprà sunt, intelliguntur. Quocirca aut proximum genus in definitione vsurpandum est, aut generi quod suprà est, adiungendæ sunt differentiæ omnes, quibus vicinum genus definiatur. Sic enim nihil prætermittetur, exprimeturque oratione inferius genus pro nomine. At qui superius genus solum dixerit, non etiam inferius explicat: veluti qui plantam dicit, non etiam arborem declarat. Rursum in differentiis eodem modo videndum est, an generis differentias definiendo explicarit. Nam si rem aliquam non suis propriis differentiis definierit, aut etiam aliquid dixerit eiusmodi, quod nullius rei differentia esse possit, vt animal, vt substantiam: is rem non definiuerit. Atque etiam illud videndum est, sitne aliquid quod diuisum quasi ex altera parte differentiæ quæ proposita sit, respondeat. Si enim non sit, profectò quæ data est, non erit generis differentia: quandoquidem in differentias, quæ diuiduntur ex contrariis partibus genera omnia tribuuntur: vt animal in terrenum & pẽnigerum, in aquatile & bipes. Aut si est differentia qua ex altera parte genus diuidatur, nec de genere verè dicatur, perspicuum est neutram generis esse differentiam, præsertim cùm omnes differentiæ, in quas genus tribuitur, de proprio & suo genere verè dicantur. Itémque si verè illa quidem dicatur, neque adiecta generi speciem efficiat, profectò non erit generis hæc talis, speciei procreatrix differentia: quippe cùm speciei effectrix differentia speciem procreet, si cum genere iungatur. Quòd si hæc in differentiis non numeretur, nec ea quidem quæ prolata est: quandoquidem in hanc etiam genus diuisum est. Illud etiam considerandum est, an in negationem genus sit distributum. Quod ij faciunt, qui lineam definiunt, longitudinem esse latitudine carẽtem. Nam cùm nihil aliud indicet, nisi quod non habet latitudinem, ita fiet, vt genus definitionis formæ sit particeps: quandoquidem longitudo omnis aut caret latitudine, aut habet latitudinem: & de rebus omnibus aut aientia aut negantia verè dicuntur. Ita longitudo cùm lineæ genus sit, aut non habebit aut habebit latitudinem. At qui longitudo non habens latitudinem, speciei ratio est. Itémque habens latitudinem, præsertim cùm quod latitudinis expers est & particeps, sint differentiæ: ex differentia autem ac genere speciei constat ratio & definitio: ita genus sibi formæ definitionem vendicabit. Itémque differentiæ, quandoquidem altera differentiarum quas exposuimus, de genere dicitur necessariò. Hic autem locus valet contrà eos, qui ponunt ideas esse. Si enim non est ipsa longitudo, quonam tandem pacto de genere dicatur, quod aut latitudine caret, aut latitudinis est particeps? Debet enim alterũ modo eorum de omni longitudine dici, si quidem futurum est, vt verè de genere dicatur. Quod ita tamen non fit, cùm sint longitudines quæ latitudine careant, & quæ habeant latitudinem. Ergo hic locus cõtra eos solos valebit, qui genus vnum numero esse contendunt, quod ij faciunt, qui ideas ponunt. Nam & ipsam longitudinem, & ipsum animal volunt genus esse. Quanquam in quibusdam definiendis negatio adhibenda est necessariò, cuius generis sunt priuationes. Cæcum enim est id quod aspectũ non habet, tum cùm ei est aptus natura. Nihil autem interest,

Universidad de Deusto
Biblioteca

negatione res definiatur, an affirmatione eiusmodi, cui necesse sit negationem ex altera parte in diuidendo respondere: vt si quis lineam, longitudinem quæ latitudinem habeat, definierit. Quod enim habet latitudinem, ei quod ea caret, cùm in eas quid diuiditur, respondet, præterea nihil: ita rursus in negationem genus tribuetur. Illud etiam videndum est, speciémne definiendo pro differentia dixerit: quod faciunt ij qui conuitium, contumeliam cum irrisione definiunt. Nam cùm irrisio quædam sit contumelia, sit vt non differentia, sed species sit irrisio. Iam illud etiam, an genus pro differentia definiendo posuerit: vt si quis virtutem, habitum bonum definiat. Est enim bonum virtutis genus. Nisi fortè non genus bonum est, sed differentia: siquidem verum est illud, non posse idem in duobus generibus numerari, quin vnum altero contineatur. Neque enim bono habitus, neque habitu bonum continetur: quandoquidem non omnis habitus bonus est, neque omne bonum habitus. Ita vtrunque esse genus nullo modo potest. Quòd si habitus virtutis genus est, profectò bonum non virtutis genus, sed differentia est. Præterea habitus quid sit virtus declarat: bonum autem non quid sit, sed qualis, indicat. Atqui quale quid significat differentia. Videndum etiam est, an quid non quale quid, quæ data est differentia, declaret: quoniam qualitatem omnis differentia declaret. Atque etiam fortene ac temere rei quæ definiatur differentia conueniat. Vt enim nullum genus, sic differentia nulla in iis numeratur quæ temerè & casu rei cõueniunt, præsertim cùm alicui conuenire & non conuenire non possit differentia. Iam si de genere dicatur differentia aut species, aut aliquid eorum quæ

speciei subiecta sunt, nulla definitio est. Nihil enim eorum quæ enumerata sunt, de genere dici potest, quandoquidem in pluribus genus, quàm omnia, reperiatur. Quod idē fiet, si de differentia genus dicatur: cùm præsertim non de differentia genus, sed de iis de quibus differentia, dicatur. Veluti animal in homine, boue, cæterisque terrenis animalibus dicitur, non in ea differentia quæ est de specie dicitur. Si enim de singulis differentijs animal dicetur, certè multa animalia de specie dici poterunt, cum præsertim de specie differentia dicatur. Præterea isto pacto aut in formis, aut in indiuiduis, omnes differentiæ numerabuntur: si quidem animalia esse ponantur: quandoquidem omne animal vel speciei vel indiuiduorum nomen obtinet. Similitérque considerandum est, an species, vel aliquid eorum quæ subiecta sunt sub speciem, de differentia dicatur: quod fieri non potest, quandoquidem ad plura differentia, quàm forma transfertur. Isto etiam pacto fiet, vt inter species differentia numeretur, si qua species de ea dicatur. Si enim de ea homo dicatur, certè homo est illa differentia. Illud etiam videndum est, an species non sit prior differentia: debet enim vt genus sequi, sic specie antecedere differentia. Illud etiam, an alterius generis sit differentia ea quæ producta est, quod quidem nec contineatur nec contineat. Neque enim videtur duobus generibus data eadem differentia, quorum alterum ab altero minimè contineatur. Sin secus, profectò illud etiam fiet, vt eadem species in duobus generibus sit, quorum vnum non contineatur ab altero. Ex differentia enim genus concluditur, vt ex terreno & bipede, animal. Ita fit, vt in quo differentia, etiam genus vtrunque dicatur. Ex quo perspi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuum eſt, formam in duobus generibus eſſe, quorum vnum altero non comprehendatur. Niſi fortè non omnino fieri non poteſt, vt eadem differentia duorum ſit generum, quorum neutrum alterum contineat, ſed adiungendum eſt, quorum vtrunquè eidem minimè ſubiicitur. Nam terrenum animal & pennigerum animal, genera ſunt, quorum neutrum alterum complectitur, quorum vtriuſque bipes differentia eſt: ita addendum illud eſt, quorum vtrunque ſub idem genus non ſubiicitur. hæc enim duo animali ſubiecta ſunt. Illud etiam perſpicuum eſt, non neceſſario ex omni differentia ſuum concludi genus: quandoquidem eſſe duorum generum, quorum vnum altero non continetur, eadem poteſt: ſed ſolum alterum neceſſe eſt ex ea concludi & probari, eáque quæ ſuprà ſunt omnia: quemadmodum animal pennigerum vel terrenum ex bipede concluditur. Videndum etiam, an id quod alicubi quid eſſe ſignificat, pro differentia poſuerit. Neque enim inter ſubſtantiam & ſubſtantiam hoc intereſt, quòd alicubi ſit. Itaque eos qui animal in terrenum & aquatile patiuntur, reprehendunt: propterea quòd terrenum & aquatile in aliquo eſſe declarant. Niſi fortè in his non iure reprehendunt. Neque enim in aliquo eſſe aut alicubi aquatile & terrenum, ſed quale quid indicat: præſertim cùm ſi ſit in loco ſicco, tamen æquè aquatile: & ſi in humido loco, terrenum non aquatile ſit futurũ. Sed tamen hoc perſpicuũ eſt, ſi quid eſſe in aliquo ſignificet differentia, in ea exponenda & explicanda peccari. Præterea videndum eſt, an perturbationem in differentia numerarit. Omnis enim perturbatio amplificata, ex ſtatu ſuo naturam dimouet, ex quo genere non eſt differentia. Magis enim ſtatum

eius, cuius eſt differentia, differentia conſeruat, neque fieri poteſt omnino, vt ſine ſua quicque differentia permaneat: ſublata enim terreni differentia, eſſe homo nullo modo poteſt. Quibus autem (vt omnia ſemel complectar) commutatur id in quo ea ſunt, eorum nihil illius differentia eſt, quandoquidem omnino eiuſmodi amplificata naturam è ſtatu ſuo dimouent. Quapropter qui talem aliquam differentiam dederit, in eo peccauit, quoniam in differẽtiis non cernitur cõmutatio, quæ alteratio ſolet appellari. Iam ſi quis definiendo aliquid eorum quæ cum aliquo conferũtur, non conſtituerit differẽtiam quæ ad aliud aliquid referatur, errabit. Eorum enim quæ cum aliquo conferuntur, tales etiã debent eſſe differentiæ. Quod in arte perſpici poteſt, cuius differentiæ ſunt, vt vna ſit cognitionis, altera actionis, tertia affectionis, quæ ad aliud referuntur omnia. Nam cognitio, & actio, & effectio intelligi non poſſunt, quin alicuius rei eſſe dicantur. Illud etiam conſiderandum eſt, an ad id definitionem accommodarit is qui rẽ definit, ad quod natura apta ſunt omnia, quæ cum aliquo conferuntur. Sunt enim quædam, quibus ad id ſolum vti licet, ad quod natura aptum eſt vnumquodque eorum quæ cum aliquo conferuntur. ſunt quibus etiam ad aliud licet: veluti aſpectu ad cernẽdum tantummodo vti licet: at libro etiam quis hauriat: tamen ſi quis definiat, librum inſtrumentum eſſe ad hauriẽdum, peccabit, quoniam ad id non eſt natum & comparatũ. Definitio autẽ illius, ad quod natum & inſtitutum eſt vnumquodque, hæc eſt, id ad quod prudens, quia prudens ſit, vtitur, & propria cuiuſque rei ars & ſcientia. Peccabit etiam definiendo, qui rei cui primùm conuenit, non accommodat definitionem, quoties in

Universidad de Deusto
Biblioteca

pluribus intelligetur: vt si quis (exempli causa) prudentiam definiat, hominis aut animi virtutem, non eius partis animi quæ rationis est particeps. Est enim prima sedes prudentiæ in parte animi quæ ratione vtitur: quod quidem ex ea & animus & homo prudens esse dicitur. Præterea si non est hoc rei quæ definitur subiectum, cuius vel habitus vel dispositio in definitione esse dicitur, vitiose definiuit. Omnis enim affectio, omnisque perturbatio in eo sita esse solet, cuius est affectio & perturbatio: quemadmodum ars in animo, cuius est affectio, sita est. Interdum autem in his ipsis peccatur, velut ab iis qui aiunt somnum esse sensus imbecillitatem: & dubitationem, æqualitatem rationem contrariarum: & dolorem, discordiam partium coniunctarum natura, vehementiore motu excitatam. Neque enim somnus inest in sensu: quod necesse esset, si esset sensus imbecillitas. Itémque ne dubitatio quidem in contrariis rationibus inest, nec dolor in cõiunctis natura partibus: dolebunt enim res inanimæ, si quidem dolor eis aderit. Atque etiam illa ex eo genere valetudinis definitio est, apta compositio caloris & frigoris. Sic enim necesse erit valere res calentes & frigidas. Nam cùm cuiusque rei apta compositio in illis sit, quorum est apta compositio, certè in eis etiam valetudo insit necesse est. Præterea ita fiet, vt ij qui sic definiunt, quod effectus est, efficiens esse dicant, aut contrà. Neque enim dolor dissensio partium natura coniunctarum, sed hoc est quod ad eum efficiendum vim habet: nec imbecillitas sensus, somnus, sed alterum alterius efficiens est: quippe cùm aut propter imbecillitatem sensus somno oppriniamur, aut propter somnum, sensuum munere non fungamur. Itémque dubitatio-

nem afferre solet contrariarum rationum æqualitas. Cùm enim in vtranque partem de aliqua re cogitamus, & paria sunt momenta rationum, tum denique quid nobis agendum sit, dubitamus. Iam omnium temporum habenha ratio est, sicubi discrepent: vt si quis immortale animal quod nũc non interit, definiat. Sic enim fiet, vt animal quod nunc interitus expers est, hoc tempore sit immortale. Nisi fortè in hoc id non est verum. est enim ambiguum nunc interitus esse expers aliquid. Aut enim non interisse nunc significat, aut non posse interire hoc tempore: aut esse hoc tempore eiusmodi, vt nunquam intereat. Cùm igitur dicimus, hoc tempore interitus expers esse animal, non hoc dicimus, tale esse nunc animal, sed quòd nunquam occidere possit: hoc enim idem est quod immortale. Ita minimè efficitur, vt id nunc tantum sit immortale. Attamen sicubi id accidat, vt quod oratione explicetur, hoc tempore insit, aut superiore, id autem quod nomine declaratur non insit, nunquam idem erit. Vsus ergo huius loci talis est. Atque etiam illud videndum est, ídne quod definitum sit, alia oratione, ac ea quæ allata est, aptius explicetur: vt si iustitia definitur, potestas suum cuique tribuens. iustus est enim potius, qui suum cuique vult tribuere, quàm qui id potest. Ex quo fit, vt non sit iustitia, potestas suum cuique tribuens: alioqui iustus etiam esset, qui suum cuique tribuere posset. Illud etiã vitiosum est definiẽdi genus, cùm res accessionem recipit: id autẽ quod oratione explicatur, non recipit: aut contra cùm id quod oratione explicatur, recipit, res autem non recipit accessionem. Aut enim vtrũque, aut neutrum capere debet, si quidem idem est quod oratione explicatur, & re ipsa. Vitiosum etiam illud genus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, cùm vtrunque accessionem illud quidem recipit, sed non simul, vt si amor cupiditas cõcumbẽdi definiatur. Cùm enim is qui vehementius amat, non magis concubitum appetat, fit, vt non recipiat simul vtrunque accessionem: quod quidem deberent, si quidem idem valerẽt. Quod idem fiet, si propositis duobus, de quo magis res dicitur, de eo minus dicetur oratio. Vt si ignis definitur corpus tenuissimum. Nam & flamma magis ignis est, quàm lux, & corpus tenuissimum flamma est minus licet. Atqui vtrunque eidem magis conuenire deberet, si quidem idem valerent. Vitiosum etiam est definiendi genus, si duobus propositis vnum vtrique æquè conuenit, alterum non æquè, sed alteri magis. Item cùm duo sunt, ad quæ res quæ definitur pertinet, si vtrunque ad definiendum acceperit, quasi ponens duas definitiones: vt si pulchrum definiatur id esse, quod vel oculos, vel aures demulceat: & id quod est, quod pati, vel facere quid potest. Sic enim simul idem & pulchrum erit, & non pulchrum, itémque idem erit, & non erit: quandoquidem quod aures mouet ac demulcet, idem erit quod pulchrum. Ita quod non demulcet aures, idem valet quod id quod minimè pulchrum est. Rebus enim eisdem eadem data sunt contraria. Contrarium autem est pulchro, id quod pulchrum nõ est: eíque quod sensum aurium suauitate quadam mouet, id quod non mouet sensum aurium. perspicuũ est igitur, idem valere id quod non mouet aures suauitate quadam, & id quod est non pulchrum. Si quid igitur est quod sensum oculorum moueat, non aures, id & pulchrum & non pulchrum futurum est. Eodémque modo idem esse & non esse doceremus. Iam verò si orationes pro nominibus sumamus, & generum, &

differentiarum, & eorum omnium quæ definitio complectatur, an aliquid eorum discrepet, videndum est.

Quòd si res quæ definitur in iis sit, quæ cum aliquo conferuntur vel per se, vel ratione generis, considerandum erit, an in definitione expressum non sit id cum quo vel ipsa per se, vel generis communione conferatur: vt si quis scientiam opinionem immutabilem definiat, vel voluntatem cupiditatem ab ægritudine vacuam. Eorum enim omnium quæ cum aliquo conferuntur, natura ad alterum refertur, quandoquidem vniuscuiusque eorum quæ ex illo sunt genere, natura illa sit, ad aliquid quodammodo affectum esse. Debuit ergo scientia definiri, opinio de eo quod scientia continetur, & voluntas boni cupiditas. Quod item fiet, si grammatica literarum scientia definiatur. Exprimendum enim fuit definitione cum quo ipsa genúsve conferatur. Illud etiam videndum est, an alicuius eorum quæ cum aliquo conferuntur, non ad finem directa sit definitio: finis autem vnicuique est quod optimum est, aut quo cætera omnia referuntur. Ita aut quod optimum est, aut finis, & extremum exprimi debet. Vt cupiditatem non rei quæ voluptatem affert, sed ipsius voluptatis: quippe cùm eius gratia, etiam id quod eam efficit, expetamus. Videndum etiam est, ídne ad quod retulerit, in ortu vel actione consistat. Nihil enim eorum finis est. Egisse enim, & ortum esse, finis potius nomen, quàm vel oriri, vel agere obtinet. Quanquam non in omnibus rebus ita est. ferè enim omnes voluptatem capere ex quaque re malunt, quàm desiisse capere. ita agere potius finem constituunt, quàm egisse. Iam in quibusdam si quanta qualiáque sint, & vbi fiant,

Cap. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

itémque cæteræ diſsimilitudines minimè explicentur, vitioſa erit definitio. Vt ſi non aperiatur, qualis & quantæ gloriæ cupidus ſit ambitioſus. Nam quoniam omnes gloria ducuntur, non ſatis eſt ambitioſum dicere eum qui gloriæ ſit appetens: addendæque ſunt differentiæ quas enumerauimus. Itémque ſi auarus definiatur, quanto ſtudio pecuniæ teneatur, exponendũ eſt: aut ſi impotens, quarum voluptatum ſit, in quibúſque verſetur. Neque enim ſi quis qualicunque & quauis voluptate vincatur, is continuò impotens habendus eſt. ſed is demum, qui certa quadam ſuperetur. Eiuſdem generis ſunt definitiones, & qua noctem definiunt vmbram terræ, & qua terræmotum motionem terræ, & qua nubem aëris craſſitudinem, & qua ventum aëris motionem. Addendum enim quantum & quale id ſit, & vbi fiat, & vnde. Quod eodem modo de aliis eiuſdem generis iudicandum eſt. Qui enim quauis differẽtiam prætermittit, is naturam rei non explicat. In id autem quod prætermiſſum eſt, omnis ſemper dirigi debet argumentatio. Non enim ſi quomodocunque, aut quantumlibet terra mota ſit, continuò terræmotus eſt, nec ſi aër quoquo modo, aut quiuis pellatur, ventus eſt. eodem modo peccatur in appetitionibus definiendis, cùm quod videtur, nõ adiicitur: in cæteriſque omnibus, in quibus illud adiiciendum eſt: vt ſi volũtas definiatur, appetitio boni: & cupiditas, appetitio rei quæ voluptatem efficit, nec addatur, eius quod bonum videatur, aut eius rei quæ voluptatem efficere videatur. Sæpe enim ignorant ij qui cupiditate tenentur, bonũ eſſe, aut iucundum eſſe id quod cupiunt. Ita non eſt neceſſe id eſſe bonum aut iucundum, ſed modò videri. debuit ergo eo pacto explicatio fieri. Quòd ſi ita vt

dixi, rem tradat & aperiat, ad ſpecies impellendus erit is qui ponit ideas eſſe. Neque enim idea eſt in vlla re quæ eſſe videatur & appareat, & ſpecies ad ſpeciem referri videtur: vt ipſa cupiditas ipſius iucundi eſt, & ipſa voluntas ipſius boni. Non igitur eius quod bonum eſſe videatur, ipſa voluntas erit: neque rei quæ voluptatem afferre videtur, ipſa cupiditas. Abſurdũ eſt enim eſſe aliquid ipſum bonũ apparẽs, aut iucundum. Iam ſi habitus definitio explicetur, ex eo in quo eſt habitus, ducetur argumentum: & ſi eius in quo eſt habitus, ex habitu. Itémque in cæteris talibus, vt ſi id iucundum dicatur quod prodeſt, etiam qui voluptate afficitur, adiuuatur. In definitionibus autem eius generis ſit, neſcio quo modo, vt is qui rem definiendo aperit, plura vno definiat. Qui enim ſcientiam definit, quodammodo etiam definit ignorationem: itémque quod doctum & indoctum eſt, ſcire & ignorare. Si enim primum planũ fiat, quodammodo etiam cætera perſpicua fient omnia. Quapropter in his talibus, ſi quid diſcrepet, ex his locis, quos in cõtrariis & coniugatis expoſuimus, argumenta ducemus. Atque in iis etiam quæ cum aliquo conferuntur, videndum eſt, an ad quod genus accommodatum eſt, etiam ad illud aliquid relata ſit forma. Vt ſi opinio cum eo quod opinabile eſt confertur, etiam opinio quædam cum quodam opinabili conferetur. Et ſi res multiplex ad ſubmultiplicem refertur, etiam quædam multiplex ad quandam & certam ſubmultiplicem referetur. Si enim non ita explicata res eſt, profectò vitioſa erit definitio. Et illud videndum, an contrarij explicata expoſitáque ſit definitio contraria, vt ſit ne ſimplici definitio contraria dupli definitioni. Si enim duplum eſt quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

pari vincit, etiam simplum erit quod pari re vincitur. Eadem est ratio eorum contrariorum, quæ aduersa dicuntur. Contrarij enim contraria erit definitio, vna quadam contrariorum inter se connexione, hoc modo: Si id prodest quod bono afficit, etiam id obest, quod malis afficit, aut quod bonis priuat. Alterum etiam eorum contrarium sit eius, quod prius dictum est, necesse est: quòd si neutrum contrarium sit eius quod initio expositum est, certè neutra eorum quæ posterius exposita sunt, esse contrarij definitio vllo modo potest: ita ne ea quidem quæ initio data est, verè & rectè fuit explicata & constituta. Quoniámque contraria sunt quædam quæ alterius priuatione dicuntur, vt inæqualitas æqualitatis priuatio videtur esse, inæqualia enim sunt quæ non sunt æqua & paria: profectò id semper quod priuatione dicitur, altero contrario definitur necessariò, alterum non etiam necesse est illo quod ex priuatione nominatur, definiri. Sic enim fieret, vt vtrunque ex altero cognosceretur. Quare hoc vitium in contrariis animaduertere debemus: vt si quis æqualitatem definiat id, quod inæqualitati contrarium est: definiendo enim aperit rem, eo quod ex priuatione appellatur. Iam verò necesse est eum qui ita definiat, ea re vti quæ definiatur. Quod ita intelligetur, si cum nomine commutetur oratio. Quando enim nihil interest, inæqualitatem dicamus, an æqualitatis priuationem, certè erit æqualitas contrarium æqualitatis priuationi: ita eadem re vsus est. Quòd si neutrum contrariorum priuatione dicatur, eodémque modo explicetur definitio, vt bonum est, quod malo est contrarium: certè malum erit quod est bono contrarium. Eorum enim quæ ita contraria sunt, sic

militer explicanda definitio est. Sic rursus fiet, vt eam ipsam rem quæ definiatur, adhibeat in definitione, præsertim cùm insit bonum in mali definitione: ita si bonũ malo contrarium est, malum autem nihil refert dicas, an quod bono est cõtrarium, efficietur, vt bonũ contrarium sit eius quod bono contrarium est. Ex quo perspicuum est, eodem vsum esse eum qui ita definiat. Vitiosa etiam definitio est, cùm ita aliquid eorum quæ priuantia sunt, aperitur: vt cuius sit priuatio, veluti habitúsne, an contrarij, an cuiusuis, minimè explicetur. Quod idem fiet, si cuius aut in quo solet esse priuatio, non addatur omnino, an in quo primo soleat habitare, vt si quis ignorationem priuationem esse dicat, nec addat priuationem esse scientiæ, aut non adiungat in quo versari soleat: aut si adiungat, nõ dicat in quo primo id habitare soleat. vt si quis non in ea parte animi quæ rationis est particeps, sed in homine, vel in animo aliquid situm esse definiendo explicet. Si enim quiduis horum prætermiserit, aberrabit. Eodémque modo si quis cæcitatem non aspectus priuationem in oculis dixerit. Qui enim vim & natura priuationis accũmodatè aptéque explicare vult definiendo, is debet, & cuius rei sit priuatio, & quæ re, priuetur, exponere. Illud etiam considerandum est, an priuatione explicetur quod non numeratur in priuantibus. Qui quidem error in ignoratione versari videtur iis qui nullam ponunt ignorationem cuius natura ex negatione intelligatur. Quod enim artis & scientiæ expers est, id ignorare minimè videtur: sed id demũ, quod errat & fallitur. Itaque nec res inanimas, nec pueros ignorare dicimus. Ita non priuatione scientiæ ignorantia dicitur. Iam illud videndum est, an similibus nominis casibus similes

Universidad de Deusto
Biblioteca

definitionis casus respondeant: vt si id prodest, quod efficiens est valetudinis, vtiliter accommodatè ad valetudinem efficiendam, etiam quod profuit, id valetudinẽ efficit. Spectandum est etiam ex idea, sitne vera & propria quæ data est definitio, quandoquidem in quibusdam id non reperiri cernitur. Quemadmodum Plato definit, adiungens animantium definitionibus mortale. Si enim idea est, certè non est mortalis, veluti ipse homo. ita ideæ minimè conueniet definitio. Omnino necesse est, si addatur id quod efficiens est, aut patibile in idea, discrepare definitionem. Impatibiles enim & immutabiles videntur ideæ iis, qui ideas defendunt. Quales definitiones contra eos valent.

Cap. 4. *Vitiosum etiam genus definiendi est, si omnium eorum quæ ambiguè dicantur, communis vna definitio statuatur. Cùm enim synonyma sint ea, quorum vna est nomini congruens definitio, nullius certè eorum quæ nomen complectitur, propria definitio est, quandoquidem æquè omnibus homonymum conuenit. Quod vitium in vitæ definitione reperitur, quam Dionysius tradidit, Motus vniuerso eorum quæ nutriuntur generi, natura insitus. Nec enim hæc oratio animantibus magis inest, quàm iis quæ è terra gignuntur: cùm interim vitæ non vnum genus sit, aliúdque vitæ genus animantibus, aliud iis quæ è terra gignuntur, tributum esse videatur: atque fieri potest, vt quasi de industria, sic definitionem vitæ explicemus, quasi sit synonymum verbum, vnúmque sit genus vitæ: sed etiam nihil prohibet eum qui homonymiam & ambiguum perspiciat, velitque alterius definitionem tradere, ita tamen facere, vt non propriam, sed communem vtrique statuat definitionem. Sed tamen vtrouis modo id fecerit, certè aberrabit. Quoniam autem quædam homonyma obscura sunt, is quidem qui interrogat, eis pro synonymis vti debebit: non enim alteri, vnius significati conueniet definitio. Ita alter quodam modo definisse non videbitur, quoniam in omnia conuenire debet synonymum: idem autem ipse si respondeat, ambiguum debet distinguere. Quoniámque nonnulli eorum qui rem aliquam defendunt in disputationibus, synonymum ambiguum esse dicunt, quoties non conuenit in omnia quæ statuta est definitio, & ambiguum in synonymis ducunt, si vtrisque conueniat: antè quàm aggrediaris ad disputationem, conuenire debet, qualia velit ea esse, qui respondet: aut antè ratiocinandum est, & concludendum ambiguum esse, aut synonymum, aut vtrumlibet. Facilius enim concedũt ij qui quid sequatur, non prouident. Quòd si non conuenerit inter eos qui differunt, & aliquis synonymum ambiguum esse dicat, propterea quòd ea definitio, quæ data est, in hoc sicut in illo minimè intelligatur: tum videndum est, an huius in cætera conueniat definitio. Perspicuum est enim id synonymum cum reliquis futurum: aut certè si illud sit, nec tamen hoc cum aliis synonymum sit, plures erunt reliquorum definitiones. duæ enim nominis definitiones ad ea accommodabuntur, & prior quæ data est, & posterior. Rursus si quis quid eorum quæ multis modis dicuntur definiat, neque in ea omnia quæ verbum ambiguum complectitur, definitio conueniat, nec ambiguum tamen dicat, sed nomen non omnibus conuenire, quoniam ne definitio quidem in omnibus reperiatur: contra eum afferre debemus, appellatione vtendum esse ea quæ & tradita sit, & ab omnibus recepta:*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec illam æquum esse infirmare: tametsi quædam sint, in quibus à vulgi consuetudine discedendum esse videatur. Si autem alicuius eorum verborum quæ coniuncta sunt, definitio statuatur, detracta alterius eorum quæ copulata sunt, oratione, an reliqua ei quod reliquum est conueniat, videndum est. Si enim secus, profectò ne tota quidem toti conueniet: vt si quis hoc totum lineam finitam rectam definiat, extremitatem plani habentis extremitates, cuius medium extremitatibus adiungitur: si finitæ lineæ hæc definitio est, extremitas plani quod habet extremitates, hæc reliqua debet esse recti definitio: cuius medium extremitatibus addatur. Atqui linea infinita nec medium habet, nec extremitates, cùm interim recta sit: ita nõ est eius quod reliquum
6 est, reliqua definitio. Vitiosum etiam definiendi genus est, cùm id quod definitur copulatum est, eique attribuitur definitio eiusmodi, quæ æqualibus & paribus quasi membris respondeat. Definitio autem paribus membris refertur, cùm quot sunt coniũcta, totidem etiam sunt & nomina & verba in definitione. In his enim talibus ipsorum nominum, aut omnium, aut aliquorum mutatio facienda est necessariò: quandoquidem non plura sunt hìc, quàm prius nomina: debétque is qui definit, pro nominibus omnibus maximè: sin minus, pluribus, explicare definitionem. Sic enim simplicia verba nunquam definiat is, qui verbum tantum pro verbo reddit: vt si pro veste tunicam. Vehementius etiam in definiendo errabit, si verba magis dubia assumat: vt si pro homine albo, terrigenam & mortalem candidum. Neque enim definiuit, cùm minus apertum & perspicuum sit, quod ita dictum est. Atque etiam in commutandis verbis

illud videndum est, an idem significet vna atque altera oratio. Vt si quis artem quæ rem animo cernit, definiat opinionem, quæ rem animo cernit & contemplatur. Opinio enim non est idem quod ars & scientia: quod quidem deberet, si modò totum idem sit futurum. Nam quod animo rem cernit & contemplatur, in vtraque oratione est: quod reliquum est, diuersum est. Iam si quis alterum verbũ commutet, neque differentiam, sed genus commutet, vitiosa erit definitio. Quod in exemplo quod modò protuli, cernere licet. hoc enim totum, quod rem animo cernit & contemplatur, verbo artis obscurius est, quoniam hoc genus est, illud differentia: & genus, quoniam latissimè patet, omnium est clarissimum & planissimum. Ergo non genus mutandum fuit, sed differentia, quandoquidem obscurior est. Nisi fortè ridicula hæc reprehensio est, præsertim cùm nihil prohibeat differẽtiam notissimo verbo significari, genus non item. Quæ cùm ita erunt, certè generis non differentiæ nomen mutandum erit. Quòd si quis non nomen pro nomine, sed orationem pro nomine mutet, profectò magis differentiæ quàm generis explicanda definitio est: quandoquidem rei illustrandæ & cognoscendæ gratia definitio traditur: & minus nota differentia, quàm genus est. Si verò differentiæ definitionem explanarit, an ad aliquid aliud definitio transferatur, videndum est. Vt si numerum imparem dicat, numerum qui medium aliquid habet, exponendum est, quemadmodum medium habeat. Nam & numerus in vtraque oratione est, & imparis verbũ in definitione mutatum. Atqui medium aliquid & linea & corpus habent, cùm non sint imparia. Non igitur propria est illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

imparis definitio. Quòd si multis modis dicatur id quod medium aliquid habet, distinguẽdum est, quemadmodum medium complectatur. ita aut refelletur, reprehendetúrque definitio, aut vitiosa esse concludetur. Præterea vitiosa etiam erit, si id cuius definitio statuitur, in iis quæ sunt, numeretur. quod autem definitioni subiicitur, non numeretur, vt si quis exempli gratia, rem albam esse dicat, colorem cum igne permixtum. Neque enim quod expers est corporis, permisceri potest cum corpore. Ita color permixtus & confusus cum corpore nullus est: & aliquod album est. Iam ij omnes qui non distingunt in iis quæ cum aliquo conferuntur, id cum quo conferuntur, pluráque complectuntur dicendo aut omnino, aut quadam ex parte, vitiosè definiunt: vt si quis exempli causa, medicinam dicat artem esse eius quod est. Nam si nullius eorũ quæ sunt medicina ars est, certè vitiosa falsáque est omnino definitio. Sin alicuius est, alicuius non est ars, quadam ex parte falsa est: debet enim esse omnium, si quidem per se non temerè & casu eorum quæ sunt, esse dicitur: id quod in cæteris quæ cum aliquo conferuntur, perspici licet. Quicquid enim scientia & arte continetur, cum scientia & arte cõfertur. Eadem est cæterorum ratio: quandoquidem quæ cum aliquo conferuntur, reciprocantur omnia. Omne enim quod arte continetur, in iis est quæ cum aliquo conferuntur. Præterea si is qui non per se, verùm fortuito & casu rem explicat, recte explicet & aperiat definiendo: non cum vno, sed cum pluribus vnumquodque eorum quæ cum aliquo conferuntur, comparabit. Nihil enim prohibet eandem rem & esse, & albam, & bonam esse. Itaque vt cum quouis eorum collatum quid definiat, rectè de-

finierit, si modò is qui re aduentitia temerè rem aliquam explanat, rectè explanat. Postremò hæc talis definitio propria rei quæ explicata est & data, esse non potest. Neque enim medicina sola, sed pleræque etiam aliæ artes in rebus quæ sunt, versantur: ita vnaquæque ars in eo quod est, versabitur: ex quo perspicuum est, hanc ipsam nullius artis esse definitionem: præsertim cùm propria, non communis definitio esse debeat. Sed interdum non rem nudam, verum rem quæ in eo genere perfecta est, definiunt: quo ex genere oratoris & furis definitio est. Si oratoris est, qui quod in quaque re ad faciendam fidem valet, perspicere potest, neque quicquam eorum prætermittit: & furis qui clam accipit: perspicuum enim est, eum qui talis est, qualem hæ definitiones describunt, perfectum & oratorẽ & furem esse. Neque enim fur est qui clam sumit, sed qui vult clam sumere. Rursus vitiosa erit definitio, si id quod per se expetendum est, vt ad agendum faciendúmve impellens, aut quiduis propter aliud expetendum, explicetur. Vt si iustitia, legum custos, vel sapientia, beatæ vitæ effectrix definiantur. Efficientia enim & conseruantia in rebus sunt, quæ propter aliud expetuntur. Et quanquam nihil prohibet, id quod propter se expetitur, etiam propter aliud esse expetendum: tamen in eo peccatur, si quis ita id quod propter se expetendum est, definiat. Nam cùm in cuiusque rei vi & natura explicanda optimum quicque adhibendum sit, id autem quod propter se expetitur, ei quod propter aliud, anteponatur, sit, vt illud ipsum potius significare debeat definitio.

Atque etiam illud considerandum est, ísne qui aliquid definit, hoc & illud esse, an ex hoc & illo esse, an hoc Cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum illo esse definiat. Nam si hoc & illud esse definiat, fiet, vt & vtrique conueniat & neutri: vt si quis, exempli gratia, iustitiam definiat temperantiam esse & fortitudinem. Nam si duo sint, quorum vterque altero sit præditus, vterque & neuter iustus erit: quandoquidem ambo iustitiam habent, & vterque non habet. Quòd si hoc non videtur admodum absurdum esse, propterea quòd in aliis quibusdam hoc contingit, (nihil enim prohibet duos habere minam, & neutrum habere) at illud certè perabsurdum videbitur eisdem contraria conuenire. Quod fiet, si eorum vnus temperantia & ignauia sit præditus, in altero fortitudo & intemperantia insit. Vterque enim iustitiam & iniustitiam habebit. Si enim iustitia est fortiudo & temperantia, iniustitia etiam ignauia erit & intemperantia. Omninóque omnia argumenta quæ sumi possunt ad demonstrandum, totum non esse idem quod partes, ad efficiendum id quod dictum est, valebunt: quippe cùm is qui eiusmodi definitionem statuit & inducit, idem esse partes & totum confirmare videatur. Aptissima autem omnium in hoc genere argumenta ducentur ab iis, in quibus aperta & perspicua partium compositio est, cuius generis est domus, & siqua sunt similia. Perspicuum est enim, si partes sint, nihil prohibere non esse totum. Ita non sunt idem totum & partes. Si verò res quæ definiatur non esse hoc & illud, sed ex hoc & illo constare dicatur, primũ videndum erit, an vnum aliquid ex iis ipsis minimè natura constare queat. Quædam enim veluti linea & numerus, ita affecta sunt inter sese, vt nihil ex eis effici possit. Deinde idne quod definitione apertum est, in vna re aliqua prima situm esse soleat, ea

autem ex quibus ipsum constare ille dixerit, non in vna re prima inesse soleat, verum vtrũque in altero. Perspicuum est enim ex iis, nunquam illud ex iis constare posse, præsertim cùm in quo partes, etiã totum necesse sit existere: ita non in vna re prima totum, sed in pluribus inerit. Quòd si & partes & totũ in vna re prima insint, illud considerandum est, an non in eadem re, sed in alia partes, in alia totum. Tum sublato toto, an vnà etiam partes tollantur & intereant, videndum est. Contrà enim effici debet, vt interemptis partibus, totum intereat: interempto verò toto, non necesse est partes interire. Aut illud, an totum bonũ vel malum est, & partes neutrum: vel contrà, partes in bonis aut in malis sint, & totum in neutro. Neque enim ex re vlla quæ nec bona nec mala est, aliquid quod bonum sit aut malum effici potest: neque ex iis quæ ipsa mala sunt, vel bona, fieri aliquid potest quod sit in malis vel bonis. Aut, maiúsne altera pars bonum sit, quàm altera malum: quod autem ex eis constare dixerit, non sit maius bonum quàm malum. Vt si exempli gratia imprudentia ex fortitudine & falsa opinione constare dicatur, quorum fortitudo maius bonum est, quàm malum falsa opinio. Debuit igitur etiam id quod ex illis est, ex maiore esse consequens, & esse aut bonum omnino, aut maius bonum quàm malum. Quod non necesse est, nisi vtrunque per se in bonis malisve ducatur, quippe cùm multa efficientia, per se non sint illa quedem bona, coniuncta autem & commixta cum quibusdam, in bonis numerẽtur. Alia sunt contrà, quorum vtrunque bonum est: quæ si coniungantur, vel mala erunt vel indifferentia. Quod autem posterius dictum est, facillimè in rebus salubribus vel pestilẽtibus perspici potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quædam enim medicinæ eam vim habent, vt & vtraque per se prosit: & si coniunctæ mixtæque adhibeantur, sint obfuturæ. Iam illud quoque videndum est, an ex meliore & deteriore parte aliquid constare dicatur, quorum meliore totum non sit deterius, & deteriore præstantius. An ne hoc quidem necessarium est, nisi per se sint ea ex quibus illud concretum est, in bonis. nihil enim prohibet, totum en bonis non numerari: quod in iis quæ modò commemoraui, perspici licet. Illud etiam, eodémne nomine totum & pars altera appellentur. non enim debent, sicuti nec syllabæ quidem: nam syllaba nunquam eodē nomine appellari solet, quo elementa ex quibus constat. Vitiosum etiam est, rationem concretionis non exponere. Non enim satis est ad aperiendum declarandúmque aliquid, id ex his vel illis constare dicere, præsertim cùm eorum omnium quæ concreta sunt, vis & natura non sit ex his vel illis constare, sed hoc vel illo modo ex his vel illis effici. Id quod animaduerti licet in domo. Neque enim si quæ res quouis modo disponatur, continuò domus erit. Quod si quid esse hoc cum illo definiat, primum dicendum est, hoc cum illo aliquid esse, idem quod hoc & illud, aut quod esse ex hoc & illo valere. Qui enim dicit aliquid mel cum aqua esse, is vel mel & aquā dicit esse, vel ex melle & aqua constare. Ita si vtrumuis horum idem esse concedat quod esse hoc cum illo aliquid, eadem omnino sumenda erunt argumenta, quæ ad vtrunque refellendum suprà exposuimus. Deinde diuisione adhibita, quot modis aliquid cum alio dicatur esse, nullóne modo hoc cū illo sit, videndum erit: vt si dicatur aliquid esse cum alio, vel vt in aliquo eodem subiecto: veluti iustitia & fortitudo in animo in-

sunt: vel in eodem loco, vel in eodem tempore, & nullo modo id quod quæritur de his verè dicatur, profectò nullius erit propria & vera ea quæ statuta est definitio: quandoquidem nullo modo hoc cum illo est. Sin diuisione adhibita, quot modis aliquid cū altero esse dicatur, verè sit in eodem tempore vtrunque, videndum est, an vtrunque minus ad eundem finem pertinere possit: vt si quis fortitudinem definiat audaciam cum recta ratione: fieri enim potest, vt audacia proiectus sit aliquid spoliandi, cùm recta ratione ac intelligentia de rebus salubribus sit præditus. Atqui non habebitur fortis is, qui eodem tempore hæc re cum illa valebit. Iam verò illud etiam, an ad idem vtrunque referatur, vt ad res medicas, nihil enim prohibet aliquam audaciam & rectam intelligentiam ad medicinam afferre: cùm interim fortis non erit is, qui hoc cum illo coniunxerit. Neque enim ad diuersa vtrunque eorum referri debet, neque ad quamuis eandem rem, sed ad finem fortitudinis: qualia sunt belli pericula, aut si quis alius magis ei propositus est finis. Sunt autem quædam, quæ non in eam, quam exposui, cadant diuisionem: vt si ira, ægritudo est cum contemptus opinione. hoc enim declarat, ex opinione eiusmodi nasci ægritudinem. hoc autem ex illo nasci, non idem est quod hoc cum illo esse, vllo genere eorum quæ exposita sunt à nobis. Rursus si quis definiendo, aliquarum rerum concretionem, totum esse dixerit, vt corporis & animi concretionem esse animal, illud videndum est, an qualis sit concretio explicarit, vt si quis definiendo carnem vel os, dixerit esse ignis, terræ, aëríque concretionem. Neque enim satis est concretionē dicere, sed qualis ea sit, exponendum est: quandoquidem non si quouis mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

do hæc ipsa coalescant, continuò caro nascitur: sed si hoc modo coalescant, caro: sin illo modo os gignitur. Quanquam neutrum eorum idem videtur esse quod concretio, præsertim cùm omni concretioni diremptio & dissolutio contraria sit, neque sit vlli eorum quæ exposuimus. Iam si æquè probabile est, esse omne quod concretũ est concretionem, aut nullum: nullum autem animal, quorum vnumquodque concretum est, concretio est, ne vllum quidem eorum quæ concreta sunt, concretio erit. Præterea si pari ratione alicui conuenire natura sua solent contraria, & altero rem definiendo aperuerit aliquis, certè non vera erit definitio: sin secus, profectò plures eiusdem rei definitiones erunt. Quî enim hoc potius quàm altero rem definierit, quandoquidem æquè in eodem vtrunque reperiri solet? Ex quo genere est illa animi definitio, natura capax scientiæ. Pari enim ratione ignorationis est capax. Quòd si cui ad totam definitionem euertendam nullum suppetat argumentum, propterea quòd totum obscurum est & abstrusum, is ad partem aliquam, quæ nota erit, & non rectè explicata videatur, omnem argumentationẽ dirigere debebit. Euersa enim parte, tota etiam euertetur definitio. Quæque obscuræ sunt definitiones, eas ita omnes exquirere ac considerare debemus, corrigendo & restituendo, vt & aliquid lucis, & argumentorum copiam afferamus: necesse est enim eum qui respondet, aut quod ab eo qui interrogat assumitur, approbare, aut certè ipsum quod tandem definitione aperiatur, exponere. Iam verò quemadmodum in concionibus legem soliti sunt ferre, quæ si melior sit, superiorem abrogant: sic in definitionibus faciendum est, aliáque inducenda est definitio. Si enim verior

videatur, magísque id quod definitur declarare, certè euersa erit prior, quandoquidem non sunt eiusdem rei plures definitiones. Ad omnes autem definitiones non minima in eo vis est, si id de quo agitur, ipse tecum considerate definias, aut definitionẽ quæ rectè tradita & explicata sit, assumas. Nam vt maior quædam nobis argumentorum copia suppetat, necesse est quasi exemplar, & quid in definitionibus prætermissum sit, & qui redundet, intueri. Ac de definitionum quidem locis, hactenus.

ARISTOTELIS TOPICORVM
Liber septimus.

Vnc vtrum id de quo agitur, idẽ sit, an alterũ, eo genere quod de eodẽ maximè proprium exposui, dicendum est. Idem autem maximè propriè dixi, quod vnum est numero. Ac primus locus sumitur ex casibus coniugatis, & contrariis. Si enim iustitia & fortitudo idẽ sunt, iustus & fortis idẽ erunt, & iustè idem quod fortiter. Eadem est contrariorũ ratio. Nã si qua eadem sunt, eorũ etiam cõtraria eadem erunt, in quauis repugnantia earum quas exposui. Nihil enim interest, huic an illi contrariũ sumatur, quandoquidẽ eadem sunt. Alter locus ex iis ducitur, quæ vim habẽt efficiendi quid vel interimẽdi: itemq; ex ortu & interitu, & vno nomine ex iis, in quibus est aliqua vnius ad alterũ affectio. Quæ enim omnino eadem sunt, eorũ etiam origines & interitus iidem sunt: & ea quæ vim habent efficiendi, & ea quæ interimendi. Atque etiam

Cap. 1.

primus locus

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud videndum est, an quorum alterum maximè quiduis dicitur, eorum etiam alterum eodem modo dicatur maximè. Quèadmodum Xenocrates beatã vitam & rectam eandem esse docet: quandoquidem recta & integra vita & beata maximè vna ex omnibus expetẽda est: vnũ enim esse quod maximè expetatur, & quod maximũ sit. Quod idem in cæteris eiusdem generis contingit. Sed illud intelligendum est, vtrunque eorũ quæ maximè expetẽda esse, aut etiam maxima dicẽtur, vnum numero esse oportere. Sin secus, esse idem nõ docebimus. Non enim si Græcorũ fortissimi sint Peloponnesii & Lacedæmonij, continuò Peloponnesios & Lacedæmonios eosdem esse necesse est: quandoquidem non vnus numero est Peloponnesius & Lacedæmonius. Sed vnũ alterum complectatur necesse est, quemadmodum Lacedæmonios Pelopõnesii. Aliter enim fiet, vt si alteri ãlteros non complectantur, ipsi inter se meliores sint. Nam necesse est Lacedæmoniis meliores esse Peloponnesios, si alteri alteros non complectantur: sunt enim cæteris omnibus præstantiores. Itémque Peloponnesiis anteponuntur Lacedæmonij, quoniam ipsi cæteros vincũt. Ita fiet, vt alteri alteris præstãtiores sint. Perspicuum est igitur, vnum numero esse oportere id quod optimum & maximum dicitur, si futurũ est vt idem esse doceatur. Itaque Xenocrates non demonstrauit, quandoquidem non eadem numero est beata & recta vita. Non igitur necesse est eandem esse vitam, quòd vtraque expetenda sit maximè, sed alterã ab altera contineri. Rursus videndum est duobus propositis, si quid & vnũ eorum idẽ sunt, an etiã id & alterũ idẽ sunt. Si enim ambo nõ idem valẽt quod aliquid quod idem est, profectò eadẽ ipsa non erunt. Iam ex attributis re-

rum, & iis rebus quibus hæc ipsa attributa sunt, ducenda sunt argumenta, hoc modo: Duobus propositis, quæ vni attributa sunt, eadem omnia alteri etiam attribui debent. Et quibus vnum eorum attributum est, etiã alterum attribui debet. Et si quid horum absit, profectò ea quæ proposita sunt, non sunt eadem. Videndum est etiam, an in vno genere categoriæ minus vtrunque numeretur, vnúmque qualitatem, alterum quantitatem, aliud relationem indicet. Illud etiam, an vtriusque minimè sit idem genus, sed vnum bonum, alterum malum: aut hoc virtus, illud scientia. Aut si genus idem, eadémne minus sint differentiæ, quæ de vtroque dicantur: sed de hoc, quæ rem animo cernit scientia, de illo ea cuius opus est in agendo. Quod idem in cæteris omnibus videndum est diligenter. Ex maiore hoc modo ducentur: Si vnum elationem habet, alterum non habet, aut si vtrunque habet, sed non simul. Quemadmodũ qui vehementius amat, non magis concubitum appetit. Ita non idem est amor, quod concubitus appetitio. Ex adiunctione hoc modo: Si vtrunque ad idem additum, idem totum non faciat & reddat. Aut si eadem re ab vtroque detracta, quod reliquum est aliud manet: vt si quis duplum simpli, & multiplum simpli idem esse dicat. Deiuncto enim ab vtroque simplo, quæ reliqua sunt, idem declarare debent: neque declarãt, cum præsertim duplum & multiplum non idem efficiant. Neque verò id modò videndum est, an ex proposito iam aliquod incommodum efficiatur: sed illud etiã, an ex fictione posit aliquid tale effici. Quod ij suscipere coguntur, qui inane aliquid & plenum aëris idẽ esse dicũt. Perspicuũ est enim, si aer euadat & abeat, nõ minus inane, quin etiã magis futurum

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse: quo tamen tempore nil est aëre plenum. Ergo posito aliquo, que quod falsum, siue quod verum sit: nihil enim refert, si alterum tollatur eorum, alterum non item, eadem illa non erunt. Atque vt summatim complectar, in iis quæ de vtroque quouis modo dicuntur, & in quibus hæc ipsa dicuntur, illud considerandum est, aliquóne loco hæc differepent. Quæ enim de vno eorum quæ eadem sunt dicuntur, ea de altero etiam dici debent omnia: & in quibus vnum dicitur, alterum etiam dici debet. Et quoniam multis modis idem dicitur, an alio genere, aliáque ratione eadem sint, videndum est. Quæ enim eiusdem generis vel speciei sunt, ea non eodem numero sunt necessariò. In eo genere nécne eadem aliqua sint, considerabimus. Postremò si vnum sine altero cohærere potest, certè non idem valebunt. Ac loci qui ex eodem ducuntur, expositi sunt. Ex iis autem quæ adhuc exposita sunt, intelligi potest, omnes locos qui valent ad refutandam quæstionem de eodem & aduerso, esse accommodatos ad refutationem definitionis. Nam si nomen & definitio non idem declarent, certè non vera erit quæ constituta definitio est. Eorum autem locorum qui ad confirmandum quid sumuntur, nullus ad definitionem probandam valet. Non enim satis est ad confirmãdam definitionẽ idem esse id quod definitioni, nominique quod definitur subiectum est, docere, sed cætera omnia quæ præposuimus, complecti debet definitio. Sic igitur definitionem, ex iisque locis euertere debemus. Quòd si probare eam & constituere velimus, primum intelligẽdum est, neminem aut paucos certè eorum qui disputant, definitionem per ratiocinationem tractare & concludere solere, eámque omnes principio ini-

tiòque sumere, cuiusmodi sunt geometræ, & ij qui in numerorum ratione versantur, cæterisque disciplinis generis eiusdem. Deinde illud intelligendum est, non esse huius disputationis subtiliter explicare, quid sit definitio, & quemadmodum sit definiendum. Nunc quidem quoad hic locus postulare videtur, eatenus hoc solum dicendum est, & definitionem, & vim, naturámque rei per ratiocinationem posse concludi. Nam cùm definitio oratio sit, quæ quid sit res explicat, eáque sola quæ in definitione dicuntur, in natura rei dici debeant: (dicuntur autem de natura rei genera & differentiæ) profectò si quis ea solùm sumat quæ de natura rei dici debent, quæ hæc ipsa complectetur oratio, definitio sit necesse est. Non enim aliud definitio esse potest: quandoquidem nihil aliud in rei natura dicitur. Ergo illud quidem perspicuum est, definitionem per ratiocinationem posse concludi. Quibus autem ex locis sumenda sint argumenta ad construendam definitionem, aliis libris accuratius exposuimus, ad hunc autem locum pertinent qui sequuntur. Ex iis enim contrariis quæ aduersa dicimus, & cæteris contrariis, elicienda sunt argumenta, siue totam definitionem, siue singulas partes spectemus. Nam si opposita & contraria oppositi definitio est, ea etiam quæ statuta & posita est, eius sit de quo agitur necesse est. Quoniam autem aduersorum plures sunt coniunctiones, sumenda est ex aduersis, quæ contraria definitio videatur maximè. Ac ex tota quidem definitione argumenta, quemadmodum exposui, trahenda sunt. Ex partibus autem hoc modo, & primum ex genere: Si contrarium in contrario est, id autem de quo agitur, non est in eodem, certè in con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trario genere erit: quandoquidem necesse est contraria aut in eodem genere esse, aut in contrariis. Atque etiam contrarias differentias de contrariis dici æquum putamus: vt exempli causa, de albis & nigris, quorum de his quod vim habet comparandi, de illis quod vim habet dissipandi, aspectus dicitur. Ita si de contrario contrariæ dicuntur, profectò de eo quod propositum est, eæ etiam differentiæ quæ statutæ sunt, dicentur. Ex quo fit, vt quoniam & genus & differentiæ rectè explicatæ sunt, definitio vera sit quæ data est. Aut non necesse est in contrariis contrarias dici differentias, nisi in genere eodem contrariæ reperiantur. Quorum autem contraria sunt genera, nihil prohibet eandem differentiã de vtrisque dici, vt de iustitia & iniustitia: quorum illa virtus, hæc vitium animi dicitur. Ita animi differentia in vtroque dicitur, quoniam corporis etiam sua virtus est & vitium. Hoc igitur verum est quidem certè, contrariorum aut contrarias, aut easdem esse differentias. Si ergo de contrario contraria dicitur, de hoc autem non item: profectò in hoc ipso ea quæ statuta est, intelligetur. Cum autem ex genere & differentiis definitio sit, si contrarij perspicua & clara sit definitio, eius etiam de quo agitur, perspicua clarăque erit definitio. Quoniam enim contrarium in eodem genere est, in quo alterum contrarium, aut in contrario, eodémque modo differentiæ aut contrariæ de contrariis, aut eædem dicuntur: certè de eo quod in controuersiam incidit, aut idem genus quod etiam de cõtrario dicetur, & differentiæ contrariæ, vel omnes vel nonnullæ, & cæteræ eædem, vel contrà differentiæ eædem, & genera contraria, vel vtraque contraria & genera & differentiæ, quoniam eadem esse

vtraque non possunt: alioqui contrariorum eadem erit definitio. Ex casibus etiam & coniugatis ducuntur argumenta. Genera enim alia alia sequuntur, & definitiones aliæ alias, hoc modo: Si obliuio est depulsio scientiæ, etiam obliuisci depellere scientiam erit: & oblitum esse idem quod depulisse sciẽtiam. Si igitur vnum eorum quæ dixi, concessum sit, cætera etiam concedantur necesse est. Itémque si interitus dissolutio est naturæ, interimere etiam erit dissoluere naturam, & accommodatè ad interimendum idem quod accommodatè ad dissoluendum. Et si id quod vim habet ad interimendũ, idem est quod id quod vim habet ad dirimendam naturam, interitus etiam diremptio erit naturæ. Eadem est cæterorũ ratio. Ita fit, vt si vnũ quodlibet sumptũ sit, etiam reliqua omnia concedantur. Ex iis quæ eodem modo inter se affecta sunt, hoc modo: Si id quod salubre est, efficiens est valetudinis, id etiam quod valet ad firmam constitutionem corporis, efficiens erit firmæ corporis cõstitutionis: & quod prodest, ad bonum efficiendum pertinebit. Eodem enim modo ad suum quicque eorum finem affectum est. Ita si vnius eorum definitio est, vim habere ad efficiendum finem, vniuscuiusque etiam cæterorum hæc propria erit definitio. Ex maiore etiam & ex paribus, quot modis licet cõfirmare, duo cum duobus comparãtur, hoc modo: Si hæc magis huius rei, quàm illius rei definitio est: quæ autem minus videtur, definitio est: etiam quæ magis videtur, definitio erit. Et si pari ratione hæc huius rei, & illa illius rei definitio est, & vna alterius rei est, reliqua etiam reliquæ rei erit. Quod si vna definitio cum duabus rebus, aut res vna cum duabus definitionibus conferãtur, nullus huius loci vsus erit. Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim duarum rerum vna definitio, neque duæ vnius rei definitiones esse possunt. Maxime autem apti & accommodati sunt ex omnibus loci ij qui modò expositi sunt, & qui ex casibus coniugatisque sumuntur. Itaque ij maximè in mente & cogitatione defixi atque parati esse debent (maximè enim apti sunt ad multas quæstiones) atque etiam ex cæteris omnibus ij qui latissimè patent, quoniam ex cæteris omnibus valent plurimum: vt si propositis rebus singulis & formis videas, an in ea omnia conueniat definitio, quandoquidem synonyma est species. Qui quidem locus contra eos etiam valet, vt suprà dixi, qui ideas esse ponunt. Iam si per translationem nomen quod definitur dixit, aut idem de se dixit vt alterum, & si quis alius locus latè pateat, firmúsque sit, is adhibendus est.

Cap. 2. *Difficilius autem esse confirmare & probare quàm refellere definitionem, ex iis quæ deinceps dicimus, perspici poterit. Neque enim facilis est cognitu definitio, neque ij quos interrogamus, libenter dant propositiones eiusmodi: Eorum quæ data definitio complectitur, vnum genus esse, alterum differentiam: &, In natura rei genus differentiásque dici, sine quibus ratiocinatione concludi non potest definitio. Nam si quædam etiam alia in rei natura dicãtur, certè dubium est, eáne quæ statuta est, an alia eius definitio sit, quandoquidem definitio oratio est, quæ quid res sit explicat. Quod etiam ex his intelligi potest, quia facilius est vnum, quàm plura concludere. Ac ei quidem qui euertit, satis est in vnũ dirigere argumentationẽ, quippe cùm si vnum qualecunque refellamus, euertimus definitionem. At verò ei qui confirmat, omnium eorum quæ definitio complectitur, necessaria concursio est. Præterea ei qui probat definitionem, de toto genere tractanda est ratiocinatio. Debet enim de omnibus definitio dici, quæ nomen complectitur: & præterea vicissim, de quibus definitio, nomen etiam dici debet, si futura sit propria, quæ est statuta definitio. At ei qui refellit, non est necesse de toto genere monstrare. Satis est enim docere, non verè dici de aliquo eorum quæ nomini subiecta sunt, definitionem. Quòd si totum & omnino refellendum sit, certè non necesse est reprehendendo reciprocare argumentationem. Satis enim est eum qui refellit omnino, ostendere in aliquo eorum quæ nomen complectitur, definitionem non intelligi: contráque non necesse est docere, de quibus oratio dicatur, nomen non dici quod definiatur. Iam si omnibus etiam quæ nomen complectitur, conueniat, non solis autem iis, definitio euersa erit. Similis est ratio proprij & generis. vtrunque enim eorum facilius refellitur, quàm probatur. Atque id quidem de proprio, ex iis quæ dicta sunt, perspici potest. fere enim in coniunctione explicatur proprium. Ita vno verbo reprehenso licet refellere: at ei qui probat proprium, omnia concludenda sunt necessariò. Cætera autem omnia ferè quæ ad definitionem, ad proprium etiam conueniet assumere. Eum enim oportet qui probat omnibus iis quæ subiecta sunt nomini, docere conuenire. At eum qui refellit, satis est vni docere non conuenire: & si conueniat omnibus, at non solis, hoc etiam pacto reprehensum erit, quemadmodum in definitione diximus. Genus autem vno modo licet probare, si omnibus conuenire doceamus, refelli autem duobus. Nam & si nulli, & si cui doceatur nõ cõuenire, euersum erit. Iam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

eum qui probat, nõ satis est ipsum inesse monstrare, sed eum etiam oportet quare vt genus insit, ostendere. At eum qui refellit, satis est non inesse docere in aliquo, vel in nullo. Videtur autem, vt in cæteris rebus facilius est dissipare, quàm dissipata & dispersa connectere, sic in his refellere, quàm probare. Accidentis porrò vniuersa quæstio facilius refutatur, quàm confirmatur. Confirmando enim docendum est conuenire omnibus: in refutatione satis est vni ostendere, non conuenire. Contrà quæstio quæ in parte proponitur, facilius confirmatur, quàm reprehenditur. Ad probandum enim satis est alicui docere conuenire: refutando autem nulli conuenire docendum est. Atque etiam illud perspicuum est, quid ita facillima sit vna ex omnibus refutatio definitionis: plura enim quàm pleraque eorum quæ exposuimus, cõplectitur: atque ex pluribus facilius efficitur conclusio, quoniam in multis sæpius, quàm in paucis rebus error versari solet. Præterea ad definitionem euertendam ex aliis argumenta sumi possunt. Siue enim oratio non est propria, siue non est genus quod datum est, siue aliquid eorum quæ complectitur, non conueniat, euersa erit definitio. At verò ad cætera refutanda, neque ea quæ ex definitionibus existunt, neque alia sumi possunt omnia. Sola enim ea quæ ad accidens sumuntur, ei sunt cum cæteris omnibus communia, quippe cum inesse & conuenire omnia debeãt. Si verò genus non vt proprium conueniat, non idcirco genus euersum erit. Itémque non necesse est proprium vt genus, neque accidens vt genus vel proprium conuenire, sed solùm conuenire. Ita fieri non potest, vt ex cæteris ad alia, nisi ad definitiones argumenta ducantur. Perspicuum est igitur definitionis vnius

ex omnibus & refutationem facillimam esse, & difficillimam probationem. Nam effici & illa concludi debent omnia. Siquidem conuenire illa ipsa ex quibus constat, docendum est, & genus esse id quod affertur, & propriam esse orationem, & præterea rei naturam declarari oratione, atque id præclarè factum esse. Ad definitionis hanc naturam proximè ex reliquis accedit proprium. Nam & facillimum est ad refutandum, quòd ferè constet ex multis verbis: & ad probandum difficillimum, quòd multa concurrere & quasi conuenire debeant, quódque soli rei insit, & cum ea reciprotetur. Omnium autem accidens facillimum est ad probandum. Cùm enim cætera non solùm conuenire docendum sit, satis est ostendere conuenire & inesse accidens: difficillimèque accidens refellitur, propterea quòd perpauca complectitur, neque enim declaratur in accidente quomodo conueniat. Itaque cætera omnia duobus modis refelli possunt, & docẽdo non cõuenire ea, & non hoc vel illo modo cõuenire: Accidens autem refutari non potest, nisi ostendatur non conuenire. Ac loci quidem ferè expositi sunt, ex quibus nobis ad quãque quæstionem magna argumentorum suppetet copia.

ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER VIII.

SEQVITVR, vt de dispositione & ordine argumentorum interrogandique ratione dicendum esse videatur. Primum quidem locum ex quo argumentum sumat, inuenire debet is qui quæstionem posturus est: deinde quæ- Cap. 1

Universidad de Deusto
Biblioteca

rere ipse per se, & disponere omnia: postremò hæc omnia apud alios tractare & eloqui. Ac loci quidem philosopho cum dialectico communis inuentio est: argumentorum autem dispositio & interrogatio, quoniam hoc totum, alterum qui contra disputet, requirit, propria sunt Dialectici. Philosophus enim, quique per se & solus exquirit omnia: modò vera sint & nota ea ex quibus efficitur conclusio, non laborat, an qui contrà disputat, vel hoc nomine maximè non concedat, quòd finitima sint & coniuncta iis quæ à principio proposita sunt, & quòd prouideat, quid effici concludique oporteat. Quin etiam dat operam, vt quàm clarissima sint, maximéque coniuncta cum re, pronunciata: quippe cùm ex his talibus conficiantur quæ scientiam gignunt ratiocinationes. Ac loci quidem, ex quibus ducenda sunt argumenta, superioribus libris expositi sunt à nobis. Nunc de eorum dispositione, quærendique ratione ita dicemus, si antè eas propositiones, quæ præter necessarias reliquæ sunt, partiamur. Necessariæ autem dicuntur ea, ex quibus ratiocinatio constat. Quatuor autem genera sunt earum quæ præter has assumuntur. Aut enim inductionis gratia, vt quod vniuersum est detur: aut augendæ & amplificandæ argumentationis: aut occulendæ celandæque conclusionis: aut illustrandæ aperiendæque orationis causa, omnis propositio sumitur, propterea nulla. Sed eò omnis diligentia conferenda est, vt his ipsis vel argumentationem amplificemus, vel in interrogando vtamur. Quanquam autem eas quæ occultandæ conclusionis causa assumuntur, certandi studio adhibemus: eis tamen, quoniam hoc totum huius artis munus cum altero transigen-

dum est, vti necesse est. Necessarias igitur ex quibus conficitur ratiocinatio, non statim proponere, sed longè ad summas proficisci debemus. Non enim debet aliquis, exempli causa, contrariorum quæ aduersa dicuntur, eandem artem esse sumere, etiam si id velit, sed omnino contrariorum. Hoc enim concesso & posito, etiam aduersorum eandem artem esse concludet: siquidem aduersa subiecta sunt contrariis. Quòd si non concedat, tum per aduersorum singulorum inductionem tractanda erit argumentatio. Nam aut ratiocinatione, aut inductione sumendæ sunt necessariæ propositiones, aut quædã ratiocinatione, quædam inductione. Quæque valde perspicuæ & claræ sunt, eas præponere debemus, propterea quòd obscurior est semper, magisque dubia in recessu & in inductione cõclusio. Atque mox ipsas necessarias proponere si quis sumere illo modo non possit, est maximè expeditum. Quæ autem præter necessarias enumeratæ sunt, & illarum ipsarum causa sumi debent, & ita adhiberi: ad inducendum quidem, vt à singulis ad vniuersas & generales, à non dubiis clarisque ad obscuras dubiasque perueniamus inducendo. Clariora autem sunt eaque sensui subiecta sunt, aut per se, aut certè plerisque: ad celandum autem conclusionem, vt antè fiat de iis ratiocinatio, ex quibus id quod initio propositum est, concludi efficique debet. Quod ita fiet, si quis non solum necessarias, sed aliquam etiam earum quæ ad illas vtiles erunt, concludat. Illud etiam proderit, conclusiones tacere, eásque post quasi per coacernationem omnes colligere syllogismo. Sic enim à primo proposito ab errabit longissimé. At vt in summa dicam, eum oportet qui obscurè vult interrogare, ita hoc præstare, vt in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

terrogata iam tota oratione, effectáque conclusione, alter causa quæ sit, requirat. Idque ex superiore loco efficietur facillimè. Si enim sola vltima conclusio pronuncietur, incertum erit, quemadmodum efficiatur, quòd is qui contra disputat, vnde efficeretur non prouideret, cùm priores ratiocinationes in membra digestæ non essent. Minimè autem digeritur in membra ratiocinatio conclusionis tum, cũ eius sumptiones non enumerantur & disponuntur, sed illa ex quibus probantur illius syllogismi sumptiones. Vtile erit etiam, non continenter propositiones sumere ex quibus ratiocinationes constant, vicissimque aliam & aliam efficere conclusionem. Collatis enim vnum in locum iis omnibus quæ apta sunt ad aliquid concludendum, facilius quid ex eis efficiatur, intelligi potest. Atque etiam generalis quædam ex definitione non eorum de quibus agitur, sed coniugatorum, sumenda propositio est. Falsa enim conclusione se ipsi capiunt ij qui respondent, cùm coniugati sumitur definitio, quasi vniuersam generalémque minimè concedant propositionem: vt si hoc sumendum sit, eum qui irascatur, appetentem esse vltionis, sumatúrque ira libido esse puniendi eum qui contempsisse videatur: certè sumpto hoc, omnino quòd volumus habebimus. At si quis definitionem afferat eorum de quibus agitur, ferè fit, vt is qui respondet, ei resistat, quòd facilior sit in his occurrendi ratio. Cuius generis illud est: Non omnes qui irascuntur, pœnam appetere: nos enim parentibus irasci, neque eos supplicio affici optare. Et quanquam non videtur verè hoc loco occurri, propterea quòd nonnullis satis grauis pœna est, aliorum molestia & pœnitentia, habet tamen aliquid probabilitatis & au-

thoritatis, vt non sine causa propositum negatum esse videatur. Definitioni autem iræ tam facilè resisti non potest. Præterea is qui quæstionem ponit, ita proponere debet, vt non ad id de quo agitur, sed aliò quod affert, pertinere videatur. Declinant enim omnes qui respondent, ea omnia quæ ad propositum pertinent. Dare etiam operam debet, vt quàm maximè incertum sit, vtrum id de quo agitur, an eius cõtrarium velit sumere. Cùm enim quid ad propositum pertineat, obscurum est, neque apparet, tum facilius concedunt quod illis probatur. Iam verò ex similitudinis collatione interrogandi erunt, quoniam & verisimile est, & vniuersa res, quàm vult quisquam concludere, obscurior & occultior redditur: velut quemadmodum ars & inertia eadem est contrariorum, sic sensum eundem versari in contrariis: aut contrà, quando sensus in contrariis rebus cernitur, etiam artem. Quod quidem genus finitimum est inductioni, nõ idem tamen valet. Illic enim ex rebus singulis ad vniuersas peruenitur: in similitudine autem non peruenitur ad vniuersas, in quibus similia omnia continentur. Ipse etiam sibi interdum debet resistere. Suspectos enim non habent eos, qui æqui in disputando videntur. Vtile est etiam si dicat ea se proponere, quæ vsita & trita sunt, in omniúmque ore versantur. Neque enim audent vsitata repudiare & tollere, quòd quid contrà obiiciant, non habent, & quia hæc illis vsitata sunt, haud periculum est, ne ea reprehendant. Iam & studium nostrum in aliqua re sumenda dissimulare, etiamsi vtile sit, debemus. iis enim qui magnum studium in aliqua re ponunt, resistunt libentius. Et similitudinum collationem proponere: quia facilius concedunt rem in alio, quàm per

Universidad de Deusto
Biblioteca

se propositam. Magna etiam vis in eo est ad probandum
obscurè quod volumus, si id non proponamus quod sumen-
dum est, sed id quod illud consequitur necessariò. Facilius
enim dant & concedunt illud ipsum, quòd non æquè ex
eo perspici potest quid sit efficiendum: quo tamen sumpto,
etiam illud sumptum erit. Illud etiam plurimum valet, ex-
tremo loco id proponere, quod in primis efficere velimus.
Solent enim omnes primæ disputationi resistere acrius
& diligentius: propterea quòd omnes qui disputant, ea
in primis proferre solent, in quibus maius studium curám-
que posuerunt. Quandam apud nonnullos hæc quæ ad rem
maximè faciunt, prima dici debent: cuiusmodi sunt dif-
ficiles, qui quidem ea contendunt facilius, quæ prima dis-
putatione afferuntur, si modò quid sequatur, non omnino
appareat: ad extrema autem difficiles se proteruósque
præbent. Quod idem de iis iudicandum est, qui acutos
se putant in respondendo. positis enim concessisque per-
multis, tumultuantur in conclusione, quasi ex iis quæ po-
sita sunt, minimè sequatur. Illi autem facilè concedunt,
& freti ingenio suo, & rati nullum se incommodum con-
secuturum. Postremò producenda erunt, & amplifican-
da, interiiciendáque in argumentatione ea omnia, quæ ni-
hil ad rem pertinere videbuntur. Id quod ij soliti sunt fa-
cere, qui falso aliquid describunt & delineant. Nam cùm
multa sunt, difficilis est falsi diiudicatio. Itaque celant &
obscurant rem interdum ij, qui obscurè vtuntur interro-
gationibus, ea quasi in cumulo occulta proponentes, sumen-
téque quæ nunquam per se ac singula darentur. Atque ex
his locis argumenta ducenda erunt ad celandam dissimu-

landámque conclusionem. In ornanda autem amplifican-
dáque disputatione, rerum finitimarum & coniunctarum
adhibenda inductio atque diuisio est. Inductio quidem
quid sit, facilè perspicitur. Diuisio autem talis est: vt artem
arte præstantiorem esse, aut quia certior sit, aut quia in re-
bus melioribus versetur. Et artium alias esse, quarum om-
ne opus est in cognoscendo: alias quarum in agendo: alias
quarum in faciendo. Hæc enim & ornatam afferunt ora-
tioni, nec necessaria sunt ad efficiendam conclusionem. Di-
lucidam autem & perspicuam argumentationem facient
exemplum, similitudinisque collatio. Exempla autem pro-
pria, & ad rem apta esse debent, & eiusmodi, ex quibus
res intelligatur, cuiusmodi illa sunt quæ Homerus, non
quæ Chœrilus commemorat. Sic enim notius erit & cla-
rius id quod proponitur. In differendo autem, ratiocinatio-
ne vtendum erit apud Dialecticos potius, quàm apud mul-
titudinem: inductio contrà magis multitudinem commo-
uet. Sed de his generibus iam dixi. In quibusdam rebus fa-
cilè potest is qui inductione vtitur, inuenire id quod totum
dicitur, in aliis non facilè potest, quòd omnibus similitudi-
nibus non est commune nomen impositum. Quin etiam
cùm genus vniuersum concludi debet, eadémque cæterorum
similium rationem aiunt esse, tum id profectò difficillimum
est, quædam eorum quæ commemorata sunt, eiusdem sint
generis, quæ non sint, explicare dicendo. Ob eámque cau-
sam sæpe disputantes inter se dissident & hærent, dum
alij similia esse confirmant, quæ non sunt similia: alij si-
milia num similia sint, ambigunt. Quocirca in his omni-
bus omni ratione efficiendum est, vt nomina fabricentur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt nec ei qui poscit quæstionem, num eius quod affertur, non sit similis ratio, hærere liceat, nec ei qui rogat, calumniari, eandem esse rationem, quòd multa eorum, quorum similus ratio non est, eodem modo dici videantur. Cùm autem inductione multarum rerum adhibita, non dat alter id de toto genere, tum æquum est, vt aliquid contra obiiciat, postulare. Quòd si in aliquibus non doceas hoc modo contingere, non erit æquum rogare, quorum tandem non sit similis ratio. Primùm enim argumentatio per inductionem tractanda est, tum postulandum, vt resistatur. Sed postulandum est, vt occurratur nobis, non in eo ipso quod proponitur, nisi fortè vnum est solum eius generis: vt duo, sunt tãtummodo parium numerorum primus. Debet enim is qui resistit, in alio genere resistere: aut certè dicere hoc vel illud solum esse ex eo genere. Quod autem ad eos attinet qui in toto genere occurrunt nobis, nec in eodem genere occurrunt, sed in eo quod eodem nomine, sed ambiguo continetur (veluti habere aliquem non suum colorem, aut pedem, aut manum, quoniam & pictor habeat non suum colorem, & cocus non suum pedem) in his omnibus diuisione adhibita interrogare debemus. Nam si ambiguum lateat, neque aperiatur, rectè in propositione nobis videbitur resistere. Quòd si in simili genere, non in ambiguo resistens, nostrum labefactet rogatum, detracto eo in quo resistet nobis, quod reliquum est, in toto genere valere docebimus, dum quod commodum est, effecerimus. Quod in obliuionis verbo & oblitum esse animaduerti potest. Non enim concedunt eum oblitum esse, qui artem amiserit, eo quòd casu & interitu rei eam amisit, non oblitus est tamen. Quod ergo reliquum est, dempto eo in

quo occursum est nobis, commemorari debet: vt si quis remanẽte re artem amisit, eum oblitum esse. Eodémque modo de iis iudicandum est, qui hoc loco nobis occurrunt: Maiori bono maius malum esse contrarium. Proferunt enim valetudinem, quæ cùm minus sit bonũ, quàm firma corporis constitutio, tamen ei maius bonum contrarium est: morbum enim maius malum esse infirma affectione corporis. Ex his etiam id detrahendum est, in quo occurritur: eo enim sublato, facilius licebit proponere: vt maiori bono maius malũ contrarium esse, nisi vnum alterum vnà secum inferat, vt firma corporis affectio valetudinem. Quod idem faciendum erit non solùm si quis nobis occurret, sed etiam si non occurret, & tamen id negabit & abnuet, quòd aliquid tale prouideat, quod iure contrà obiici possit. Sublato enim eo in quo nobis resistit, dare & concedere cogetur id quod reliquũ est, quòd in eo quod reliquum est, aliquid contineri, quod non sit ita, minime animaduertat. Quòd si dare nolit, etiam tum cùm petitum est vt resisteret, certè quo resistat nobis, non habebit. Sunt autem propositiones eiusmodi, quæ quadam ex parte falsæ sunt, quadam ex parte veræ: in quibus eo quod ex parte est sublato, reliquum licebit verum relinquere. Si verò multa proponamus, in quibus nobis minime resistat, tum vt concedat omnino, petere debemus. Propositio enim dialectica est, quæ magna ex parte rem ita habere declarat, neque refellitur. Cùm autem eadem res & sine incommodo, & cum incommodo per ratiocinationem concludi potest, hoc an illo modo efficiatur, nihil ad eum qui necessaria ratione non probabili concludit: is autem qui probabili ratione vtitur, non debet argumentationem tra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctare per ratiocinationem, per quam alter incommodo vrgeatur. Nam & cùm nullo incommodo vrgent concludendo, nihil controuersiæ loco relinquunt: & cùm incommodo vrgent, tum nisi sit euidens & perspicuum id falsum esse, alij incommodum id negant esse. Ita non habent quod volunt ij qui quæstionem ponunt. Proponenda autem sunt ea, quæ magna ex parte ita se habent, & refelli aut non possunt omnino, aut certè id facilè quasi prima facie perspici non potest. Cùm enim in rebus quibusdam non ita esse perspicere nequeunt, tum id quod propositum sumptúmque est, quasi verum sit, solent concedere. Nunquam autem quæri debet conclusio: sin secus, cùm alter eam negabit, ratiocinatio nunquam ad exitum perduci poterit. Sæpe enim etiam cùm nulla interrogatio & quæstio ponitur, sed vt cõsequens concluditur, id negatur effici: quod cùm faciunt illi, certè ab iis qui non vident quid ex cõcessis sequatur, minimè reprehendi videntur. Cùm igitur vnus rogat, neque id ait ex antepositis affici, alter autẽ negat omnino, tum ratiocinationi nihil omnino loci relinqui videtur. Neque vero quicquid de toto genere dicitur, dialectica propositio est, ex quo genere illud est: Quid est homo? aut hoc: Quot modis bonum dicitur? Propositio enim dialectica est, ad quam respondere licet, etiam, aut non: quod non licet ad superiores. Ita non est dialectica quæstio, nisi is qui proponit, facta antè definitione aut diuisione in hunc modum roget: An bonum hoc vel illo modo dicatur? Quam quidem quæstionẽ licet vel negare vel concedere. Quocirca enitendum est, vt ita, vt dixi, omnes hæ ponantur quæstiones. Quin illud etiam par est ab illo requirere, quot sint bonorum genera, quando explicatione &

diuisione adhibita à nobis, ille nullo modo concedet. Qui autem in vna ratione interroganda multum temporis immoratur, is inscienter quærit. Nam si is qui rogatur, ad rogatum respondeat, profectò ille aut plura quàm necesse est interroget, aut sæpe idem quærat necesse est. Ita aut nugatur, nihilque agit: aut ratiocicinationem per quam argumentationem tractet, non habet, quandoquidem ex paucis quibusdam omnis constat ratiocinatio. Quod si minus respondeat, cur eum aut non increpat, at relinquit? Illud autem intelligendum est, omnia proposita, quæ argumentis perdifficulter probantur, eadem facilia esse ad deffendendum, cuius generis ea sunt quæ & prima sunt, & vltima ordine naturæ. Nam & prima ac perspicua definitionẽ requirunt, & vltima multis concludantur necesse est ab eo, qui iam inde à perspicuis & primis continuatam seriem argumentorum persequi velit. Aliter enim fallaces ac captiosæ argumentationes videbuntur: præsertim cùm aliquid doceri non possit nec demõstrari, nisi à propriis initiis & principiis capto exordio, vsque ad vltima perueniatur. Ac illi quidem qui respondent, nec rem ipsi volunt definire, nec si qua proponatur ab interrogante definitio, facile admittunt. Sed profectò facilis non est differendi ratio, nisi quid sit id de quo instituitur disputatio, intelligatur: quod in principiis contingit maximè, quibus cætera probantur, ipsa aliis non possunt: definitionéque aperienda sunt, & cognoscenda necessariò. Difficilia etiam probata ea sunt omnia, quæ principiorum vicinitatem sequuntur. Neque enim multa ad ea probanda, argumenta possunt suppetere, cùm pauca interiecta sint inter ipsa & initium, quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

necesse est consequentia omnia monstrari. Definitiones autem eæ ex omnibus euerti possunt difficillimè, quæ verbis eiusmodi explicatæ sunt, vt primum dubium sit, vno modo an pluribus dicantur: deinde incertum, vtrum propriè de re quæ definitur dicantur, an per translationem. Nam quia dubium est illud, non perspicuum, inde fit vt nulla argumentorum copia suppetat: hoc autem quia incertum est, an per traslationem dicantur, non possunt refelli qui definitionem posuerunt. Omnino quæstio omnis si difficilis est probatu, vel definitionem requirit, vel in iis est quæ multis modis, aut quæ per translationem dicuntur, aut non longe abest à principiis: aut eo certè difficilis est, quia non est prima facie perspicuum, quo sit ex genere eorum quæ exposita sunt, id quod affert dubitationem. Nam si quo ex genere sit, intelligatur, illud etiam intelligatur, aut definitione explicandum id esse, aut diuisionem adhibendam, aut inueniendas esse medias propositiones, quibus vltimæ probetur. Pleraque etiam proposita, nisi rectè tradita & explicata definitione, neque disputari facile, neque probari argumentando possunt: quo ex genere illud est: Sitne vnum vni contrarium, an multa? Quòd si contraria definiantur, certè illud facile erit explicare: Sint necne sint pluræ eorundem contraria. Quod eodem modo iudicandum est de aliis quæ definitionem requirunt. Atque etiam in mathematicis videntur quædam non facile describi posse prætermissione definitionis: quale est illud, Eam lineam quæ ad latus planum secat, simili ratione & lineam secare, & locum: quod definitione adhibita facile intelligetur, quoniam & loco & lineæ eadem respondet quasi ex altera parte diuisio: quæ quidem illius de qua

agitur, orationis definitio est. Omnino autē prima elementa definitionibus expositis, vt quid sit linea, quid orbis, facile probari demonstrarique possunt: verum ad singula eorum probanda non multis argumentis vti possumus, propterea quòd non multa sunt media quibus probetur. Definitionibus autem initiorum prætermissis, vix, aut ne vix quidem, probari possunt. Quod idem sit in iis elementis quæ differendo adhibentur. Hoc igitur intelligendum est, cùm propositum aliquod difficile est probatu, id aliqua de causa earum quas exposui, euenire. Cùm autem propositio & enuntiatio quæ adhibetur ad aliquid probandum, difficiliorem habebit probationem, quàm propositum, dubitare liceat, sit nécne sit admittenda. Nam si eam non admittat, sed ei etiam probandæ adhiberi probationem velit, maius alteri onus imponet, quàm quod erat à principio propositum. Sin eam admittat, iis certè quæ minus valent ad faciendam fidem, ipse adducetur vt credat. Ac si quæstio difficilior non creddenda sit, ponenda est: si non dubiis & perspicuis dubia concludenda erunt, non est admittenda. Aut ei qui se dat in disciplinam, ponenda non est, nisi sit notior: ei autem qui exercitationis gratia disputat, ponēda, si modò vera esse videatur. Ex quo perspicuum est, non esse æquum vt qui docet, eodem modo postulet sibi concedi qua sumit, quo is qui interrogando disputat. Ac de ratione quidem interrogandi & collocandi satis ferè dictum est. Nunc de ratione respondendi differemus, ac primum quod eius sit officium, qui & rectè posit, & rectè ponit quæstionem, dicamus. Est autem eius qui ponit quæstionem, ita argumentationem tractare, vt eum quicum disputet, cogat absur-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diora concedere, quàm quæ ex re proposita consequuntur. Eius verò qui quæstionẽ poscit, dare operã, ne quod incommodum sua culpa, aut quod sit contra opinionem omnium, effici videatur, sed ex ipsa tantùm re, quæ à se proposita est ad disserendum. Aliud enim fortasse genus peccati est, cùm quis proponit primùm quod non debet, deinde propositum illud defendere non potest. Non sunt autẽ explicata & constituta adhuc à quoquam officia eorum, qui exercitationis & periculi faciendi gratia disputant. Neque enim idem propositum est doctoribus aut discipulis, quod iis qui certandi studio disputant: neque idem his ipsis, & iis quorum ad cognitionem & scientiam omnis dirigitur exercitatio. Nam & discipulis ea semper ponenda sunt quæ probantur omnibus: quoniã nemo eò operã confert, vt falsa doceat. At eorum qui certandi studio disputant, is qui quæstionem ponit, semper aliquid facere videri debet: & is quicum disputat, nulla in re illi concedere. Quoniam autem in conuentu & congressu dialecticorum, iis qui non certandi studio, sed vel tentandi, vel cognitionis gratia inter se differũt, non est adhuc à quoquam, vt dixi, expositum & traditum quid inuestigare, quid dare, aut non dare oporteat eum, qui poscit quæstionem, vegnauiter, aut non gnauiter, ac præclarè decreta sua defendat: nos hoc loco instituimus dicere. Qui igitur respõdendi munere fungitur, is quæstionem defendat necesse est, vel probabilem, vel non probabilem, vel neutram: ita tamen, vt aut probetur, aut nõ probetur omnino, vel cum adiunctione, vt huic, vel alij. Quo autem modo probabilis vel non probabilis sit, nihil interest: quandoquidem idem genus retinendum erit præclarè respondendi ad rogatum, aut

dandi, aut non dandi rogatum. Ac non probabile quidem si sit propositum, probabilem: sin probabile, non probabilem necesse est conclusionem effici. Contrarium enim propositi semper concludit is qui interrogat. Quòd si id de quo agitur sit eiusmodi, vt nec probetur, nec improbetur, eiusdem generis efficietur conclusio. Quoniam autem is qui scitè ratiocinatur & concludit, rebus non dubiis & perspicuis id quod dubium est, aperit & ostendit, profectò si quando id quod interrogatur, non sit probabile omnino, non debet is qui poscit quæstionem, neque id dare quod non probetur omnino, neque id quod illud quidem probetur, sed minus quàm conclusio, quippe cùm propositum si non probabile sit, conclusio probabilis sit futura. Ita fit, vt ea quæ sumuntur, omnia probabilia esse debeant, ac magis probabilia, quàm id de quo quæritur: siquidem magis perspicuis minus probabilia velit concludere. Ita si non sit ex eo genere id quod interrogatur, non id debet qui respondet concedere. Sin autem probabile omnino sit propositum, improbabilis omnino conclusio erit. Itaque danda erunt, quæ probantur omnia, & eorum quæ non probantur, siqua magis probabilia sint conclusione: sic enim rectè disputatum fuisse videbitur. Quod idem faciundum erit, si nec minus sit probabilis quæstio. Sic enim & quæ probantur, danda sunt omnia, & quæ nõ probãtur, siqua magis probabilia, quàm conclusio, erunt. Sic enim fiet, vt probetur magis disputatio. Ac si id de quo agitur, omnino probabile sit, aut non probabile, tum habenda erit eorum ratio, quæ omnino probantur. Sin autem non omnino probabile, aut non probabile, sed ei modò qui respondet, tum ex iis quæ ei probãtur, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus probantur, iudicare debet, quid concedendum aut non concedendum esse videatur. Quòd si alterius sententiam defendat is qui respondet, certè eius mentem & sententiam spectare debebit, vt quid concedendum sit aut negandum, intelligat. Itaque qui alienas sententias introducunt, vt bonum & malum esse idem, vt placet Heraclito, ij non dant in eodem simul non inesse contraria: non quòd non probetur hoc eis, sed quòd Heracliti sententia ita dicendum est. Quod etiam ij faciunt, qui alij ab aliis proposita accipiunt. Exquirunt enim illi, quid sit respōsurus is qui rem proponit. Hoc igitur perspicuum est, quæ exquirere is debeat qui respondet, siue omnino probabile, siue alicui sit id, quod quæritur. Quando autem necesse est omne rogatum aut probabile esse, aut non probabile, aut neutrum, & vel ad conclusionem efficiendam valere, vel non valere, rogatum: si probetur, neque ad conclusionem efficiendam valeat, id & dare, & probabile dicere debemus. eo enim posito & concesso, propositum primum non euertitur. Si autem neque probetur ipsum, neque ad conclusionem efficiendam valeat, id quidem dandum est, sed ita tamen, vt non probari id nobis significemus, vitandæ amentiæ gratia. Si verò & probabile sit, & ad rem pertineat, respondendum erit id quidem videri & probari: sed propositum adeò finitimum esse, vt eo concesso, propositum tollatur necessariò. Si ad conclusionem efficiendam valeat, & admodum sit improbabile, respondendum erit, conclusionem eo posito & concesso effici: sed stultum id esse quod asseratur. Cùm autem nec probabile quid, nec minus probabile rogabitur, tum si ad conclusionem efficiendā nihil valeat, id dandum erit nulla facta

distinctione: sin valeat, exponendum est, eo posito sublatum iri id de quo agatur. Sic enim & nihil eius qui respondet culpa factum videbitur, si quidem quid concedere & dare debebat, semper prouiderit: & is qui quæstionem ponit, quod vult efficiet, cùm ei ea dabuntur omnia, quæ magis quàm conclusio probentur. Qui autem instituunt argumentationem tractare per ratiocinationem, sumptis iis quæ minus quàm conclusio approbantur, iis quoniam inscienter ratiocinantur, quæ rogant dari concedique non debent. Eodē modo eis occurrendū erit, cùm res dubias & obscuras, & quæ multis modis dicuntur, afferent. Nam quoniam & qui poscit quæstionem, si minus intelligat, licet dicere, Non intelligo: & quod multis modis dicitur, non necessariò id aut concedere aut negare debet: profectò si quid afferatur quod obscurum sit, sine vlla dubitatione & mora se id non intelligere fatebitur. Sæpe enim ex eo quod dant & concedunt, ij quibus obscura nec aperta interrogatio proponitur, absurdum aliquid incidit. Cùm autem cognitum apertúmque erit id quod multis modis dicitur, si omni ex parte & omni no verum sit, aut falsum quod affertur, id omnino concedi negarive debebit: sin quadam ex parte falsum sit, & quādam ex parte verum, id ambiguè dici: & in illo verè & in hoc falsò dici indicabit. Nam si id posterius distinguat, dubium erit, an in prima disputatione ambiguum perspexerit. Quòd si ambiguum verbū nō attēdat, idque tū cùm alterius habet rationem, concedat: si ad alterum impellatur, fateri debet se id cōcessisse, cùm non ipsum illud ad quod vocatur, sed alterum ipse spectaret & attenderet. Cùm enim plura eidem nomini & orationi subiecta sunt, tum facilè existit con

trouersia. Sin rogatum & planũ sit & simplex, aut etiam, aut non, respondendum est. Quoniámque omnis propositio quæ valet ad conclusionem efficiendam, aut aliqua earum est, ex quibus ratiocinatio conficitur, aut ad aliquam earum refertur: perspicuum est autem tum alterius probandæ gratia assumi, cùm multa similia interrogãtur, quippe cùm ferè per inductionem vel similitudinem id quod de toto genere & omnino dicitur, concludatur: singula omnia concedenda sunt, si vera sint & probabilia, contra vniuersum genus obiiciendum aliquid. Impedire enim cursum orationis, nisi resistas verè, aut saltẽ videare, hoc est iniquum se in disputando, difficilemq; præbere. Ita si multa similia existant, neque det in toto genere dici, tum cùm refellere nequeat, profectò difficilem se proteruúmque præbebit. Iam verò si non habeat contrarium argumentum ad refellendum, tum multò etiam magis difficilis proteruúsque videbitur. Quanquam ne hoc quidem satis est. Multæ enim rationes extant sententiis omnium contrariæ, quarum difficilis est explicatio: cuius generis est Zenonis ratio, qua tollit motum & stadij traiectionem: nec verò propterea eorum contraria minus defendi concedíque debent. Ergo si quis nec contra vllam adferre rationem queat, nec aliquid opponere in quo non ita sit, & tamen non concedat, is profectò iniquum se præbebit in disputando: est enim in disputationibus iniquitas & proteruia, responsio quæ præter modos, quos exposuimus, vim habet ad interimendam tollendámque conclusionem. Defendere autem & propositum & definitionem, ita par est, si antè argumenta ipsi in nos quasi aduersariorũ tela iaciamus. Quibus enim rationibus infirmant nostri

decreta ij qui ponunt quæstionem, iis ipsis resistere debemus. Propositum autem non probabile timidè defendendum est. Multis autẽ modis non probabile esse potest. Nam & id non probabile est, ex quo efficitur, vt incommoda & absurda quædam fateamur: vt si quis vel omnia, vel nihil moueri dicat, & ea omnia quæ deterior status & constitutio sequi solet, & quæ hominum voluntatibus repugnãt: quale illud est, Voluptas est bonũ, & facere quàm accipere præstat iniuriam. Non enim quasi disputationis gratia defendat, sed tanquam ea dicat quæ probet & sentiat, ita eum oderunt. Argumenta autem quibus falsum concluditur, dissoluenda sunt, infirmando euertendóque eo, ex quo falsum effectũ est. Neque enim quouis sublato argumentum soluitur, ne si falsum quidem sit id quod sit euersum. Multa enim falsa in argumentatione contineri possunt: vt si quis sumat, eũ qui sedeat scribere, & Socratem sedere: ex his efficitur, scribere Socratẽ. Euersa igitur hac enũciatione. Socrates sedet, nõ tamen dissoluta & explicata argumentatio est. Et quãquam falsa enunciatio est, non tamen falsa ob id est argumẽtatio. Si quis enim sedeat neque scribat, non iam in hac tali causa hæc ipsa accommodata dissolutio est. Non igitur hoc refellendum est, sed illud, eum qui sedeat, scribire, cùm præsertim non omnis scribat qui sedet. Ita fit vt dissoluat argumentum is, qui falsi causam tollit: & explicationem argumenti intelligat is qui causam argumentationis falsæ cognouerit: quemadmodum in iis quæ falsò & vitiosè describũtur, cõtingit. ~~Neque enim satis est resistere, etiam si falsum sit quod refellitur, sed etiam cur falsum sit, docendum est.~~ Sic enim vtrum occurrendo, ratione & consilio ductus sit nécne, intelliget ur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 2. Impediri autem argumentatio potest, ne concludatur, quatuor modis. Primum id ex quo falsum est, refellendo. Secundo, occurrendo ei qui quæstionem ponit. Sæpe enim non explicato & dissoluto argumento, tamen is qui rogat, progredi non potest longius. Tertio, refellendo rogatum. Fit enim interdum, vt ex iis quæ quæruntur, non quod volumus consequamur, propterea quòd vitiosè interrogatum est, quibusdam tamen appositis effici potest conclusio. Ac si vltrà progredi is qui rogat non potest, occursum erit roganti: sin potest, rogato. Quartum genus resistendi, & deterrimum id est, quod ad tempus refertur. Nonnulli enim in refellendo ea afferunt quæ ad differendum plus temporis desiderant, quàm patitur disputandi consuetudo. Ac resistendi quidem quatuor, vt dixi, genera sunt: sed prima vna ex omnibus explicatio est, cætera impedimenta sunt quædam conclusionum. Reprehensio autem argumentationis non eadem ex eius natura & ex interrogandi ratione nascitur: ferè enim fit culpa eorum qui rogantur, vt non rectè tractetur argumentatio, quòd non concedant ea quæ magnam facultatem suggerant ad id efficiendum quod quæritur. Neque enim in alterutro solùm positum est, vt communis res rectè ad finem exitúmque perducatur. Quapropter interdum qui aliquid respondet, refellendus est necessariò, & omittendum ipsum propositum: tum denique cùm is qui quæstionem poscit, instructus calumniis paratus venit ad contradicendum. Ita iniquos se præbentes, disputationes non dialecticas, sed concertationum plenas instituunt & inuehunt. Et quoniam exercitationis, & veluti examinis causa, non eruditionis, hæ tales disputationes comparatæ sunt, profectò non modò vera, sed etiam falsa concludenda sunt: nec ex veris semper, sed interdũ etiam ex falsis. Nam & plerunque vero posito, is qui contra disputat, refellere debet: ita sit necessariò, vt sint proponenda falsa: & falsum quod positum est, interdum falsis euerti tollique debet, cùm præsertim nihil prohibeat falsa alicui magis quàm vera probari. Ita si ex iis quæ illi probantur, progrediatur argumentatio, persuasus potius quàm adiutus erit. Sed omnes debent, qui aliò disputationem rectè traducere & trahere volunt, vt geometra geometricè, sic dialecticè non pugnaciter traducere, siue falsum, siue verum sit id quod concluditur. Quæ autem sint dialecticæ ratiocinationes, suprà expositum est. Vt autem in rebus vsuuenit, vt socius iniquus & sceleratus sit is qui rem communem impedit: sic disputationibus, in quibus etiam commune quiddam propositum est vtrique, præterquam iis qui certandi studio disputant. Neque enim vtrique eorum licet eundem finem consequi, præsertim cùm plures vno vincere non possint. Vtrum autem in respondendo, an in rogando, id efficiant, nihil interest. Nam & qui certandi studio rogat, vitiosè & præposterè differit: & qui respondendo non concedit, neque dat quod videtur probabile, neque inducit in animum audire, quid tandem velit is qui ponit quæstionem. Ex quo perspicuum est, non eodem modo argumentationem, si per se consideretur, reprehendendam esse, & eum qui eam rogando tractat. Nihil enim prohibet, vitiosam argumentationem esse, cùm interim is qui quæstionem ponit, quàm poterit accommodatissimè, cum eo qui respondet, disputabit. Nam si res sit cum difficilibus & proteruis, nõ potest pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fectò ſtatim quas quiſque velit, ſed quas poſſit tractare per ratiocinationem argumentationes. Quoniam autem incertum eſt, quando contraria homines ſunt, & quando id quod à principio poſitum eſt in quæſtione (ſæpe enim ipſi ſecum & ſoli, cùm aliquid loquuntur, repugnantia dicunt, negatóque eo quod prius eſt, concedunt poſterius: itáque cùm rogantur, ſæpe repugnantia, & quod primo loco propoſitum eſt, concedunt) eo vitioſas argumentationes neceſſe eſt effici. Culpa eſt iſta eorum qui reſpondent, qui quædam non concedunt, alia eiuſdem generis concedunt. Ex quo etiam perſpicuum eſt, non eodem modo reprehendendos eſſe eos qui quæſtionem ponunt, & ipſam argumentationem. Argumentatio autem quinque modis reprehendi ſolet. Primò, cùm ex iis quæ rogata ſunt & quæſita, nihil concluditur omnino, nec quod ad rem pertineat, quòd falſa ſint, vel non probabilia omnia, aut certè plurima eorum ex quibus concluſio efficitur: & quòd nec detractis quibuſdam, nec additis, nec aliis detractis, aliis additis efficitur concluſio. Secundò, ſi tractetur per ratiocinationem, quæ ad rem non pertineat argumentatio, ex talibus, & eo modo quo in ſuperiori dictum eſt. Tertiò, ſi additis quibuſdam conficiatur ratiocinatio, ſed quæ deteriora ſint, quàm quæ rogata ſunt, minúſque probabilia concluſione. Quartò, ſi detractis quibuſdam, idem contingat. Interdum enim plura ſumuntur, quàm neceſſe eſt, vt non ex eo quia hæc conceſſa ſunt, efficiatur concluſio. Poſtremò, ſi ex minus probabilibus & credibilibus efficiatur, quàm ſit concluſio: aut ſi ex veris, ſed quæ difficilius & maiore negotio, quàm id quod quæritur, oſtendi poſſunt. Neque verò id poſtulandum eſt, vt omnes

quæ de propoſito inſtituuntur, æquè probabiles ſint ratiocinationes, & æquè valeant ad faciendam fidem. Eorum enim quæ exquiruntur, partim prima facie faciliora ſunt natura ſua, partim difficiliora: vt ſi quibuſcunque probabilibus poſſint, concludetur, rectè concluſa videantur. Perſpicuum eſt igitur, non eodem modo argumentationem iudicandam eſſe vitioſam, cùm ad quæſtionem refertur, & cùm per ſe exquiritur. Nihil enim prohibet argumentationem per ſe vitioſam eſſe: quæ ſi ad quæſtionem referatur, vera erit: viciſſimque vera per ſe conſiderata, cùm quæſtione collata, vitioſa eſſe poteſt: cùm facilè ex multis probabilibus & veris quæ illi quæſtioni tractandæ ſunt accommodata, effici poteſt quod volumus. Fit autem interdum, vt argumentatio etiam quæ concludit, ea quæ non concludit, ſit deterior, cùm illa ex iis quæ minus probantur, concludit: cùm quæſtio propoſita in eo genere non ſit, hæc autem talia modò requirit, quæ probabilia & vera ſint, nec ex iis quæ aſſumpta ſunt, argumentatio eſt. Neque verò ij qui ex falſis verum concludunt, iure reprehendi poſſunt, cum præſertim & neceſſe ſit ſemper falſum ex falſis, & liceat interdum verum ex falſis concludi: quod ex Analyticis perſpici poteſt. Cùm autem argumentatio quæ expoſita eſt, alicuius rei demonſtratio erit, ſi qua ſit alia propoſitio quæ cum concluſione nullam habeat coniunctionem, ex ea non efficietur concluſio. Si in ſpeciem præ ſe ferat coniunctionis, fallax erit concluſio, nõ neceſſaria. Eſt etiã Φιλοσόφημα, ratiocinatio neceſſaria. Epicherema autem, ratiocinatio probabilis. Sophiſma autem, ratiocinatio pugnax: Σόφισμα, ratio in vtranque partem diſſerẽdi. Quòd ſi ex vtraque propoſitione

Universidad de Deusto
Biblioteca

probabili aliquid ostendatur, neque æquè probentur, nihil prohibet id quod demonstratum est, magis quàm vtranque probari. At si vna sit probabilis, altera neutro modo: aut si hæc probetur, illa non probetur, si id quidē similiter sit, tum ex æquo probabitur & non probabitur, quod demonstratione concluditur: sin altera magis probetur, magis etiam probabitur. Atque etiam in tractandis argumentationibus per ratiocinationem peccatur, cùm aliquid pluribus ostenditur, quod paucioribus potest: quæ etiam in argumentatione reperiuntur. Cuius generis illud est quod sumitur ad probandum, opinionem aliam alia verius dici opinionem. Si quis poscat hanc enūciationem, quicquid appellatur cum accessione pronominis, ipsum, illud est quod in eo genere maximè est id ipsum quod est. Est autem opinabile aliquid, quod quia verè est opinabile, appellatur ipsum opinabile: ex quo sequitur illud ipsum cū maximè sit, aliis quibusdam esse magis opinabile. porrò autem omne quod magis esse dicitur, alterius cōparatione dicitur magis. Est verò opinio etiā aliqua vera, quæ accessione pronominis, ipsa opinio appellari potest: quæ aliis quibusdam certior est. Hìc igitur sumptum est, veram esse aliquam opinionem, quæ accessione pronominis, ipsa opinio vocaretur. Itémque illud, in omni genere illud esse maximè tale, quod per accessionem pronominis, ipsum nominatur: ex quibus sequitur ipsam opinionem quæ maximè verax est, eam esse quæ maximè & verissimè opinionis nomine vocatur. Sed quod vitium in hac est ratiocinatione? An ob eam causam, quòd facit vt causa ex qua ratiocinatio conficitur, ignoretur? Argumentatio autem perspicua est vno modo, qui maximè in populi ore versatur, cū

ita concluſa est, vt iam nulla sit opus interrogatione. Altero, qui etiam crebris vsurpatur sermonibus, cùm sumpta sunt ea, ex quibus esse necesse est quod concluditur. sunt autem ea ex aliis conclusionibus collecta. præterea si quid prætermissum sit, quod valde sit probabile. Falsa autem dicitur quatuor modis, Et cùm videtur concludere, neque concludit, quod vocatur conclusio & ratiocinatio ad concertationes spectans. Et cùm efficit illa quidem aliquid, sed quod minus ad rem pertineat: quod iis contingit maxime, quibus incommodo alij vrgentur. Aut aliquid concludit, quod ad id quod agitur pertinet, sed non propria accommodatáque ratione, id est, si ea quæ non est medicinæ propria, videatur medicinæ esse, aut geometrarum, quæ non est, aut dialecticorum quæ non est, siue verum, siue falsum sit quod efficitur. Alio modo falsa est argumentatio, cùm ex falsis concludit: cuius generis erit alia falsa, alia vera conclusio. Nam & falsum semper ex falsis, & verum interdum ex falsis, vt suprà dixi, concluditur. Ac oratio quidem quòd falsa sit, culpa est eius qui argumentationem tractat potius, quàm argumētationis. Nec verò culpa est semper disputantis, sed tum denique cùm falsam se aliquam argumentationem tractasse ignorat (quandoquidem sæpe falsam orationem & propositionem, cùm animo aliquid per nos ipsos tractamus, magis quàm multas veras approbamus) præsertim cùm ex iis quæ maxime videntur probabilia, aliquid eorum quæ vera sunt, ipse refellit. nam quomodo ea sit semper culpa disputantis, cùm sæpe ad res veras demonstratione concludendas huiusmodi ratiocinationes ex falsis adhibeantur? quippe cùm aliquid eorum quæ posita sunt, falsum esse debeat omnino, vt id de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

monſtretur. Si verò falſis, & valde abſurdis verum concludat argumentatio, multò certè deterior iis futura eſt quæ falſum concludunt. Cuius generis argumentatio, etiam falſum concludere poteſt. Perſpicuum eſt igitur, primùm videndum eſſe, an concludat argumentatio: deinde, verúmne, an falſum: tum, ex quibus. Nam ſi ex falſis, ſed quæ probabilia ſint, tolerabilis erit, & non aſpernanda ratio: ſin ex veris, ſed quæ non probentur, vitioſa: ſi & falſa, & quæ valde improbentur, profectò vitioſa erit aut omnino, aut in re de qua agitur. Quemadmodum autem is qui quæſtionem ponit, id quod initio propoſitum eſt, & contraria petat, ad veritatem expoſitum eſt, in Analyticis: quemadmodum ad opinionem, nunc dicendum eſt. Petendi autem id quod initio dictum eſt, quinque ſunt genera. Primum & clariſſimum, ſi quis id petat, quod demonſtrandum ipſi eſt: quod quidem in eadem re non facilè ignoratur, in ſynonymis autem, iiſque omnibus, quorũ nomen & definitio idem declarant, magis. Alterum, cùm id quod ſingillatim demonſtrari debet, omnino & totum aliquis petit: vt ſi quis probans contrariorum quæ aduerſa dicuntur, vnam eſſe artem, petat contrariorum omnino vnam eſſe: videtur enim quod per ſe probari debeat, id vnà cum aliis pluribus petere. Tertium, ſi quis ſingillatim petat, quod propoſitũ eſt ad demonſtrandum omnino: vt ſi omnium aduerſorum eſſe propoſitum ſit, aliquorum petat. Nam videtur hic etiam quod cum multis erat docendum, id petere per ſe ac ſeparatim. Rurſus, ſi quis adhibita diuiſione, id de quo agitur petat: vt ſi demonſtrandum ſit, medicinam eſſe ſalubrium & contrariorum, ſeparatim petat vtrunque. Aut ſiquis alterum petat eorum, quorum alia aliis conſequuntur neceſſariò: vt latus cum diametro componi non poſſe, cùm probandum ſit, diametrum cum latere non poſſe. Contraria etiam tot modis, quot ea quæ initio dicta ſunt, petuntur. Primum, ſi contraria petat, aientia & negantia. Secundò, ſi contraria eo modo quo ſunt inter ſe repugnantia: vt bonum & malum eſſe idem. Tertió, ſi quis omnino & totum ſumpſerit, & in parte petat quod repugnat: vt ſi quis hoc ſumpto, aduerſorum vnam eſſe artem, petat ſalubrium & inſalubrium aliam artem: aut ſi hoc poſteriore petito, de toto genere repugnantiam ſumat. Rurſus, ſi quis cõtrarium petat eius, quod expoſitis & cõceſſis efficitur neceſſarió. Item ſi quis contraria ipſa non ſumat, duo autem petat eiuſmodi, ex quibus repugnantia ſequetur. Sumere autem contraria, & petere id quod initio poſitum eſt, hoc differunt, quòd huius error in concluſionem incidit: (illud enim ſpectantes peti id dicimus quod initio poſitum eſt) contraria autem in propoſitionibus cernuntur, quòd inter ſe quodam modo affecta ſunt. Vt autem exercitatio & meditatio in argumentationibus eiuſmodi paretur, primùm aſſueſcendum eſt argumentationes conuertere. Sic enim maior nobis ad diſputãdum argumẽtorum ſuppetet copia, & in paucis multas argumentationes tenebimus. Conuertere enim eſt, vnum eorum quæ data ſunt refellere, mutata in ſuam oppoſitam concluſione, eáque cum altera ſumptionum accepta. Nam ſi tollatur concluſio, vna aliqua propoſitio tollatur neceſſe eſt: ſi quidem poſitis iis omnibus, neceſſe ſit concluſionem effici. Ad omne verò propoſitum multum valet, in hanc & illam partem argumenta inuenire, quibus ſolutio illico quærenda eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic enim fiet, vt simul & in quærendo & in respondendo exercitati simus: etsi nemo alius sit quocum disputemus conferamúsque hæc ipsa, nobis certè per nos & nobiscum licebit. Sunt etiam comparãda inter se argumenta, quæ vtranque in partem plurimum valent. Hoc enim & ad obfirmandum se, & ad refellendum multum valet, cùm alicui magna argumentorum copia in vtranque partem disserendi suppetit. nam ad contrarias partes fiet tutior. Posséque antè perspicere & perspexisse, quid vtrãque quæstionem & causam sequatur, non paruum adiumentum adfert ad cognitionem, philosophiæque rationem. Relinquetur enim, vt eorum rectè alterum sequamur. Sed ad id efficiendum ingenio opus est: verúmque ingenium & indoles in eo est, vt possis verum rectè sequi, & declinare falsum: quod quidem ij, quibus acumen ingenij, & indolem natura largita est, præclarè efficere possunt. Cùm enim amant, & oderunt quod affertur & proponitur, verè de eo quod præstantissimum est, iudicant. Cùm verò ad quæstiones, quæ sæpissime in disputationem incidunt, parati & instructi argumentorum copia venire debemus, tum maxime ad eas quibus capita prima proposita, & quæstiones generales disputantur: quoniam in his ferè ij qui respondent, omnia ferè quæ vulgo recepta sunt, respuere solent. Iam definitionum nobis magna vis suppetere debet, eáque in promptu habere debemus maxime, quibus ea quæ probantur, & prima declarãtur, cùm præsertim ex iis ratiocinationes constent. Danda est etiam opera, vt ea, in qua alia argumenta incurrunt, teneamus. Vt enim in geometria vtile est elementa exercitatione parata & meditata habere: & in numerorum ratione prima

quasi capita in promptu habere, magnáque in hoc ipso vis est, vt alium etiam numerum multiplicatum cognoscant: sic in argumentationibus principia tenere, & propositiones in ore habere. Quemadmodum enim in memoriæ exercitatione loci collocati & dispositi, statim faciunt vt redeant res nobis in memoriam: ita hæc ipsa magnam nobis ad disserendum copiam suggerent, quòd loci ipsi certi sint, quos spectemus. Sed locus communis potius, quàm tota ratiocinatio, memoriæ mandandus est, quippe cùm difficile sit mediocrem principiorum & propositorum vim ac numerum suppetere. Præterea argumentum vnum in multa distribuere assuescendum est nobis: ita tamen, vt id obscurissime facere videamur. Quod ita fiet, si quis longissime aberret à vicinitate eorum de quibus agitur. Ea autem argumenta in hoc genere plurimum valebunt, quæ de toto genere id maxime efficere possunt. Cuius generis illud est: Non esse vnam multarum rerum artem. Eadem enim ratio est eorum quæ cum aliquo conferuntur, & contrariorum quæ aduersa dicuntur, & coniugatorum. Atque etiam rationes, quas ab aliis accipimus, quasi vniuersales accipere debemus, etiam si in parte sint tractatæ, sic enim ex vna multas etiam facere licebit. Quod fieri in arte rhetorica de enthymematibus eodem modo iudicandum est. Is verò qui respondet, hoc quantum poterit declinabit, ne ad totum genus reuocetur disputatio: illíque hoc videndum est semper, an de pluribus rebus communibus tractetur facta ab alio argumentatio. Omnis enim quæ de parte est, in vniuerso genere cõtinetur, inéstque in priuata & singulari causa vniuersi generis expositio & demonstratio: quod sine vniuersi generis locis nihil concludi

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest. Vsus autem argumentationem earum quæ per inductionem tractantur, ad rudes & ignaros: eorum quæ per ratiocinationem, ad peritos transferri accommodarique debet. Enitendúmque est, vt ab iis qui argumentationes per ratiocinationem tractare possunt, propositiones: ab iis qui per inductionem, similitudinum collationes comparationésque accipiamus. Sunt enim vtrique in hoc genere exercitati. Omnino is qui exercitationis gratia disputat, conari debet vtilitatem illam ex disputatione consequi, vt aliquam inde referat aut ratiocinationem ad aliquid probandum, aut propositionem, aut solutionem, aut oppositionem (quæ instantia vulgò appellatur.) Et vt notet bene an perperam aut ipse aut alius disputauerit: & qua ratione vtrunque euenerit. Ex his enim tota hæc facultas constat: exercitatio autem facultatis gratia suscipitur. Sed ex iis omnibus quæ dixi, maxime quærendæ sunt propositiones & oppositiones, hoc est, vt vocantur, instantiæ. Dialectici enim vis maxime cernitur in proponendo & resistendo. Est autem proponere, vnum facere ex multis: quandoquidem vnum omnino sumi debet, ad quod pertinet argumentatio: resistere verò est multa ex vno. aut enim distinguit, aut euertit, cùm ex iis quæ proposita sunt, hoc concedit, illud non concedit. Quoniam autem vitiosæ & iniquæ disputationes cum quibusdam futuræ sunt necessariò, nec cũ quouis disputationes instituere, nec quemlibet in societatem exercitationis recipere debemus: nam aduersus eum qui hoc vnum agit, hoc conatur, vt alterius argumenta quacunque ratione eludat, æquum est omnino disputare, tamen non semper decet. Quocirca non temere cum quibusuis exercitationis causa considendum est: hinc enim

maledicta, hinc contumeliæ, hinc iracundæ cõtentiones, concertationésque nascuntur. Neque enim fieri potest, vt qui vnum in locum discendi exercendæque artis gratia conueniunt, sine concertationibus disputare desinant. Atque vt finem dicendi faciam, parata & meditata argumenta nobis esse debent ad eiusmodi quæstiones, quibus tractandis quo minor copia suppetet, eo ad plura valebunt: quo ex genere sunt & ea quæ per vniuersi generis quæstionem fusa sunt, & ea quorum ex tempore difficilior suppeditatio & inuentio est.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS
Stagiritæ de Reprehensio-
NIBVS SOPHISTARVM
Liber vnus.

Nicolao Gruchio Rothomagensi interprete.

PARISIIS,

Ex officina Gabriëlis Buon, in clauso Brunello, sub signo D. Claudij.

1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

NICOLAVS GRVCHIVS
omnibus in regio Lusitaniæ gymnasio studiosis philosophiæ auditoribus S. P.

ALII libri, quos de ratione differendi ab Aristotele & Porphyrio transtulit Perionius, licet multis in locis à nobis emendati, sub illius tamẽ nomine excusi sunt: hic, De sophistarum reprehensionibus, eodem iure esse non potuit, quia non eadem huius atque aliorum fuit causa. Cum enim ego id tantùm spectarem, vt studiosis philosophiæ auditoribus, non modò latinè, sed etiam planè ac dilucidè loquentem Aristotelem audire posthac in hoc regio gymnasio liceret: in aliis libris, paucis admodum mutatis, ab iis quæ latinè & eleganter scripserat Perionius, id quod instituera m, facile præstiti: in hoc tam multis in locis dilucidam orationem, verámque Aristotelis sententiam in Perionio (quod pace tamen tanti viri dixerim) desideraui, vt satius esse duxerim, totum à principio librum de græco vertere, quàm tantopere immutare, vt minimam à suo authore partem habere videretur. Meum consilium, vt in omnium studiosorum philosophiæ vtilitatem collatum est, ita omnibus, opinor æquis iudicibus probabitur: erúntque æquiores, si hanc nostram cum Perionii interpretatione conferant. Non quo homini eloquentissimo vllame ex parte conferendum esse prædicem, sed fidelius certe, ni fallor, & planius à nobis versum esse hunc librum iudicabunt, qui vtrunque legerint. Valete. Conimbricæ, ex regio gymnasio. 10. Calend. August. 1549.

Aristotelis de Reprehensionibus SOPHISTARVM,
Liber vnus.

DE sophistarum autem reprehẽsionibus, & de iis, quæ speciem habent reprehensionum, reuera tamen fallaces ac vitiosæ cõclusiones sunt, nũc dicendum. In quo ego naturam imitatus, ab iis potissimũ exordiar, quæ sunt huius disputationis prima veluti elementa. Ac primũ quidem alias esse veras ratiocinationes: alias, quæ tantùm videãtur, nec sint ratiocinationes, iã per se propemodũ est perspicuũ. Atq; vt aliis in rebus, ita in argumẽtationibus propter quandã rerum inter se similitudinẽ id accidit. Sunt enim inter homines alij, quibus reuera ineſt bonus corporis habitus, in aliis aut tumor quidam talis, qualis esse hostiarum solet in sacris curialibus per æmulationem curiarum: aut fictus ad eam ornatus bonam corporis habitudinem imitatur. Sunt item, qui sua ipsi forma pulchri sunt: alij autem, qui per fucum tantum tales videntur. Nec dissimilis est in rebus inanimatis ratio, in quibus sunt nonnullæ, quæ vt videntur, ita reuera sunt aut argentum, aut aurum. Aliæ cum non sint, falsa quadam specie iudicio sensuum videntur: vt litharg yrina & stannea videntur esse argẽtea: quæ felle tincta sunt, aurea. Eodẽ planè modo ratiocinationes & reprehensiones aliæ sunt, aliæ propter im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

peritiã videntur. Sunt enim imperiti homines iis propemodũ similes, qui procul res prospiciũt. Ac vera quidem tum ratiocinatio est, cũ ex quibusdã positis quidpiam ab iis quæ posita sunt, diuersum ob id necessariò sequitur, quia illa sunt antè posita. Reprehẽnsio autẽ, cũ est ratiocinatio, per quã non modò conclusio, sed eius etiam disparatũ conficitur. Fallaces autẽ in vtroq; genere orationes sunt, quæ idem, quod illæ, efficere videntur, nec tamen efficiunt. Id quod multis quidem ex causis euenit, sed vnus est inter omnes vulgatissimus & latissimè patens locus, ex rerum vocabulis. Quia enim ipsis per se rebus in mediũ prolatis, constare disputatio non potest, eóque verbis, quasi notis quibusdam, pro rebus vti cogimur: propterea fit, vt idem ferè vsueniat, quod in subducendis per calculos rationibus, nẽpe vt verborũ ac rerum eandem omnino esse rationẽ existimemus. In quo nos lõgè latéque erramus, tantũ enim inter illa interest, vt verborũ & orationũ certus sit ac definitus numerus, rerũ infinitus. Vnde efficitur, vt vna oratione aut nomine multas res significari sit necesse. Et quẽadmodum in subducendis calculis qui rudes sunt, & quid suo quique loco valeãt calculi, nesciunt ab iis qui sunt in eo genere periti, facilè circũueniuntur: Ita in sermonibus conferendis, qui ignorãt, quæ sit verborum vis & significatio, facilè, siue differãt ipsi, siue aliorum audiãt sermones, decipiũtur. Atque illa quidẽ vna causa est, præter alias, quæ postea explicabũtur, cur sæpe videantur esse ratiocinationes aut reprehensiones, quæ non sunt. Quoniam autẽ quibusdã illud est ingenium, vt se operæpreciũ maius facturos existiment, si sapiẽtes videãtur, nec sint, quàm si essent, nec viderentur (est enim Sophistice simulata & non vera

sapientia, & sophista is dicitur, qui ex ea quam præ se fert non vera, sed simulata sapientia quæstum facit) illud profectò ex iis perspicuum est, tali ingenio natis hominibus magis elaborandum esse, vt sapientis officium præstare videantur, quàm vt faciant, nec videantur. Est autem (vt singula cum singulis conferam) sapientis in re quaque officium, vt rogatus de iis rebus, quarum habet scientiam, nil falsum dicat: & vt, si quem in errore versari senserit, illum coarguat, & de falsa opinione deducat. Quorum prius in bene reddenda ratione de iis, quæ interrogantur, positum est: posterius in bene interrogando, si quid sit, de quo reposcenda sit ab altero ratio, cernitur. Necesse igitur est, vt qui sophistæ munus probè fungi velit, illud fallacium argumẽtorum genus, de quo paulò antè diximus, imprimis exquirat: quã doquidem in eo tantum est momenti, vt hæc sit vna ratio, qua sapientiæ opinionẽ, in qua illi sunt omnia, consequi possit, si talium argumentorum facultate instructus sit. Ac esse quidem nonnulla huius generis argumenta, & huiusmodi facultatem ab eis, quos sophistas appellare solemus, expeti, satis explicatum est. Nunc quot sint rationum sophisticarũ genera, & quis sit numerus singularum facultatũ, ex quibus cõstat hæc tota facultas: & quot partes sint huius tractationis, quam instituimus, & si qua sunt alia, quæ ad huius artis perfectionem pertinẽt, dicamus. Sunt igitur ad differendum quatuor omnino argumentorum genera: Vnum est eorum, quæ propriè ad docendum sunt accommodata: alterum eorũ, quæ dialectica vocantur: Tertio genere continentur ea, quæ ad probandum & examinãdum alterum adhibentur: in quarto genere sunt quæ contentiosa appel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lantur. Atque illa quidem ad docendum sunt accommodata, quæ constant ex propriis cuiusque disciplinæ principiis, nec vim habent ab eo, quod respondenti probatur. Credere enim, & indubitatam fidem habere eum oportet, qui discere aliquid velit. Dialectica autem sunt, quibus vtraque pars contradictionis ex probabilibus concluditur. Illa verò ad tentandum & examinandum alterum apta dicuntur, quæ ex iis modò vim habent, quæ ei probantur, quócum disputamus: quæque talia sunt, qualia ignorare non possit, qui sibi alicuius rei scientiam tribuit & arrogat. Qua verò ratione id sit faciendum, aliis in libris docuimus. Contentiosa autem sunt, quæ ex iis, quæ probabilia videntur, nec sunt, aut concludunt necessariò, aut non concludunt, sed modò videntur. Ac de iis quidem, quæ ad docendum & dimonstrãdum valent, dictum est à nobis in Analyticis: de dialecticis autẽ, & iis quæ ad examinandum alterum adhibentur, in superioribus libris. Nunc de contentiosis dicamus. Primùm autem intelligendum est quot, & quæ sint ea, quæ differendo sibi proponunt, qui contentionis modo, & vincendi causa disputant, quæ sunt quinque: Reprehẽsio, falsum, incredibile, quódque sit contra omnium opinionem, sólæcismus: & quintum, cogere eum, quicum disputant, nugari: quod est eiusdem verbi inepta & inanis repetitio. Atque illa quidem sibi proponunt, vt aut reuera assequantur, aut certè vt assequi videantur. Hoc enim est, quod primùm & maximè contendunt huiusmodi homines, vt coarguere respondentem videantur: secundo loco falsum aliquid volunt concludere: tertio ducere eò aduersarium, vt admirabile aliquid & contra opinionem hominum dicere cogatur: quarto vt eum, si pos-

sint, cogant sólæcismum committere, quod est aduersarium vi rationis adductum videri non posse effugere, quin barbarè loquatur: postremò, vt ad ineptam eiusdem verbi iterationem adducant. Sunt autem reprehensionum generales duo modi: vnus in verbis, alter in rebus. Atque ille quidẽ modus, in quo vis captionis ex verbis oritur, in sex partes distribuitur, quæ sunt vocabuli multiplicitas, orationis ambiguitas, cõiunctio, diuisio, accẽtus, forma dictionis. Esse autẽ tot, nec plures partes, non modò inductione doceri, sed etiam ratiocinatione non vna quidem fortasse, sed hac certè demonstrari apertissimè potest: nempe quia non possit præter illos modus alius reperiri, quo non idem semper iisdem verbis & orationibus dicamus. Ex nominis multiplicitate hæ omnes captiones ducuntur: Quæ memoriter ab alio recitantur, ea grãmatici μαθήμασι, ergo qui docti sunt μαθήμασι. Homonymũ est μάθημα. interdum enim idem valet quod intelligere rem aliquam, interdum significat idem quod discere. Quod quemque facere oportet, id bonum est: sæpe autem vsuuenit, vt mala nos subire oporteat: malũ igitur aliquod bonum est. Oportere duobus modis accipi potest: Vno modo pro eo, quod necessarium est: quæ significatio ad mala sæpe pertinet: sunt enim quæ licet mala sint, nobis tamen necessariò subeunda sunt: Altero modo quod bonum est, officióque consentaneum, hoc verbo intelligitur. Qui surgebat, stat, & qui conualescebat, valet: atqui surgebat sedens, & conualescebat ægrotans: stat igitur sedens, & valet ægrotans. AEgrotantem facere aliquid, aut pati, non habet vnam tantum significationem: sed interdum huius generis participia significant eum, qui nunc aut ægrotat, aut sedet:

Universidad de Deusto
Biblioteca

interdum verò qui ægrotabat prius, aut sedebat. Illud tamen verum est, eum, qui conualescebat, ægrotantem etiámnum fuisse: qui autem valet, non est ægrotans, nisi ita accipias, vt eum significet, qui prius ægrotabat. Ad ambiguitatem orationis hæc omnia sunt referenda: Ego vellem me hostes capere. Item illud: Quod quisque cognoscit, illud ipsum cognoscit. Hæc enim oratio vel ad cognoscẽtem, vel ad rem cognitam referri potest. Item illud: Quod quis videt, illud ipsum videt: columnam autem videt quispiam: colũna igitur videt. Exẽplum hoc licet omnino nõ exprimat Græcũ, tamen quantum patitur Latinus sermo, ad Græcũ proximè accidit.

** Quod esse dicis, tu illud ipsum dicis: lapidẽ autẽ esse dicis: tu igitur illud ipsum, lapis scilicet, dicis. Postremò illud quoque ambiguum est, σιγῶντα proloqui: nam & hoc dupliciter accipi potest. Vno modo, vt significet loqui aliquẽ qui taceat: Altero, vt de rebus multis loqui aliquem declaret. Sunt autem tres potissimùm modi, quibus omnis homonymia & amphibolia continetur. Vnus est, quando aut oratio, aut vocabulum propriè ac per se multa significat, vt aquila, canis: Alter est, quando ex vsu loquendi multiplicitas nascitur: Tertius, cum verba coniũcta multis modis accipi possunt, separata simplicem habent significationem. quale est illud, scire literas. Vt enim multiplicia non sint singula hæc verba, scire, & literas, cõiuncta tamen multis modis accipi possunt. Aut enim significant ipsas literas scientiæ capaces esse, aut verò literarum cognitionem habere alterum. Ac modi quidem, quibus homonymia aut amphibolia continetur, hi sunt quos exposuimus. Nunc de coniunctione dicamus, ad quam hæc pertinent omnia: Posse sedentem ambulare, posse non scribentem scribere. Etenim hæc duo non idem significant, cum est coniuncta, & cum est diuisa ora-*

tionis sententia. Est autem huius orationis posse non scribẽtem scribere, sententia coniuncta, cum significat eum, qui nõ scribit, posse, cùm non scribit, scribere: diuisa autẽ, cum eam vim habet, posse eum, qui nunc non scribit, postea scribere. Est etiam illud ex coniunctione ductum: Quas scis literas, modò didicisti eas. Item illud: Quod vnum solùm potest ferre, multa potest ferre. Ex diuisione autem ista ducuntur: Quinque sunt duo, & tria, atque ita paria & imparia. Itẽ illud: Maius dicitur, quod tantum est quantum alterum, & aliquid amplius: ergo quod maius est, tantum erit, quantum alterũ, itáque æquale. Neque enim idem valet oratio, cum illius sententia modò diuisa, modò coniuncta accipitur: qualia sunt hæc, Ego te seruum feci liberum: Quinquaginta hominum centũ heros liquit Achilles. Ex accẽtu autem vix oritur captio, nisi si de scripto sit controuersia. Nam in scripto & poëmate sæpe locum habet. Quo modo liberatur eorum calumnia Homerus, qui apud illum dicunt absurdè scriptũ esse, οὗ καὶ οὐ πάντα ὁμοῦ. Dicunt enim male accipi accentum illius particulæ οὗ, quæ non circunflexo, sed acuto notari debet hoc modo, οὔ. Item cùm ille locus Homeri reprehenditur, vbi de somnio Agamemnonis agitur ita, occurrunt, vt dicant non esse illa accipiẽda quasi Iouis verba: δίδωμι δ' οἱ θῦμος ἀρέσθαι, sed iis verbis imperare Iouem somno, vt det ipse somnus Agamemnoni illud, vt fiat sui voti compos Agamemnon, ita vt δίδωμι pro δίδῳμι accipiatur. Ac de accentu quidem hactenus. Ex forma autem dicendi tum duci intelliguntur captiones, quando alterius verbi specie falsi in is eandem esse rationem interpretamur, in quibus non est eadem ratio. Veluti cùm masculi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num ad fœmininum genus transferimus, aut contrà fœmininum ad masculinum, aut verò cum neutrum genus malè accipimus: Et cum ad qualitatem transferimus quantitatem, aut contrà, ex qualitate facimus quantitatem: Et cum id quod facere significat, in patiendi significatione accipimus. Denique cum id, quod certam quandã affectionem declarat, pro actione sumitur, eodémq; modo in aliis omnibus categoriis, quomodo superioribus libris à nobis diuisæ sunt. Illud enim vsuuenire interdum, vt quod actionẽ non significat, si tantùm speciem vocabuli spectes, ita accipiatur, quasi facere aliquid significet, vel hoc exemplo intelligi potest. Valere dicendi formâ simile est his verbis, secare, ædificare: & tamen illud qualitatem & certam quandam affectionem significat, hæc actionem: nec dissimilis est in aliis ratio. Ac de locis quidem, ex quibus ductæ ex verbo captiones eruuntur, satis. Sequitur, vt de fallacibus conclusionibus, quæ in rebus continentur, dicamus, quarũ septẽ sunt genera: Primũ est ex occidente: secundum ex eo, quod simpliciter aliquid dicitur, vel non simpliciter, sed cum aliqua adiectione aut partis, aut loci, aut tẽporis, aut affectionis ad alterũ: tertium est ex ignoratione reprehensionis: quartum ex consequenti: quintum ex eo quòd sumitur illud ipsum, quod iam inde à principio in quæstione positum est: sextũ ex eo quod pro causa ponitur, quod minimè est causa: septimum ex eo, quòd quæ multæ sunt interrogationes, pro vna accipiuntur. Ac fallaces quidem ex accidente conclusiones tum ducuntur, quando rei subiectæ & accidenti eadem omnia attribuuntur. quia enim multa sunt in eodem subiecto, quæ eius modò sunt accidentia, propterea non necesse est eadem omnia rei

subiectæ conuenire, & omnibus rei subiectæ attributis: nisi velimus fateri, omnia, quæ sunt, esse eadem quemadmodum sophistæ dicunt. In quo vel hac ratione vtuntur: Si est diuersus ab homine Coriscus, est à seipso diuersus: Coriscus enim homo est. vel ista: Si est diuersus à Socrate Coriscus, sit autem Socrates homo, diuersum esse Coriscum ab homine necessariò fatendum est. Hæc autem est huius captionis occasio, quòd ita fortè accidit, vt is, à quo diuersus est Coriscus, homo esset. Ex eo autem, quod omnino ac simpliciter esse dicitur, id quod verè dici potest hoc vel illud esse, aut quod ex parte modò aliqua non propriè, tum vitiosa nascitur cõclusio, quando ita accipitur quod ex aliqua tantùm parte verum est, quasi omnino ac simpliciter verum esset. Veluti si quis aut ex eo quòd res, quæ nõ est, opinabilis est, vellet concludere esse rem, quæ non est (neque enim idẽ valet rem esse omnino, quod esse aliquid tale) aut contrà rem aliquã, quæ sit non esse, quia de illa negetur alia quædam res: verbi gratia, quia verum sit rem illam non esse hominem. Multum enim interest dicas, rem non esse simpliciter & sine vlla adiectione, an verò non esse hoc, aut illud. Sed quoniam si verba modò spectes, maxima est affinitas & coniunctio inter ista, esse quidpiam, & esse, itémque non esse quidpiam, & non esse, idcirco fit, vt distingui hæc inter se non videantur. Quod autem dixi, in eo quod non omnino esse, sed cum adiectione tale aliquid esse dicitur, idem intelligendum est, quando id, quod in parte modò aliqua & quodam modo verum est, ita accipietur, quasi simpliciter, omniq; ex parte verũ esset. exempli causâ, Si Indus aliquis, cũ sit toto corpore niger, dentes albos habeat, erit igitur idem albus, & non albus. Itẽ si pars vna sit vno colore

Universidad de Deusto
Biblioteca

tincta, alteráque altero, inerunt igitur in eodem subiecto duo aduersa. Porrò autem harum captionum causa in quibusdam facilè perspicitur: veluti si postquam sumpseris nigrum esse AEthiopem, roges, num sit albus dentes (vt poëtæ loquuntur) tum eo sumpto ad extremum omni absoluta interrogatione, putes te necessaria conclusione effecisse, nigrum esse eundem & non nigrum. In aliis quibusdam sæpe vsuenit, vt sit difficilis explicatio, idq; ex duabus potissimùm causis. Prima est, quando ex eo, quod cum adiectione alicuius partis dicitur, simplex & absoluta pronunciatio rectè sequi videtur, altera cùm ita alteri conueniunt alia, vt sit difficile perspicere, vtrum ex illis simpliciter ac omnino dici iudicandum sit: quemadmodum euenire solet, cum duo aduersa pariter alicui insunt: tum enim aut vtrumque, aut neutrum simpliciter dici admittendum videtur. Verbi gratia, si dimidium totius cuiusdam album est, & alterum dimidium nigrum, sitne illud nigrum potius an albũ appellandum, incertum est. Captiosa autem argumenta, quæ ex eo vim habere videntur, quòd non sit constitutum ac definitum, quid sit ratiocinatio, aut reprehensio, omnia ex omissa aliqua definitionis parte oriuntur. Etenim reprehensio est contradictio vnius & eiusdem non nominis, sed rei & nominis, atque adeò eiusdem nominis, vt non synonymum sit, sed idem ipsum quæ contradictio ex iis, quæ sunt posita, ita sequitur necessariò, vt in sumptionibus non sit acceptum illud, de quo instituta est disputatio, quæ denique ita facta est, vt pars vtraque in eodem, ad idem, eodem modo, & eodem tempore sumatur. Quæ omnia quomodo reprehensioni conueniunt, eodem possunt errori omnino ac deceptioni

conuenire. Quoniam ergo horum aliquid, quæ in definitione posita sunt, prætermittitur, idcirco fit, vt reprehendere alterum videatur, qui tamen reuera non coarguit: Vt, duo ad vnum sunt dupla, ad tria non sunt dupla: est igitur aliquid duplum & non duplum: Item, si vnum cum vno collatum in longitudine superet illud duplo, in latitudine autem non duplo, videbitur idem, facta etiam ad idem comparatione, duplum esse & non duplum: sed non in eadẽ certè re vtrũque dicitur. Postremò si facta sit ad idem comparatio, cernatúrque in eadẽ re vtrunque, & eodem modo, ad idem autem tempus vtrunque non pertineat, erit etiam ex hoc loco ducta fallax & captiosa reprehensio. Verùm quæ ducta est ex hoc loco reprehensio, potest etiam pertinere ad aliquem ex iis, quos in verbis esse diximus. Captiones autem, in quibus id ipsum accipitur in sumptionibus, de quo est instituta disputatio, iisdem & tot modis fiunt, quot & quibus petitio principij committitur. Causa autem, cur speciem aliquã reprehensionũ habere nobis videantur, est, quia discernere interdum non possumus, quid idem sit cum eo, quod à nobis ad disputandum propositum est, & quid diuersum. Fallaces autem ex consequentibus reprehensiones inde vim habent, quòd retro verti consecutiones existimemus, quæ minimè retro commeant. Quia enim ex hoc illud necessariò sequitur, ideo vicissim ex illo hoc effici necessariò opinamur. Atque ex eodẽ hoc genere sunt falsæ illæ opiniones, quæ gignuntur ex sensuum perceptione. Quia enim mellis consequens est flauus color, inde fit, vt sæpe fel pro melle accipiatur. Et quoniã pluuiæ consequens est made fieri terram, si madida sit terra, pluisse statim existimamus: quod tamen minimè necesse est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pertinent etiam ad hoc genus illa ferè oratorum argumenta, quæ ex ſignis dicuntur. Illi enim, vt probent adulterum eſſe aliquem, conſequentia accipiunt: vt quòd accuratius comptus & omni genere ornatus ſit, aut quòd oberrare noctu conſpiciatur, quæ tamen multis inſunt, quibus attributum illud non poſſit conuenire. Nec diſſimilis eſt in iis argumentis ratio, quibus hi vtuntur, qui ſyllogiſmis non ſignis diſſerũt: Quale eſt illud Meliſſi, quo infinitam eſſe vniuerſitatem hoc modo oſtendere conatur: Vniuerſitas eſt ingenita: (nam ex nihilo nihil gignitur) quod autem genitum eſt, principium habet. Itaque ſi ingenita eſt vniuerſitas, omni principio careat neceſſe eſt: infinita igitur. quæ profectò infirma eſt miniméque neceſſaria concluſio. Nam vt verum ſit omne quod generatum eſt, habere ſua quædam principia, cur, quæſo, viciſſim id erit neceſſarium, vt omne quod principium habet, genitum ſit? Illud ſanè non magis neceſſarium, quàm hoc: Si quis habet febrem, calet: ergo ſi quis calet, habet febrem. Sequitur locus, cum non cauſa tanquam cauſa accipitur: quò ferendæ ſunt omnes captiones, quæ ex eo naſcuntur, quòd in ſumptionibus aliquid tale accipiatur, quale potiſſimùm videatur eſſe cauſa reprehenſionis, cùm reuera ea non ſit cauſa, cur ad extremum illud efficiatur, quod concluditur. Quod in iis maximè ratiocinationibus vſuuenit, quæ aduerſarium vrgent incommodo. Semper enim quod huiuſmodi ratiocinationibus refellitur, eſt vna ex ſumptionibus. Si igitur præter neceſſarias ſumptiones ante concluſionem acceperis illud, vnde incommodum ſequi debeat, illa ſæpe videbitur eſſe cauſa, cur tu coarguas abſurda concluſione aduerſarium, quæ non erit: Exempli cauſa, ſi probare velis, quòd idem non ſint vita & anima, & hac tu ratione vtaris: Si aduerſatur omnido ortus interitui, & cuidam interitui aduerſabitur quidam ortus: eſt autem mors, quæ vitæ eſt contraria, interitus quidam: erit igitur vita ortus quidam, & viuere gigni ac oriri. quod fieri omnino non poteſt. quare verum illud non fuit, vitam & animam idem eſſe. Hac tu profectò ratione non confeciſti quod volebas. Nã vt illud nemo dicat, nil intereſſe inter animam & vitam, nihilominus idem illud incommodũ ſequitur, ſi illud modò admittat quiſpiã, cùm mors interitus quidam ſit, eam eſſe vitæ contrariam, interitui autem generationem. Ac huiuſmodi quidem rationes non ſunt ita vitioſæ, vt nil omnino neceſſario efficiant, ſed cum neceſſariæ concluſiones ſint, ad illud modò conficiendum: quod propoſitum eſt, infirmæ ac minimè neceſſariæ dicuntur. Neque his captionibus reſpondentes modò falluntur, ſed etiam qui contra diſputant, ſæpenumero in concluſiones huius generis incurrunt, cùm ſe optimè argumentari exiſtimant. Atque illa quidem ſufficiant de captionibus, quæ tum ex conſequenti, tum ex non cauſa ducuntur. Poſtremus locus ſupereſt, duas interrogationes quaſi vnam accipere: quò tum referendæ ſunt captiones, cùm non putat reſpondens multas eſſe interrogationes, ob idque quaſi ad vnam interrogationem, ſimplicem dat reſponſionem. Ac nonnullæ quidem interrogationes ſunt, quas facilè videmus multas eſſe, ideóque non eſſe ad illas ſimpliciter reſpondendum: cuius generis eſt iſta: Sítne terra mare, an cælum? In aliis quibuſdam non ita facilè perſpicitur: quas interrogationes ij qui reſpondent, perinde quaſi vnum eſſet quod rogatum eſt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut admittunt, quia nil habent quod rectè ad interrogatum respondeant, aut coargui reprehendíque meritò videntur. Exempli causa, Nũquid hic, & ille homo est? qui igitur hũc & illum cædit, hominem verberat, non homines. Itẽ illud, Positis quibusdam, quorum partim bona sunt, partim mala. Súntne illa omnia bona an malà? Hic enim vtrumuis dixeris, vno modo habebit, qui contra disputat, vnde te non ille quidem verè coarguat, sed videatur certè reprehendere, aut vnde eò deducat, vt absurdum aliquid dicere videare. nã in bonis aliquid numerare, quod minimè bonum est, aut contrà in non bonis, quod bonum absurdum est. Alio modo, hoc est, si alia quædã præter ea assumat, habebit vnde te vera reprehensione coarguat, veluti si quis iam antè concessisset, eadem ratione vnum, & multa dici alba, nuda, cæca. Nam si cæcum id appellatur, quod cum in genere eorum sit, quæ videre possint, caret sensu oculorum, cæca illa dicentur, quæ non vident, cum in genere tamen earum rerum sint, quæ oculorum sensu prædita esse possunt. Hìc igitur si de duobus rogaueris, quorum vnum videat, alterum non videat, & alius simpliciter respondeat, illud necessareò efficietur, vtraq; sensum oculorũ habere, aut cæca esse, quod fieri omnino non potest. Aut igitur illa, & tot fallacium ratiocinationum, & reprehensionum genera statuenda sunt, quæ, & quot modò exposuimus: aut si malimus vnum quasi omnium principium constituere, reuocanda sunt omnia ad ignorationem reprehensionis. Nam posse omnes modos, quos paulò antè docuimus, referri ad definitionem reprehensionis, potest his rationibus intelligi: Primùm si infirma est conclusio. Est enim hoc in definitione reprehensionis positum, vt iis, quæ po-

sita sunt, conficiat id quod vult, atque ita conficiat, vt necessaria sit re ipsa conclusio, non tantùm videatur. Deinde verò si singulas definitionis partes persequamur, idem illud planum fiet. Nam ex iis captionibus, quæ sunt in verbis, nonnullæ ex eo ducuntur, quòd dupliciter, non singulari significatione aliquid dicatur, vt quæ sunt ex homonymia, ambigua oratione, & dictionis forma. Solent enim ista omnia, quasi vnum quidpiã significarent, ita vsurpari. Reliquæ autem, vt quæ sunt à coniunctione, diuisione, & accentu, captionis inde originẽ habent, quòd non eadem semper oratio, aut nomen sumatur. Atqui vt fiat reprehensio, aut omnino syllogismus, oportebat sicut eadem res est, ita eadem esse nomina, & orationes, atque ita eadem, vt si de tunica, verbi gratia, concludendum esset aliquid, non esset illud sub nomine vestis concludendum, sed sub eodem ipso nomine tunicæ: non quò illud in altero nomine nõ tam verũ sit, quàm in hoc: sed quia sub illo altero nomine adhuc non confectum est necessariò, quod propositum erat: sed illa præterea interrogatio debet accedere, nónne idem vnum valeat, atque alterum? si modò velis ei, qui causam rogauerit, vnde illud sequeretur, quod concludis, iusta ratione satisfacere. Quòd autem captiones, quæ ab accidente ducuntur, huc reuocari possint, ex definitione ratiocinationis statim fiet manifestum. Est enim eodem reprehensionis quæ syllogismi definitio, nisi quòd præter syllogismi rationem adiũgitur verbum illud contradictionis: Reprehensio enim nil aliud est, quàm ratiocinatio, quæ ad conficiendam cõtradictionem pertinet. Si igitur quæ ex accidente captionis ducuntur, syllogismi non sunt, nec reprehensiones profectò erunt. Neque enim si ex illo antece-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dente efficitur hoc consequens, vt hoc album sit, necessariò consicitur, vt etiam illud antecedens album sit. Sed nec illud necessariò concluditur, si triangulum habeat tres angulos pares duobus rectis, ei autem accidat, vt aut figuras sit, aut primum, aut principiũ: ex iis inquam non poterit necessariò sequi, eandem illam proprietatem conuenire figuræ, primo, aut principio: quandòquidem huius rei demonstratio non fiat de figura aut primo, quia figura sit, aut primum, sed de triangulo hoc ipso, quòd triangulum est. Quod idem in aliis eiusdem generis dicendum est. Quare si omnis reprehensio est ratiocinatio, nulla erit ex accidente captio, quæ possit reprehensionis nomine appellari. Verũtamen hoc maximè fallacium conclusionẽ genere falluntur, & coarguuntur ab imperitis hominibus ij etiam, qui vel arte aliqua, vel omnino scientia quadã sunt præditi. Ducunt enim illi ab accidentibus argumenta, quæ cõtra sapientes obiiciant: quæ quoniam docti alioqui homines discernere ac distinguere rectè interdum nõ possunt, propterea ab illis interrogati aut concedũt, aut etiam quæ non admiserunt, ea se concessisse opinantur. Quæ verò ex eo ducuntur, quod simpliciter, & ex aliqua parte dicitur, in reprehensionis ignorationem eò incurrunt, quòd in iis affirmatio & negatio in eadem re non accipiuntur. Nam ei, quod ex aliqua parte album est, id contradicit, quod nõ est ex aliqua parte album: ei verò, quod omnino album est, id quod non est simpliciter album. Si igitur quod ex aliqua parte album esse dederit quispiam, ita alius accipiat, quasi omnino albũ esse cõcessisset, eo modo nunquã illũ verè reprehendet: quòd autẽ reprehendere videatur, ex eo proficiscitur, quòd ignoratur, quid sit reprehensio. Iam autem aper-

tissimè omnium ad hoc caput referuntur illæ captiones, quas suprà ex definitione reprehẽsionis appellauimus: vnde etiam factum est, vt illo nomine vocarentur. Causa enim cur illæ aliquam habeant speciem reprehensionis, in prætermissione alicuius partis definitionis posita est. Atque si distribuantur singula in partes, eo modo quo iam aggressi sumus, cõmunem esse omnibus captionibus hanc definitionis prætermissionem facilè perspicietur. Quòd verò huc etiam reuocentur captiones, quæ oriuntur ex eo, quòd illud ipsum, de quo instituta est disputatio, assumitur, aut in quibus non causa pro causa ponitur, vel ex iis, quæ nominatim in definitione posita sunt, perspici potest. Illud enim in definitione erat, vt conclusio necessariò sequeretur propter illa quæ antè posita essent: quod non fit in captionibus, quæ non causam pro causa accipiunt. Item illud in definitione ponebatur, vt non inter sumptiones acciperetur id, quod fuit à principio propositum ad differẽdũ: quòd non obseruatur in captionibus, quibus committitur petitio, vt vocatur, principij. Quæ verò ex consequentibus ducũtur, quasi partes quædam in accidẽtium captionibus continentur: nam quod est alteri consequens, id in accidentium numero censetur. Illud tamen differt eõsequens ab accidente, quòd in vno tantũ cernitur tractatio accidentis, veluti flauũ & mel idẽ esse, aut album & cygnum: consequentis autẽ vis & tractatio, non nisi in pluribus intelligi potest. Nã si quæ sint, quæ idẽ, quod vnum aliquid, valent, ea etiã idem valere inter se postulamus: ex quo proficiscitur reprehensio illa, quæ ex consequenti appellatur. Illud verò pronunciatum non est ex omni parte verũ, vt si non per se, sed fortuitò & per accidens album sit vtrunque. In eo enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

cygnus & nix idem sunt, quòd vtrunque album sit. Aut si aliud exemplum malis, sumatur argumentatio Melissi, vbi ille accipit idem esse, principium habere, & generatũ esse: aut illa, in qua pro eodem accipiuntur, æqualia fieri, & eandem recipere magnitudinem. Quia enim quod factum est, principium habet, idcirco vult Melissus vicissim effici, vt quod principium habet, factum sit, perinde quasi idem valeant ista duo, propterea quòd principium habeat, quod generatum est, & quod est finitum. Quod idem in iis, quæ æqualia fiunt, contingit. Nam, si quæ vnam atque eandem magnitudinem accipiunt, æqualia fiũt, vicissim etiam quæ paria fiunt, vnam & eandem recipere magnitudinem postulatur: quo fit, vt ex consequenti ducta sit hæc vitiosa conclusio. Quoniam ergo ad reprehensionis ignorationem reducuntur captiones accidentis, profectò dubium iam esse non potest, quin eò etiam referri possint, quæ ex consequentibus eruuntur. Sed illud certè, si modò diligentius attendas, alia etiam ratione melius doceri potest. Reliquæ sunt captiones, quæ ex eo nascuntur, quòd multæ interrogationes pro vna accipiuntur, quæ inde vim habent, quòd à nobis vis & natura propositionis non satis explicatè animo cernitur, ac veluti in suas partes tribuitur. Est enim propositionis natura in eo posita, vt vnum de vno dicatur, nimirum quia non est alia definitio eius, quod vnum quidpiam huius generis est, quàm ipsius omnino generis: vt vnius hominis eadẽ est quæ hominis definitio: & sic alia. Si igitur est vna propositio, qua vnum de vno pronunciatur, erit profectò ipsius omnino propositionis natura in eo posita, vt sit talis aliqua interrogatio. Et quoniã ex propositionibus constat syllogismus, reprehensio autem syllogismus est, propterea necesse est, vt etiam reprehensio ex propositionibus constet. Quapropter si ea demum propositio est, in qua vnum de vno pronunciatur, illud iam dubium esse non poterit, quin huiusmodi captiones ad ignorationem reprehensionis pertineant: vtpote quæ non propositiones, sed quæ propositiones modò esse videntur, accipiãt. Ac si interrogatus quidem alius quasi ad vnam interrogationem respondeat, vera hinc nascetur reprehensio: Sin ille non ita respondeat, sed videatur modò respondere, fallax non vera erit reprehensio. Quare omnes fallacium conclusionum modi in reprehensionis ignorationem incurrunt. Atque illi quidem, qui in verbis cernuntur, propterea huc pertinent, quia non vera contradictio, quod tamen est reprehensionis maximè proprium, sed falsa modò species contradictionis in eis existat: reliqui autem alij propter definitionem ratiocinationis. Causa autem cur nos decipiant captiones, in quibus inest aut nominis multiplicitas, aut orationis ambiguitas, est, quia distinguere non possumus ea quæ multis modis dicuntur. Nam huius generis sunt nonnulla, quorum multiplicitatem explicare non est facile, cuiusmodi sunt, ens, vnum, idem. In iis verò, quæ ex coniunctione & diuisione oriũtur, erroris causa est, eo quòd nil putamus interesse inter coniunctam & distinctam orationem: sicut in plurimis vllum est discrimen. Nec multum absimilis est in iis, quæ ex accentu eruuntur, ratio, quia scilicet aut nusquam, aut certè in plurimis nil interesse inter contentum & remissum verbum videatur. Quæ ex verbi specie ducuntur, propter quandã verborum inter se similitudinem, in errorem nos inducunt. Difficile est enim discernere, quorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit eadem ratio,& quorum diuersa. Nam qui hoc præstare potest,propè est, vt quid in quaque re verum sit, cognoscat: idémque scit, nos hac potissimùm ratione sophistarum captionibus vinci, quia omne, quod alteri attribuitur, ita accipimus, quasi hoc aliquid, vnámque numero naturam significet. Hæc enim sunt,quæ substantiam,& id quod vnum est,maximè consequuntur,significare hoc aliquid,& vnam quandam numero naturam. Vnde etiam fit,vt hic captionis modus inter eos numeretur,qui sunt in verbis. Primũ quod per huiusmodi captionem in errorẽ potius inducimur, dum aliquid cum altero tractamus,quàm cum animo eãdem ipsam rem apud nos exagitamus. Atqui verbis absoluitur omnis sermo, qui cum altero confertur: quod verò apud nos taciti cogitatione tractamus, non tam ad verba, quàm ad rem ipsam pertinet. Deinde verò quando euenit quenquam hac captione falli, dum tacitus apud se rem exquirit, ex eo semper oritur error,quòd ex verbis rem consideret. Postremò harum captionũ omnis error ex similitudine nascitur,quæ profectò similitudo nusquam est nisi in verbo. Captiones autem ex accidente eò nos in errorem inducunt, quod diiudicare & distinguere rectè non possimus, quæ sint eadem,quæ diuersa: quæ vnũ sint,quæ multa: quibus attributis conuenire oportet,quæ rei insunt,& quibus minimé. Quod idem in captionibus ex consequenti dicendum est: quandoquidem consequens pars quædam accidentis est. His accedit quòd, quoniã in multis verum esse videtur,si hoc est illius ita consequens,vt seorsum ab illo esse non possit,& vicissim illud ex hoc perpetua quadam coniunctione consequi: idcirco quasi reuera ac semper ita esset, suam argumentationem tractãt,

qui his captionibus vtũtur. Fallimur autẽ captionibus,quæ ex omissa aliqua parte definitionis,quæq; ex eo quod aliquid omnino dicitur, & quædam ex parte oriuntur, eo nomine, quòd res parum inter se distantes non rectè distinguimus. Nam quasi nil plus significet,esse quidpiam,aut quædam ex parte, quàm esse omnino,aut verò esse quodãmodo, aut hoc tantùm tempore: ita in toto genere ac simpliciter concedimus. Nec diuersa est in iis ratio,quæ aut illud ipsum,de quo est quæstio, assumunt,aut non causam pro causa ponũt,aut vnã faciunt interrogationem,quæ multæ sunt. Nam in iis etiam erroris causa est,paruum admodum rerum inter se discrimen: quia scilicet non satis subtiliter & accuratè perspicimus propositionis aut ratiocinationis definitionem, ob eam,quam suprà diximus,causam. Quoniã autem ex quot, quibúsque locis ducuntur vitiosæ ratiocinationes,quæq; videntur modò,nec sunt,iam tenemus: illud quoque simul confectum est,qui,& quot loci sunt,ex quibus eruuntur,sophisticæ omnino ratiocinationes & reprehensiones. Ego verò sophisticas ratiocinationes & reprehensiones hoc loco ita accipio,vt non modò complectantur eas,quæ inani quadam & falsa specie veras ratiocinationes, aut reprehensiones præ se ferunt: sed etiam eas, quæ reuera sunt ratiocinationes, habent tamen falsam quandam hac ex parte speciem, qua ad eam rem,quam efficiunt, propriè accommodata esse videntur, nec sunt tamen. Cuius generis sunt, quæ illud non præstant, in quo potissimùm munus piraslices, hoc est, quasi rationis examinandi (quæ pars quædam est dialecticæ) positum est: quia scilicet non verè coarguunt aduersarium, nec manifestam faciunt eius imperitiam. Atque

illa quidem piraſtice falſum aliquid ſuis argumentis nonnunquã efficit: ſed illud euenit propter imperitiam eius, qui in re, de qua agitur, tales potius rationes admittit. Sophiſticæ autẽ reprehenſiones, licet etiam neceſſariò concludant diſparata, non tamen manifeſtò alterius imperitiam coarguunt: quinetiam eis, qui ſciunt, tenebras offundunt. Sed quòd eadem via & ratione locos vtriuſque generis reprehenſionum complexi ſimus, hinc fiet manifeſtum. Nam quot, quibúſque de cauſis ſolet videri auditoribus ex iis, quæ interrogata ſunt, bene ac neceſſariò rem confici: iiſdem, & tot reſpondenti idem illud videri conſentaneum eſt. Ex illis igitur, quos expoſuimus, locis aut omnibus, aut certè nonnullis eruuntur falſæ ratiocinationes. Quod enim ſe non interrogatus quiſpiam admiſiſſe exiſtimat, idem profectò interrogatus non diuerſa erit ſententia. Verumenimuero inter has ratiocinationes nonnullæ ſunt, in quibus ſimul ac interrogantur ea, quæ ad perfectam concluſionem deerant, confeſtim falſitas apparet: cuius generis captiones ferè ſunt, quæ ex verbis ducuntur, & quæ ad ſolæciſmum perducere aduerſarium conantur. Si igitur paralogiſmi, quibus diſparata concludũtur, omnes ad reprehenſionem ita pertineant, vt eo peccent, quòd ſpeciem modò inanem reprehenſionum præ ſe ferant, illud profectò negari non poteſt, quin falſæ ratiocinationes ex iiſdẽ, & tot locis ducãtur, ex quibus reprehenſiones oriũtur, quæ fallaci ſpecie veras imitantur. Atqui fallaces iſtæ & fucatæ reprehenſiones ex eo naſcuntur, quòd aliquam partem ex iis, quæ ſunt in natura, veræ reprehenſionis prætermittunt. Vt enim quæque ex ſingulis partibus omittitur, ita fallax & fucata fit reprehenſio. Verbi gratia,

quando id quod concluditur, non ſequitur ex iis quæ antè poſita ſunt, oritur illa captio, quam maximè in argumenta cadere diximus, quæ ad incommodũ ducũt. Quæ verò multas interrogationes accipit pro vna, eo peccat, quòd propoſitionis natura non rectè accipitur. Quæ ex accidẽte ducitur, & altera, quæ huius pars eſt, ex conſequenti, hoc habent vitij, quòd pro eo, quod per ſe debeat eſſe, illa accipiunt. Peccant etiam illæ manifeſtò contra definitionem, quarum concluſio non ad rem eandem, ſed ad verba tantùm eadem pertinet. Præterea aduerſus id quod diximus oportere contradictionem in toto genere, ac ſimpliciter accipi, & in re eadem, & ad idem, & eodem modo omnes captiones peccant, quæ id, quod ex parte modò aliqua dicitur, ſumunt, aut huius generis aliquid, contra quàm ſingulæ illæ particulæ ſignificant. Denique in eam partem definitionis, non accepto eo inter ſumptiones, quod à principio poſitum eſt in diſputatione, incurrunt omnes, quibus petitio principij cõmittitur. Quare ex quot, quibúſque locis paralogiſmi eruantur, eadem hac via perſpici poterit. Nam & iis plures eſſe nequeunt, & in eos omnes, quos enumerauimus, incurrere poſſunt. Illud autem hîc intelligendum eſt, ſophiſticam reprehenſionem, & ſyllogiſmũ non omnino, nec apud omnes eſſe reprehenſionem, aut ſyllogiſmum, ſed apud hunc modo, vel illum. Ac ſi quidem ab eo, qui reſpondet, alius non accipiat, verbum multiplex vnam habere ſignificationem: & quod ſimili forma verbi profertur, rem declarare, quæ ſit hoc aliquid, vnúmque numero: eodémque modo in aliis: illæ nullo modo aut reprehenſiones, aut ratiocinationes erunt: hoc eſt, nec apud omnes, nec apud eum quidem, qui inter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rogatur. Sin illud ab aduersario concessum habeat, erit illa quidem, quod attinet ad respondentem, reprehensio & syllogismus: omnino autem, & apud omnes non erit: quandoquidem non sumptũ sit, id quod reuera vnum significaret, sed quod videretur modò, & ab eo acceptum, qui talis, hoc est, imperitus esset. Neque verò nobis hoc loco elaborandum est, vt ex quot, & quibus locis omnes veræ reprehensiones ducuntur, complectamur, quando illud sine omnium rerum scientia cognosci non possit. Nulla autem ars est, quæ hoc præstare vna queat. Sunt enim scientiæ propemodum infinitæ. Vnde etiam planum est demonstrationes esse infinitas: quæ eædem, veræ sunt reprehensiones. Nil enim demonstratione concluditur, quod idem reprehensione confici non possit, qua eum coarguas, qui contradictionis eam partem posuerit, quæ falsa est: Exempli causa, si quis dixerit, diametrum esse comparabilem cum laterẽ, is coarguetur demonstratione, qua non esse comparabilem diametrum ostenditur. Itaque omnium rerum scientiam habeat necesse est, qui omnes omnium reprehensionum locos sit animo comprehensurus. Aliæ enim reprehensiones ex geometriæ, aliæ ex medicinæ, aliæ ex aliarum cuiusque generis scientiarum initiis conclusionibus ducuntur. At verò falsæ etiam reprehensiones non minus infinitæ sunt, quàm illæ: quandoquidem nulla sit ars, quæ suos non habeat falsos syllogismos: Veluti in geometria geometrici, in medicina medici. Quòd autem dixi in quaque arte falsos esse syllogismos, sic accipi volo, vt eo tantùm artis esse dicantur, quòd principia accipiunt ipsius artis. Perspicuum igitur est, non esse nobis hoc loco explicandos omnes omnium reprehensionum locos:

sed eos modò ex quibus dialecticæ reprehensiones eruuntur. Sunt enim illi cõmunes omnibus artibus & facultatibus. Ac debet quidem quisque artifex omnes, quæ ad suam artem pertinent, reprehensiones considerare, siue sint illæ veræ reprehensiones, siue speciem tantùm habeant verarum: & quamobrẽ talis sit vnaquæque, explicare. Quæ verò ex communibus, quæq; nullius artis propriæ sunt, constant, hæ dialectico sunt considerãdæ. Nã si locos teneamus, vnde ducũtur probabiles ad disputãdum de quaque re syllogismi, simul ex quibus reprehẽsiones eruendæ sint, intelligimus: cum præsertim nil sit aliud reprehẽsio, quàm syllogismus cõtradictionis: ita vt tum sit reprehensio, quando aut vno syllogismo, aut duobus disparata conclusa sunt. Vnde igitur omnes huiusmodi ex communibus factæ reprehensiones proficiscantur, ex superioribus libris intelligi potest: simúlque vnde istarum reprehensionum dissolutiones accipi possunt: quãdo eas soluere nil aliud sit, quàm exceptione aliqua eas refellere. Ex iis verò, quæ paulò antè dicta sunt, cognoscimus quot, quibúsque ex locis oriantur, non veræ reprehensiones, sed quæ, non illæ quidem temerè cuiuis, sed certis quibusdam hominibus esse videantur. Nam persequi omnes causas, quibus videri possint quibuslibet hominibus reprehensiones, quæ non sunt, infinitum est. Ex iis ergo perspicuum est, dialectici esse, notatos habere omnes locos, vnde reprehensiones ex communibus constantes ducuntur, cuiuscunque generis illæ sint, hoc est, siue veræ, siue in speciem tantùm reprehensiones sint: Itémque siue dialecticæ reuera sint, siue dialecticæ tantùm esse videantur: aut verò ex eo rationum genere, quæ ad examinandam & excutiendam alterius

Universidad de Deusto
Biblioteca

eruditionem adhibentur. Non est vera illa argumentorum distributio, qua vtuntur aliqui dicentes, alia ad nomen, alia ad sententiam pertinere. Nam existimare diuersa esse argumenta, quæ ad nomen, & quæ ad sententiam pertinent, ac non potius eadem esse, quæ vtroque genere continentur, magna est amentia. Quid enim aliud est non argumentari ad sententiam, quàm non vti eum qui se rectè putat interrogare, aliquo vocabulo in ea significatione, in qua est concessum à respondente? Quid verò, nónne etiam hoc est de nomine contendere? Iam verò quid est conferre argumentum ad sententiam, nisi cum intellexeris, quod dixit respondens ad id argumentum dirigere? Quod si plura significet aliquod verbum, putet autem, qui interrogat, & qui respondet, vno modo dici (veluti ens & vnũ multiplicia sunt: existimabat tamen Zeno qui interrogabat, & is quoq; qui illi respondebat, vno tantũ modo dici: ex quo factum est à Zenone argumentum, quo omnia esse vnum concluderet) illam certè eandem argumentationem, siue ad nomen pertinere dicas, siue ad sententiam eius, qui respondet, vtroq; modo non male dixeris. Sin plura significare putent, non dubium est quin ad sententiã illa non possit pertinere. Primùm igitur in iis argumentis, quæ multiplicitatẽ aliquam habent, illud vsuuenit, vt quæ sunt ad nomen, eadem ad sententiam pertinere cernantur. Deinde verò nulla omnino argumentatio est, in quam illud, esse ad sententiam, cadere non possit, quandoquidem, esse ad sententiam & mentem alterius, non sit in ipsa argumentatione positum, sed in eo, quòd respondens hoc vel illo modo affectus est ad ea, quæ cõcessit. Tum verò nulla est contrà, cui non possit accidere, vt sit ad nomen: præsertim

cùm hoc loco, esse ad nomen, idem valeat quod, non esse ad mentem alterius. Nam si non omnes illuc referri possint, erũt profectò aliquæ reprehensiones, quæ neque ad nomen, neque ad sententiam erunt. Illi autem altero horũ generum omnes contineri dicunt: atque ita diuidunt, vt omnes generis reprehensiones, aut ad verba, aut ad sentẽtiam pertinere fateantur. Atqui ex iis quidem syllogismis, in quibus quædam inest multiplicitas, nõnulli sunt, qui ad nomen pertinẽt, (nam illud absurdum est, velle omnes captiones, quæ ex verbis ducuntur, pertinere ad nomen) sed illud certè negari etiam non potest, quin aliquæ sint in eodem illo genere captiosæ & fallaces ratiocinationes, quæ non ex eo vim habent, quia sit hoc vel illo modo affectus respondens, sed quoniam ipsa per se argumentatio continet aliquã interrogationem, quæ multis modis dicatur. Iam verò illud omnino absurdum est, habere illos, qui sic diuidunt, prius rationem reprehensionis, quàm syllogismi, & de illa prius, quàm de hoc disserere. Cùm enim reprehensio syllogismus quidam sit, necesse est vt prius respiciamus, quid in syllogismo positũ sit, quàm quid in falsa reprehẽsione, quæ aliud nihil est, quàm non vera, sed fallax & fucata ratiocinatio, adhibita ad concludendũ disparata. Vnde etiam fit, vt omnis captionis vitium vel sit in syllogismo, vel in cõtradictione, (nam ad syllogismum oportet contradictionem accedere, vt sit reprehensio) vel in vtroque. Vt autem singulorum exempla subiiciam, illa captio, qua concluditur, οἰκοῦντα proloqui, vitium habet, non in syllogismo, sed in contradicendo: illa verò, qua, dare aliquẽ posse, quod nõ habet, cõficitur, vtroque modo vitiosa est. Illa postremò qua efficitur, Homeri poëma esse figuram, quia cir-

culus quidã sit, in syllogismo vitium habet. Quòd si qua erit argumentatio, quæ neutro modo vitiosa sit, vera ratiocinatio censebitur. Sed vt eò redeamus, vnde digressi sumus, illud hîc rogo, an captiones, quæ in disciplinis versantur, ad sententiã pertineãt, nécne? Et si in ea quisquã opinione sit, vt triangulum putet esse verbũ multiplex, ilsque interrogatus in alia significatione cõcedat, quàm in qua de triãgulo, concluserit alius, habere tres angulos pares duobus rectis, eritne illa ad mentem & sententiam alterius disputatio, an potius non erit? Præterea si multis modis dicatur verbum aliquod, eamq; multiplicitatẽ nec intelligat alius, nec vllam omnino esse suspicetur, hîc, quæso, quónã pacto ad mentem & sententiã alterius collata est disputatio? Aut quo tandẽ modo, vt sit ad sententiam disputatio, interrogare alius debet? nisi fortè adhibita simul ambigui distinctione interrogandũ sit, vt sit huiusmodi, verbi gratia, interrogatio: Sitne verum, αἰγῶντα proloqui, an fálsum: an potius vno modo verum, & altero falsum? At enim si nihilominus hîc ita respondeas, vt nullo modo fieri illud posse dicas: contrà autẽ alius disputet, nunquid erit ad sentẽtiam tuã disputatũ? Atqui ad nomen etiam quin huiusmodi argumentatio pertineat, negari non potest. Non est igitur vnũ quoddam captionum genus ad mentem & sententiam pertinentium, sed illud modò verũ est, nonnullas esse, quæ ad nomen sunt: nec huius generis omnes esse possunt, non dico quæ veræ sunt reprehensiones, sed ne illæ quidẽ, quæ falsa specie veras reprehensiones præ se ferunt: quandoquidem multæ sint captiones, quæ ne ex verbis quidem ducuntur: quales sunt, quæ ex accidente eruuntur, & aliæ nonnullæ. Quòd si quis existimet oportere eum, qui interrogat, simul interrogando multiplicitatem verbi indicare, & distinguere hunc in modum: quum dico, αἰγῶντα proloqui, volo intelligas, posse hoc vel illo modo accipi: illa quidem certè primum erit valde absurda & iniqua postulatio, præsertim cum illud sæpe vsuuenire videatur, vt qui interrogat, nesciat omnino multis modis dici posse, quod rogat. Quod verò multiplex esse non putes, illud vt distinguas, fieri non potest. Deinde verò quid, quæso, hoc aliud erit, quàm docere? Hoc enim modo res, vt est, illi explicatur & declaratur, qui nec animaduertit, nec sit, nec omnino suspicatur, posse id, de quo interrogatur, alio atque alio modo accipi. Nã quid vetat, quo minus huiusmodi distinctio etiam in iis argumentis locũ habeat, in quibus nulla est ambiguitas? Exempli causa, nónne quatuor vnitates sunt pares duobus binariis, qui sunt in quaternario? ita tamen, vt diuerso modo in quatuor insint duo binarij & quatuor vnitates. Itemq; illa, éstne cõtrariorum eadẽ scientia? sed ita tamen, vt alia sint cognita, alia incognita. Quapropter qui ista distinctione vtendũ esse censent, ignorare videntur, aliud esse docere, aliud disputare: & quòd oporteat docentem non interrogare, sed manifestum facere id, de quo agitur: disputantem verò, eum modò, quícũ disputat, interrogare. Iam verò postulare, vt as, quícũ disputatur, aut dicat, aut neget, non est docentis ac demonstrantis rẽ, sed eius qui te probare ac velut examinare velit. Est enim tentãdi & examinãdi ratio, pars quædã dialecticæ: ob eãq; causam tota in eo posita est, vt quid de quaque re sentiãt, nõ illi qui verè docti sunt, sed qui rerũ sibi arrogant cognitionẽ, cũ sint illarũ imperiti, obseruet atque exquirat. Atque ille quidem, qui nõ in speciem modò, sed reuera cõmu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nia perueſtigat & exquirit, dialecticus eſt: qui verò id facere videtur, nec facit, ſophiſta. Ac ratiocinationum quidem contentioſarum & ſophiſticarum vnum genus eſt, quo omnes continentur: quæ, cum ex iis rebus conſtent, in quibus verſatur tentandi ratio, ſpeciem habent ſyllogiſmorum, nil tamen neceſſariò concludunt, etiam ſi id verũ ſit, quod concluditur. Iſtarum enim vitium eſt in verbo medio, in quo vis conſecutionis poſita eſt. Alterum genus eſt eorum paralogiſmorum, qui, cum propriè ad aliquam artem accommodati eſſe videantur, ad certam tamen quãdam artem reuera non pertinent. Neque enim illi, qui pſeudographi appellantur (quãdoquidem illi ſunt paralogiſmi de aliqua re facti, quæ cuiuſdam artis propria ſit) contentioſi ſunt exiſtimandi, ne ſi illi quidem pſeudographi verum aliquid concludãt: qualis erat Hippocratis ratio, qua circulum quadrare per lunulas conabatur. Sed erit certè contentioſa ratio, ſi talis ſit, qualis erat Bryſonis quadratura: qua quidem ratione tametſi quadratum circulo æquale dari concluderetur, tamen eo nomine ſophiſtica eſt appellanda, quòd non propriè eſt ad illã rem accõmodata. Quare quæcunque ratiocinatio accommodata ad rem videbitur, quæ non erit accommodata, etiamſi neceſſariam habeat concluſionem, ſophiſtica tamen & contentioſa erit appellanda: propterea quòd ea ſaltem ex parte, qua ad iſtam rem videtur accommodata, fallacem habet quandam ſpeciem, per quam decipimur, ac veluti iniuria quadã afficimur. Quemadmodum enim inter certãdum, quas aduerſario facimus iniurias, ſpeciem quandam æquitatis præ ſe ferunt, & tamen reuera eſt iniqua certandi ratio: ſic in diſputatione iniquum certamen eſt, vbi ad nimiam cõten-

tionem res progreditur. Nam vt in certaminibus, qui quauis ratione victores eſſe volunt, nil non mouent, nil non aggrediuntur: ita hic in diſputatione idem faciũt, qui ſunt ſupra modum litigioſi. Atque ex iis quidẽ, qui tantam adhibent cõtentionem, quicunq; ſibi victoriam proponũt, illi ſunt qui propriè litigioſi, & contẽtionis amatores cenſentur. Qui verò gloriam, ex qua quæſtum faciant, aucupantur, ſophiſtæ. Eſt enim ſophiſtice, quemadmodum ſuprà diximus, ratio quæſtus faciendi ex ſapientiæ ſimulatione. Quo fit, vt demonſtrationes etiam, quæ ſpecie quadã veras imitentur, potiſſimùm expetant ſophiſtæ. Et rationes quidem non ſunt diuerſæ, quibus litigioſi homines, & quibus ſophiſtæ vtuntur, ſed ſine diſtinguuntur: & vna eademq; probatio ſophiſtica erit, & contentioſa: verum non eadem ratione. Nam qua ad opinionem victoriæ adhibetur, contentioſa eſt: qua verò ad opinionem ſapientiæ confertur, ſophiſtica. Etenim ſophiſtice eſt ſapientia quædam ſimulata, non vera. Ferè autem contentioſæ argumentationes eodem modo affectæ ſunt ad dialecticas, quomodo pſeudographi ad geometricas demonſtrationes. Vt enim nullæ ſunt captioſæ cõcluſiones, quæ in iiſdẽ rebus cernuntur, in quibus verſatur dialectica: ita pſeudographi iiſdem de rebus fiunt, de quibus geometra ſuas facit demonſtrationes. Verùm huiuſmodi quidem certè pſeudographi non ſunt contentioſi, quoniam ex principiis & cõcluſionibus alicuius artis propriis conficiuntur. Quæ verò ex iis rebus conſtant, in quibus verſatur dialectica, ſi quaſi accommodatæ ad aliam rem demonſtrationes accipiantur, erunt contentioſæ: quemadmodũ his exẽplis perſpici poteſt: illa ratio, qua per lunulas quadrari poſſe circulum demonſtraba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,non eſt contentioſa: Bryſonis autem ratio eſt contentioſa. Atque illa quidem prior ratio,cùm ex proprijs geometriæ principijs conficiatur,ad nullam aliam artem,quàm ad geometriam transferri poteſt:hæc poſterior apud eos etiã vſurpari poterit,qui illius artis imperiti,omnino quid in quaque re fieri poſsit,& quid non poſsit ignorant,atque ita vſurpari,vt ad ſingula,ad quæ adhibebitur,accommodata ſit. Eſt etiam in hoc eodem genere ratio, qua Antiphon quadraturam circuli oſtendere conabatur. Itémque ſi quis, adhibita ratione Zenonis, vellet oſtendere, non eſſe bonũ poſt cœnam inambulare, non adferret propriam medicinæ rationem, quandoquidem illa ſit cõmunis maximè ratio. Si igitur eodem planè modo affectus eſt litigioſus homo ad dialecticum, quo ad geometram is qui pſeudographos facit, non poterit profectò ex iis,quæ propria ſunt,conſtare contentioſa argumentatio. Nunc autem dialecticus nullum certũ genus habet, in quo quaſi in ſubiecto ſibi proprio verſetur: nec vlla in re demonſtrationes adhibet: neque talis eſt artifex, qui omnium rerum conſiderationem ſuſcipiat. Neque enim poſſunt res omnes ſub vnum genus cadere: nec ſi poſſent, verè illud dici poſſet omnium eadem eſſe principia. Vnde etiã fit, vt nulla earum artium, quæ in tractãda certa quadam natura demõſtrationibus vtitur,percontando differat,& ſuas probationes ex interrogatione accipiat. Cùm enim non poſſit ex vtraque contradictionis parte accõmodata ad rem docendã fieri ratiocinatio,non debet liberũ eſſe, vtramuis partem admittere. Dialectica autem percontatrix eſt,& totam vim habet ab interrogatione. Atqui ſi demonſtrationes in differendo adhiberet dialectica, illam certè oporteret, ſi non

omnia,at certè prima pronũciata,& propria ſua principia citra vllam interrogationem accipere: alioqui ſi illa non admitteret alius, nil iam ſupereſſet, vnde id euerteret, quod eſſet ab altero oppoſitum. Planè autem generis eiuſdem eſt piraſtice cum dialectica. Neque enim hæc tentandi & examinandi ratio talis quædam ars eſt,qualis eſt geometria,ſed cuius munus præſtare etiam indoctus aliquis poſsit. Quid enim eſt,cur non poſsit,qui rei alicuius nõ habet ſcientiã,quaſi tentandi cauſa cum eo diſputare,qui etiã ſit illius rei imperitus? Præſertim cùm eò conferatur diſputatio, vt non ex iis conſtet quæ illi, qui doctus ſit,perfecta ſunt, quæque ſunt rei propria,ſed ex conſentaneis quibuſdã & cõſequentibus rei: quæ conſequentia huiuſmodi ferè ſunt,vt tametſi illa ſcias, nil tamen vetet,te artem neſcire:at ſi neſcias, omnino artis cognitionem aſſequi non poſsis. Ex iis ergo planum eſt, piraſticen non ſcientiam,quæ in certo quodam genere ſubiecto verſetur,ideoq; de omnibus diſputationem ſuſcipere. Habẽt enim omnes ſcientiæ communia quædam,quibus vtũtur:ob eámque cauſam fit, vt omnes homines, etiã idiotæ, quodam modo vtantur arte dialectica & piraſtica: quandoquidem nemo ſit,qui ad aliquem modũ non velit iudiciũ ferre de iis qui aliquid profitetur. Porrò autẽ ipſa communia omnibus ſunt,& apud omnes eadẽ:quandoquidẽ non ſint illa minus idiotis cognita,quàm aliis:etiam ſi minus aptè,& citra vllã artem tractare illa videãtur. Quo fit vt nemo ſit, qui refellere & reprehẽdere argumentis alterũ non conetur. Omnes enim nulla arte adiuti, ſed duce tãtũ natura,illius ſunt muneris capaces:quod arte perfectum & expolitum,dialecticæ propriũ eſt,illiuſq; dialectici,qui adhibita diligẽti differendi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione ad tentandum & exanimandum alterum suas disputationes confert. Quoniam autem hæc communia sunt permulta, & tam latè diffusa, vt nusquam non reperiantur: quæ tamen non sunt talia, vt vnam quandam communem naturam faciant, & ad vnum genus reuocentur, sed vaga semper, & incertæ naturæ, perinde vt sunt negationes: præter hæc autem alia sunt, quæ non vaga, sicut ista, sed propria sunt: ex iis profectò planum est nullã esse rem, cuius disputationem ex talibus quibusdam suscipere ac periclitari non possimus. Illud quoque perspicuum est, quandam esse in earum rerum tractatione artem, quæ nil habeat simile cum scientiis demonstratiuis. Quamobrem contentionis studiosi homines multum dissimiles sunt iis, qui pseudographos faciunt, vt qui non ex principiis, quæ alicuius generis propria sint, fallaces conclusiones efficiant, sed latè vagantes in omni rerum genere versentur. Ac modi quidem illi sunt, quos exposuimus, quibus sophistarum omnes reprehensiones conficiũtur. Quòd verò sit dialectici hæc considerare omnia, quódque istarum rerum facultate valere debeat, hinc perspici potest, quòd quæ ars in propositionum, hoc est, communiũ locorum explicatione versatur, eadem sibi vniuersam istam considerationem vendicat. Atque illa quidem sufficiant de reprehensionibus fallacibus. Nunc de eo dicamus quem secundum finem sophistæ appellauimus, quibus scilicet modis falsum aliquid sophistæ conficiant, & qua ratione eò inducunt disputationem, vt incredibile aliquid & præter omnium opinionem sequi videatur. Ac prima quidem ratio ex percontandi quodam certo genere sumitur, imprimísque ad illud efficiendum valet ratio interrogãdi. Qui enim

ita aduersarium interrogant, quasi nulla certa re proposita, de qua disseratur, nil profectò aliud præter hoc inuestigant. Nam qui temerè respondẽt, & parum accurant, quid dicant, facilius labuntur. Cùm verò nil videmus esse propositum, de quo suscepta sit disputatio, tum minus cogitare solemus, quid dicamus. Altera ratio est, quæ plurimùm valet ad deducendum eò aduersarium, vt admirabile aliquid, aut falsum admittere videatur: nempe cum multitudine interrogationum eum oneramus, etiam cùm est aliquid propositum, de quo disputetur: simúlque postulamus, vt proferat, quid de singulis ipse sentiat: atque ita, siue aliquid ex iis affirmet, siue neget, eò loci eum perducimus, vbi argumentorum nobis copia suppetit. Verùm enimuero hoc tẽpore minus huic rationi fallendi locus datur, quàm olim: nimirum quòd illud statim rogari solet hoc tẽpore, quorsum hæc, & quid ad id, de quo instituta est disputatio, pertineant. Est autem communis locus aduersario tandem falsum aut incredibile aliquid, nullum à principio constituere propositum, de quo disseratur, sed profiteri se discendi studio interrogare: dabit enim tandem occasionem argumento huiusmodi dissimulata rei consideratio. Vt autem falsum tu aliquid tandem concludas, proprius est hic sophisticus locus, eò scilicet perducere aduersarium, vbi argumentorum tibi sit copia. Sed illud certè interdum rectè, interdum vitiosè fieri potest, quemadmodũ nos suprà diximus. Iam verò vt admirabile quippiam & contra omnium opinionem elicias ab aduersario, videndum est tibi, quam sectam philosophorum sequatur is, quicum disputas, vt illum interroges quidpiam ex iis quæ contra omniũ opinionem dicunt huius sectæ phi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

losophi. Habent enim singulæ sectæ suas quasdam huiusmodi sententias. Est autem ad eam rem primum veluti elemẽtum, vt singularum sectarum admirabiles sententias inter propositiones accipias. Verùm in promptu etiam est istarum captionum satis apta solutio, vt ad extremum neges ex tuis verbis sequi admirabilem illam conclusionem, quam colligit aduersarius. Atque hoc ipsum genus dissoluẽdi argumenti, non isto tantùm loco accommodatum est, sed quicunque disputando altercationes modò & cõtentiones sibi proponit, eodem isto modo conatur aduersarij rationes eludere. Alius locus est ex hominũ voluntate & sermonibus. Aliud enim ferè est tacitum hominũ iudicium, aliud palàm loquuntur: & sermones quidem sunt quàm honestissimi, voluntas autem & tacitũ animi iudicium, id semper spectat, quod maximè vtile videtur. Veluti nemo ferè est, qui non ita loquatur, longè præstantiorem esse mortem gloriosam, quàm vitam voluptatibus affluentem: &, melius esse iustè per inopiam viuere, quàm in magna opum copia turpiter: at nemo etiam est qui non sequatur contraria. Ergo si defendat is, quicum disputas, quod homines potissimùm sequuntur, & volunt, oppones contrà, vsitatas vulgo sententias. Sin has vulgatas sententias proferat, adferenda contrà erunt, quæ interim tacitè homines volũt & sequuntur. Vtrinque enim vt admirabile aliquid efficiatur, necesse est: quandoquidem futurum est, vt contradicat respondens, aut peruulgatis omnium sermone sententiis, aut tacito hominum iudicio. Alius locus est latissimè patens, per quem cogimus aduersarium dicere aliquid admirabile (id quod Callicles in Gorgia commemorat, quódque omnes veteres captionum vni-

cam ferè causam existimabant) ex iis quæ natura, & quæ lege sunt constituta. Naturam enim legi contrariam esse: & iustitiam quidem lege esse honestam, natura verò non honestam. Sic igitur oppugnandus est, qui quod naturæ consentaneum sit, proferat, vt legem illi obiiciamus: sin legem teneat, contra quæ sunt ex natura, proferenda erũt. Hic enim effugere non potest, quin vtrinque admirabile aliquid dicat. Vocabant autem illi naturam, id quod in quaque re verum est: legem verò, quod in multitudinis opinione positum est. Vnde perspicuum est, illius ætatis homines idem quod qui hodie sunt, fuisse conatos, vt respondentem aut reprehenderent, aut cogerent tandem aliquid dicere contra omnium opinionem. Porrò autem interrogationes quædam sunt sua sponte tales, quibus respondere non possis, quin vtranque in partem dicas admirabile quippiam: cuiusmodi sunt hæc: Sitne sapientibus potius parendum, an patri? Sintne honesta potius facienda, an quæ vtilia sint? Vtrum optabilius, iniuriam pati, an facere? Iam verò perducendus est aduersarius ad ea, de quibus contraria est sapientum ac multitudinis opinio. Ac si ille quidem cum sapientibus sentiat, opponenda vulgi opinio: sin vulgus sequatur, quid sentiant sapientes, contra adferendũ. Hi enim eos, qui beati sint, necessariò iustos esse existimãt: at multitudini incredibile videtur, regem non esse beatum. Verùm enim locus hic ab eo non est diuersus, qui ex legis & naturæ repugnãtia dictus est. Nihil enim aliud lex est, quàm multitudinis opinio: sapientes verò quod in rei natura positum est, & veritatem sequuntur. Ac de locis quidem, ex quibus eruuntur paradoxa, hactenus. Sequitur, vt quomodo ad nugationem perducunt sophistæ, dica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. Ac primũ quidem, quid illud sit, quod appellamus nugari, suprà diximus: modò exẽpla subiiciamus, quæ sunt huiusmodi: Si nihil referat nomẽ dicas an orationem: duplum ergo idem valet, quod simpli duplum: si quando igitur simpli duplum dicas, hoc dicis simpli simpli duplũ: & si iterum pro hoc verbo duplum accipias simpli duplum, ter idem erit repetitum simpli simpli simpli duplum. Eôdem etiam pertinet hæc captio: Nunquid voluptatis est cupiditas? Definitur autẽ hæc, appetitio voluptatis: est igitur cupiditas appetitio voluptatis voluptatis. Cernuntur autem omnes istæ captiones aut in iis, quæ non per sua tantùm genera, sed etiam per se ipsa ad aliquid dicuntur, cùm interim vna eadémque res sit, cum qua vtraque comparantur. Veluti appetitio est alicuius appetitio, & cupiditas alicuius cupiditas: etémque duplum alicuius duplum dicitur, & illud totũ simpli duplum, alicuius etiam dicitur: Aut verò in iis, quæ cùm ex genere eorum quæ cum altero conferuntur, non sint, ita sunt affecta ad substantiam, omninóque ad sua subiecta, quarum ipsa sunt aut habitus, aut affectiones, aut simile aliquid, vt in definitione, qua quid illa sint explicatur, ipsa subiecta accipiantur. Vt impar definitur numerus medium habens. At enim semper in ipso impari inest numerus: cùm igitur illud dicis, numerum dicis habẽtem medium numerum. Et hoc: Si simitas est nasi concauitas, simum autẽ intelligi non possit, quin nasum simul intelligas: profectò cùm illud dicis, nasum, nasum concauum dicis. Porrò autem interdum videntur nugationem efficere istæ captiones, cùm nil tale reuera concludant: propterea quòd prætermittitur, ab eo, qui interrogat, necessaria ad eam rem interrogatio, nempe an

duplum per se dictum significet aliquid, an nihil: & si quid significet, vtrum idem quod coniunctum cum altero, an aliquid aliud: quia inquam interrogationibus omissis, statim ad conclusionem acceditur, propterea nil reuera, sed in speciem tantùm his captionibus conficitur: atque in eo captionis causa est posita, quòd idem verbum cùm sit illud ipsum quod oratio, per se tamen vnum quidpiam significat. Solæcismus quid sit paulò antè dictum est: reliqua igitur dicamus. Sane vsuuenire potest, vt solæcismum facias, nec videare, & vt videare, cùm non facias. Veluti si verum est quod Protagoras dicebat masculini generis esse hæc verba, μῆνις, & πῆλιξ, is certè sententia illius solæcismum cõmittit, qui dicit, μῆνιν οὐλομένην at opinione aliorũ nõ videtur cõmittere: qui verò οὐλόμενον dicet, videbitur ille quidem in hoc vitium incidisse, reuera autem non incidit. Perspicuum igitur est, artis sophisticæ partem aliquam ad illud conficiendum posse cõferri: ob eámque causam multæ sunt captiones, quibus videtur quasi syllogismo concludi aliquis solæcismus, cùm reuera nil tale necessariò conficiatur non secus, atque in reprehensionibus accidere solet. Ducuntur autem omnes ferè fallaces conclusiones, quæ ad solæcismum pertinent ex neutro articulo, hoc, & quando casus aliquis nominis, nec masculinum genus, nec fœmininum significat, sed quod est inter ista quoddam veluti medium. Nam hic masculinum declarat, hæc fœminiñ, hoc autem propriam quidem habet significationem, vt neutrum genus declaret, sed tamen sæpe ad illud vtrumque genus transfertur: Vt ad istam interrogationem, quid est hoc? tria ista aptè respondeas, Calliope, lignum, Coriscus. Ac masculini qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem articuli & fœminini omnes casus sunt diuersi, neutrius autem partim iidem, partim diuersi. Quo fit, vt sæpenumero quod in nominatiuo neutri articuli concessum est, ad masculini accusatiuũ id alius transferat, aut alia quadam simili ratione casum pro casu accipiat: fallax autem conclusio ex eo oritur, quòd articulus neutri multis casibus cõmunis est. Interdum enim nominatiuum, interdum accusatiuum significat. At verò si istos casus dignoscere velis, verbum variè accipiendum est, vt cum nominatiuo, est, coniungas, cum accusatiuo, esse: veluti, est Hipponicus, esse Hipponicum. Nec diuersa est in fœmininis nominibus ratio, & in omnibus quæ sub communi nomine τῶν σκευῶν à Græcis comprehensa (nos vasa appellemus) masculinorum aut fœminorum inflexionem habent: sola enim ea quæ desinunt in ον, inflexionem sequuntur τῶ σκευους, hoc est, neutri generis sunt, vt ξύλον, χρυσίον quæ verò non habent illam terminationem, masculina sunt, aut fœminina: & illa tamen nonnunquam traducuntur ad genus neutrum: & sub nomine τῶν σκευῶν interrogantur: vt ἀστὸς masculinum est, κλίνη fœmininum. Itaque in iis eodem modo quo in superioribus verbum, est, & esse, casuum inter se discrimina indicabit. Est etiam solœcismus non valde absimilis in reprehensionibus, quæ ex eo ducuntur, quòd vt similia accipiuntur, quæ non sunt similia, aut si ita vocare malis, quæ ex simili verborum specie oriuntur. Vt enim illæ captiones sunt in rebus quidam veluti solœcismi, ita hæ sunt in verbis veri solœcismi. Homo enim & albũ, & verba sunt, & res. Ex iis igitur, quæ dicta sunt, planum est, si quando solœcismum velis concludere, ex illis casibus, quos exposuimus, sumen-

dum tibi esse argumentum. Ac de generibus quidem contentiosarum argumentationum, & partibus singulorum generum, & modis omnibus hactenus. Quoniam autem in collocatione eorum, quæ interrogantur, non parum est momenti, vt posßis (quemadmodum de dialecticis disputationibus paulò antè diximus) celare conclusionem, propterea absoluta illa disputatione, primũ omnium de iis quæ ad dispositionem pertinent, agendum est. Ac primum ad reprehensionem plurimum valet longitudo orationis, quãdoquidem multa simul prouidere difficile est. Loci autem vnde amplificandarum argumentationum rationes depromes, ex superioribus sunt repetendi. Alter locus est, vt celeritatem in interrogando adhibeas. Nam qui aliquanto tardiores te festinantem sequi non possunt, minus prouidere possint quid dicant. Tum illud iuuat plurimũ, vt aduersarium ad iram & altercationem prouoces. Qui enim sunt in perturbatione, minus sunt cauti ad omnia. Rationes autẽ quibus ad iracundiam impelles, hæ sunt: si palàm profitearis te iniquum alteri aduersarium, & si impudentiam maximam præ te feras. Alius locus est, perturbatè interrogationes collocare, siue ad rem multas rationes adhibeas, siue in vtranque partem argumenta adferas. Fit enim hac ratione, vt vno tẽpore des aduersario aut multa, aut etiã contraria cogitanda. Atque vt rem in pauca conferam, omnes loci, quos ad celandam conclusionem suprà posuimus, sunt etiam ad disputationem contẽtiosam accõmodati. Pertinet enim eò occultatio, vt lateas: latere autem vis, vt fallas. Quod autem attinet ad eos qui nil admittere solẽt, quod ad rẽ facere existiment, illa nobis aduersus eos cautione vtendũ est, vt aut per disparatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

interrogemus, quasi contrariam partem velimus efficere, aut verò ex æquo vtranque partem interrogando complectamur. Quando enim non vident huiusmodi homines quid potißimum tibi concedi velis, minus difficiles ac proterui sunt. Iam verò postquam alius tibi singulatim totius alicuius generis partes, interroganti, in singulis ita esse concessit, vt vniuersum genus ad extremum inductione colligas, non est ipsum totũ genus interrogandum, sed eo vt concesso vtendum est. Ita enim ferè euenit, vt cùm respondens se amisisse vniuersum genus putet, tum ita etiam auditoribus videatur, quia adhuc meminerunt inductionis paulò antè factæ, nec illas interrogationes frustrà fuisse existimãt. Et si quando generi vniuerso nomen non est impositum, ipsa vtendum est similitudine, prout commodum videbitur: nam sæpe similitudo obscurior est. Ad sumẽdam autem propositionem plurimum prodest, simul aduersa, vt illa quasi inter se conferantur, interrogare. Verbi gratia, si velis tibi concedi, omnibus in rebus parentibus esse obtemperandum, hunc in modum interrogabis: Quid? putásne parentibus esse parendum in omnibus, an potius in omnibus repugnandum? Aut verò si sæpius, parendum esse, sumere ab aduersario velis, sic interrogandum: vtrum multa sint parentibus concedenda, an pauca? Hìc enim multò potius, (si modò parentibus obsequi necesse est) multa esse cõcedenda videbitur, quàm pauca: præsertim cùm rerũ aduersarũ cõpositio & collatio efficiat, vt res maiores & magnæ hominibus videantur, itemq; deteriores & meliores. Est porrò insignis & frequens, vt quis reprehẽsus videatur, sophistarũ hæc impostura, postquã nonnullas interrogationes proposueris, licet ex iis nil possis necessariò conficere, ita extremum argumẽtationis subiicere, vt illud nõ interroges, sed in modũ cõplexionis ita proferas, sicut fieri solet in veris ratiocinationibus, non igitur hoc & hoc. Est etiam hoc verè sophisticum, quando paradoxon aliquid accipis, vrgere respondentem, vt quid sibi videatur profert, cùm sit illud, quod à principio positum est, in quæstione probabile: & hac forma interrogare: Vtrum tibi videtur? Necesse enim est, si talis sit interrogatio, vt ad conficiendam rem valeat, inde nasci aut reprehensionem, aut admirabile aliquid, & contra hominũ opinionem. Nam si admittat, reprehensio sequitur: si neget, & sibi non ita videri dicat, incredibile aliquid dicere videbitur: at si non planè concedat, videri tamen sibi fateatur: si non verè conuictus, aliquo certè modo reprehensus videbitur. Alius locus est, vt quod in disceptatione oratoria magno studio faciunt oratores, idem nos in reprehẽsionibus nostris facere contendamus: vt scilicet diligenter exquiramus, dicátne is, quícum disputamus, aliquid repugnans aut iis quæ à se dicta sunt, aut eorum sententiæ quorum orationem & actiones maxime probet & sequatur: adde etiam an aduersetur opinioni eorum, qui reuera tales, hoc est sapientes sunt, aut verò qui non sunt huiusmodi, similes tamẽ talibus sunt hominibus: postremò an contradicat, quàm sentit hominum pars maxima, aut etiam quàm omnes homines. Iam autem sicut respondentes solent sæpenumero cùm vrgentur, & vident se alibi vix posse quin coarguantur, fingere nescio quam multiplicitatem, cuius distinctione euadant: ita etiam nobis interrogantibus eodem illo præsidio interdum vtendum erit, maximè aduersus eos, qui fortiter nobis resistunt: ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt si quid vno modo verum sit, altero nõ verum, illo nos modo accepisse, non hoc dicamus. Qualiter fecit Cleophon in Mandrobulo. Oportet etiam traducta disputatione ad alia, quæ reliqua erant argumenta præcidere. Quo in loco hæ erunt partes respondentis, vt si hoc præsentiat velle aduersarium, iam antè illi occurrat & prædicat, ne rem propositam deserat. Interdum etiam ad aliud sunt argumenta dirigenda, quàm quod à principio positum est in quæstione: sed illud ita accipiendum est, si modò nil habeas quod contra rem propositam obiicere possis. Quo præsidio vsus est Lycophron, cùm iussus esset laudare lyram. Quod verò attinet ad eos qui probari sibi aliquam propositionem, quam acceperis postulant: quoniam æquum videtur, vt subiecta probatione illius reddas rationem, acceptis quibusdam rebus singulis, tutius est, etiam si de toto genere concludi possit, in ipsis singularibus aduersarium ita reprehendere, vt quod affirmauerit, negare: aut quod negauerit, dicere ostendamus, quàm si vniuersum genus concluderemus, quale est illud: Rerum aduersarum eadem est disciplina, aut non eadem. Neque verò propositionis in modum interroganda est complexio: & quædam sunt, quæ ne interrogari quidem debent, sed vt perspicua, & ab omnibus recepta sumi. Ac de locis quidem vnde erumntur argumenta in contentiosis disputationibus, & de ratione interrogandi hactenus. Sequitur nunc, vt de responsione agamus, & vt quomodo dissoluendæ sint captiones, & ad quã potissimum rem conferendæ solutiones, & quem ad vsum valeat huiusmodi captionũ sophisticarũ tractatio, doceamus. Ac primùm quidẽ vtilis est duabus de causis ad philosophiã. Vna est, quia cum

maxima pars istarũ captionum ex verbis ducatur, hoc nobis præstat earũ consideratio, vt verborum ambiguitatem facilius animaduertamus: & vt quæ sint ea, in quibus rerum similitudo cum nominũ similitudine conueniat, quæq; illa in quibus verborum similitudinem res non imitantur, intelligamus. Altera est, quia ad res per nos ipsos animo tractãdas, vtriúsque exquirendas plurimum valet. Nam qui facilè ab altero captiosa ratione decipitur, neque id percipit, idem si per se aliquid cõsideret, frequenter se ipse fallaci conclusione impediet. Est autem & tertia præter illas duas vtilitas, ad gloriam consequendã: nempe quòd hinc fiat, vt videare omnibus in rebus exercitatus, & nullius esse imperitus. Qui enim cum altero sermonem confert, eiúsque quicum disputat, rationes aspernatur ac vituperat, cum vitiũ ipse iudicare non possit, suspicionẽ is præbet, difficilem se & iniquum alteri præstare nõ propter veritatẽ, sed propter imperitiam. Quomodo autem respondens huiusmodi captionibus occurrere debeat, minimo negotio perspici potest: siquidem omnes locos, vnde fallaces conclusiones eruuntur, suprà rectè exposuimus, etsi omnia commenta, omnes fraudes, quas in interrogãdo solent adhibere sophistæ, satis explicatè docuimus. Neque verò idẽ est sumpta aliqua captione, illius vim perspicere, & vitiũ vbi sit indicare, quod celeriter posse ei occurrere, qui te interrogat. Sæpe enim accidit, vt quod scimus, mutatis & traiectis verbis ignoremus. Porrò quẽadmodũ aliis in rebus omnibus celeritas & tarditas tota pẽdet ab exercitatione, ita planè in disputationibus vsuuenit. Vnde efficitur, vt, tametsi res nobis cognita sit, sæpe tamẽ quia desit meditatio, exercitatioq; differendi, expedire nos in tẽpore

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vt decet non posimus. Sanè idem hîc propemodum euenit, quod in mathematicorum descriptionibus. Sicut enim plerunque in cõficiendis demonstrationibus accidit, vt postquam dissoluta res est, & ad sua principia reuocata, componere eam rursus non possimus : ita in reprehensionibus vsuenit, vt sciamus quidem vnde ducatur captio, eam tamen in partes dirigere non valeamus. Ac primùm quidem sicut probabiles nonnunquam rationes ad rem probandam potius quàm veræ adhibendæ sunt, ita in respondendo, interdũ ad opinionem potius quàm ad veritatem conferẽdæ nobis sunt argumentorum dissolutiones. Contentiosis enim cum hominibus planè nobis pugnãdũ est, quasi cum iis, qui videantur modò coarguere, ac non verò coarguant. Nam cùm istorum hominũ rationibus nullam tribuamus concludendi necessitatem, non debet profectò aliò pertinere nostra solutio, quàm vt ne conuinci coarguique videamur. Etenim si reprehensio est cõtradictio citra vllam multiplicitatem, quæ necessariò ex quibusdam sumptionibus efficitur: nulla certè necessitas est, cur te oporteat captionem ex multiplici nomine, aut oratione ambigua ductam, distinguere : quandoquidem nihil possit necessariò cõcludere. Sed hac tantum ratione vtimur distinctione, quia speciem quandam conclusionum, quæ ad conuincendum alterum valeant, huiusmodi captiones præ se ferant. Nobis igitur cauendum non est, ne coarguamur, sed ne videamur reprehendi : quandoquidem interrogationes multiplices & ambiguæ, & huius generis aliæ captiones, veram reprehensionem obscurant, & sitne tandem conuictus aliquis, an non conuictus, incertum reddunt. Quia enim hîc licet ad extremum facta cõclusione dicere aduersario, non eum conclusisse negationẽ eius quod affirmaueras, sed in multiplici aliquo nomine, aut ambigua oratione versari argumentum illius, atiamsi quàm maximè fieri potuit, ad id ipsum, quod dixeras, pertinuerit argumentatio: quia inquam id semper huiusmodi captionibus opponi potest, profectò necesse est, vt hac de causa semper incertum sit, reprehensus sit, nécne is, quícum disputatur. Nam verum dicat, nécne, qui illud dicit, intelligi planè non potest. Quòd si adhibita antè multiplicis verbi, aut ambiguæ orationis distinctione, tum interrogaret, ad extremum non dubiũ esset, quin tu esses reprehensus : atque etiam aliud fieret, quod his quidem temporibus postulari minus solet, superioribus autem exigi sedulò solebat, nempe vt respondens ad interrogatum, aut etiam, aut non, & nil amplius responderet. At his temporibus propter vitiosam, qua omnes ferè vtuntur, interrogandi rationem, necesse est, vt qui respondent, aliquid amplius addant, quo vitium interrogationis corrigant. Nã si ipsi satis multiplicitatem interrogando distinguerent, necesse esset, vt aut etiam, aut non, responderetur. Porrò autem si quis veram esse reprehensionem existimet, qua sub multiplici nomine aliquid concluditur, is nullam respondenti rationem relinquet, qua reprehensionem effugiat : cùm præsertim in iis etiam, quæ sub oculos subiecta sunt, necesse aliquando sit, quantum quidem ad nomen attinet, quod affirmaueris negare, & quod negaueris affirmare. Nam quod iis captionibus dissoluendis & quasi emendãdis, adferre solent aliqui, nil planè adiuuat. Aiunt enim non esse Coriscum musicum & non musicum, sed hunc quidem Coriscum esse musicum, illum verò Coriscum esse non musicum. Quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò non eadem sit oratio, siue hoc modo dicas, non adiecto articulo, Coriscum esse musicum: siue illo, hunc Coriscum esse musicum: quod illi tamen affirmare simul & negare coguntur. At non idem fortasse semper pars vtraque significat, quando ne nomen quidem ex quo constant, Coriscus scilicet, idem semper significet. Quare ad hanc captionem eludendam, nil omnino illud habet momenti. Quòd si quis vim captionis in eo ponat, quòd primum omnino Coriscum aduersarius diceret, deinde adiecto articulo, hunc Coriscum dixerit, is absurdè faciet. Nam quid causæ est, cur id vni potius quàm alteri conueniat? præsertim cùm vtriuis addiderit articulum, non minus procedat captio. At verò quoniam qui non distinxit ambiguitatem, efficit, vt ad extremum auditoribus dubium sit, an sit conuictus, an non: cùm præsertim concessum sit, in medio cursu argumentationis, multiplex distinguere, si quod subsit: hinc profectò planum est culpa eum non carere, qui multiplicem interrogationẽ simpliciter & citra vllã distinctionem admittit. Hinc enim efficitur, si minus ipse reprehensus sit, at certè vt illius oratio pro conuicta & refutata habeatur. Fit autem plerunque, vt qui ambiguitatem perspiciũt, eam tamen distinguere propterea minus curent, quòd frequenter huius generis interrogationes ab aduersario proponantur: ne scilicet videantur se ad omnia molestos & iniquos aduersario præbere: aut certè quia non existimant ex eo posse captionem vim vllam accipere. Sæpe autem ad extremum nescio quid præter illorũ opinionem occurrit. Itaque quoniam ita licet, nunquam tardi aut negligentes esse debemus in distinguendo: quemadmodum paulò antè diximus. Quòd si quæ multæ

sunt interrogationes, non quasi vna acciperentur, nunquam fallax & captiosa ratiocinatio ex homonyma aut amphibolia nasceretur, sed aut vera semper, aut nulla omnino fieret reprehensio. Quid enim interest, sub duobus nominibus diuersis hoc modo interroges, sũtne Callias & Themistocles musici, an sub vno nomine rebus diuersis cõmuni? Nam si plura verbum significet, qui illud interrogabit, plura interroget, non vnũ, necesse est. Si igitur haud rectè is facit, qui ad duas interrogationes vnam poscit simplicémque responsionẽ, dubium profectò esse nõ potest, quin ad ambiguã interrogationem nunquam oporteat simplicem dare respõsionem: ne si vera quidem sit in omnibus significatis interrogatio, quemadmodum aliqui existimant. Illud enim idẽ valet, ac si interrogaretur, vtrum domi sint, an non sint, Callias & Coriscus: qui siue ambo sint domi, siue non sint, non minus sunt vtroque modo plures propositiones. Neque enim par est vnã propterea fieri interrogationem, quòd vtrunque verum sit: quandoquidem vsuuenire possit, vt vel sexcentas huius generis interrogationes coniungas, ad quas omnes verũ sit dicere etiã aut nõ: verũtamen non est ad illas omnes vna dãda respõsio, quippe cũ id aliud nihil sit, quàm disputationis leges tollere & omnem differendi rationem euertere. Atqui istæ multæ interrogationes perinde sunt, ac si multis rebus diuersis vnum nomen esset impositũ. Vt igitur ad duas interrogationes non est dãda vna responsio, ita ad interrogatum ambiguũ nunquã est simpliciter dicẽdũ, aut etiã, aut non. Nã qui secus fecerit, is dixerit quidem aliquid, at certè non respondebit. In disputationibus tamen quodammodo id probari solet, quia quid inde sequatur, incertum sit. Quemadmodum

Universidad de Deusto
Biblioteca

igitur (quod etiam nos paulò antè diximus) reprehensiones quædã videntur, quæ non sunt, ita solutiones nonnullæ erũt, quæ in speciem modò, non etiam veræ solutiones erunt: quas scilicet diximus interdũ potius adhibẽdas esse, quàm veras, in disputatione contentiosa, & cùm occurrere volumus interrogatis multiplicibus. Porrò autem in respondendo adhibenda nobis est hæc cautio, vt ad ea, quæ vera nobis esse videbuntur, dicamus, Esto. Sic enim fiet, vt minimè nos conuincere alius videatur. Quòd si cogere nos velit admirabile aliquid dicere, tum maximè vti debemus verbo, videri. Hac enim ratione fiet, vt nec reprehensio, nec admirabilis conclusio confecta esse videatur. Iam verò cum perspicuum illud sit, quomodo fiat petitio principij, tum omnes ita existimant, respondenti negandum esse quicquid proximè ad id accedit, de quo quæritur, nec vllam ex eo genere interrogationem esse admittendam, quasi illo modo id ipsum, de quo instituta est disputatio, petatur. Cùm verò tale aliquid sibi concedi postulat alius, quod incredibile quidem, aut falsum sit, ex re tamen proposita consequatur, tum idem illud esse cum eo, de quo agitur, dicendum est. Nam quæ necessariò ex re proposita consequuntur, pro ipso proposito sunt habenda. Præterea quando genus vniuersum sub nomine proprio non est sumptum ab aduersario, sed sub similitudine, dicendũ est, non rectè eum accipere, quando non ita sumit, quẽadmodum concessum est, nec quo modo interrogãdo sumebatur. Hinc enim plerunque nascitur reprehensio. Quòd si inde exclusus, illa cautionibus vti non possis, proximũ est, vt recurras ad id, vt non rectè rem demõstrasse aduersariũ contẽdas. In quo vtendum est tibi definitione reprehensionis, quã posuimus, vt eam

argumentis aduersarij opponas. Ac si propriis quidem nominibus & apertè interrogauerit, necesse est vt aut simpliciter respondeas, aut adhibita distinctione. Quæ verò suppressis quibusdam verbis breuiter admittimus, qualia sunt quæ non apertè, sed truncatim & imperfecta locutione interrogantur, ea maximè dant reprehensioni occasionem. exempli gratia: Nónne quod est Athenienſium, id est eorum possessio? certè: nec dissimilis est in aliis ratio. At enim nónne τῶν ζώων homo esse dicitur? certè: Est igitur homo animalium possessio. Sanè hominẽ dicimus esse τῶν ζώων, quia sit animal, & Lysandrũ τῶν λακώνων, quia Lacedæmonius sit. Planum igitur est non oportere, vbi obscurum est, & inuolutum quod ab aduersario proponitur, simpliciter rem concedere. Quando verò sic sunt affecta duo inter se, vt vno posito, alterum esse necesse sit, nec contrà, si hoc sit, illud esse oportet, videndũ est ei, qui respõdet, vt cum rogabitur, vtrum eorum esse putet, illud potius ponat, quod minus latè patet. Nam ex multis singulis difficilius est aliquid tandem necessariò concludere. Quod si ad aliquid probandũ ex eo ducat argumentum, quod huic nil sit contrarium, illi aliquid aduersetur, & si hoc verum dicat, nos tamen contra aliquid illi esse contrarium dicere debemus, sed nullum esse illi nomen impositum. Sunt autem ex iis, quæ vulgò ferũtur, quædam, quæ si non concedas, falsum dicere videbere: alia verò, quæ vt non admittas, falli tamen te nemo putabit: cuius generis sunt dubiæ, & in vtrãque partem probabiles sententiæ. Nam sit mortalis an immortalis animãtium anima, nõ est apud vulgus constitutum. In quibus igitur manifestum non est, vtrum potius asserendum sit eorum, quæ alius inter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rogat: cuiusmodi sunt, quæ sententiæ appellantur. (nam & veræ de singulis rebus opiniones, & vniuersæ negationes, vt diameter non est comparabilis cum latere, sententiarum nomine appellari solent) & præterea in quibus vera ex æquo pars vtraque esse videtur: in illis inquam vtriusque generis interrogationibus, si respondendo ad vsum nostrum verba interrogationum commutauerimus in alia, commẽtum nostrum minimè apparebit. Nã quia incertum est, vtrũ verum sit, sophisticè nil agere videbimur, & quia vtranque in partem ex æquo probabile est, falli nos nemo existimabit: at interim illa nostra verborum cõmutatio efficiet, vt reprehẽdere nos nullo modo possit aduersarius. Iam verò vt singulas tu interrogationes præsenseris, ita illæ tibi sunt anteuertendæ, & multò antè oratione refutandæ. Ista enim ratione aduersarium tuum maximè impedies, ne ad extremũ quod vult efficiat. Quoniam autem illa est vera solutio, falsitatem syllogismi indicare, docendo, ex quo potissimum interrogatione pendeat falsa conclusio: fallaces autem syllogismi duobus modis dicuntur: vno, si falsum aliquid conclusum est: altero, si necessaria consecutio esse videatur, reuera autem syllogismus non sit: hinc sanè perspicuum est, præter illam, quam modò dixi solutionem, esse etiam alteram, quæ propriè accommodata est ad eos, qui speciem syllogismorum præ se ferunt, cùm reuera nil necessariò concludant: quæ solutio est interrogationum correctio, ad docendum cur ex iis non sequatur, sed modò videatur sequi. Vnde illud efficitur, captiones, quarum non est vitiosus concludendi modus, soluendas esse negando: in quibus vitiosa est conclusio, in iis distinctionem esse adhibẽdam. Rursus inter eas rationes, quarum

est necessaria cõclusio, aliæ sunt, quæ veram, aliæ quæ falsam habent cõplexionem. Atque illæ quidem, quibus falsa est conclusio, dupliciter dissolui possunt, refutando scilicet, ac negando vnam aut alteram sumptionum, & indicãdo talem, hoc est, falsam esse conclusionẽ. Quæ verò propositiones modò falsas habent, non etiam conclusionem, hac tantùm ratione dissoluentur, si quam sumptionum falsam esse cõspicies, eam respuas, quippe cùm vera sit conclusio. Itaque argumenta qui volet rectè dissoluere, hoc primum spectabit, habeántne vim concludendi necessariam, an minus necessariam: tum deinde vtrum vera, an falsa sit complexio: ídque eo faciet, vt ea dissoluat vel distinguendo, vel negando: & negando quidẽ aut hoc, aut illo quo paulò antè diximus modo. Multum autem interest, vtrum dissoluatur argumentum, cùm tibi ab alio obiicitur, an cum per se, nullóque interrogante vis illius exquiritur. Nam statim & in promptu occurrere captioni difficile est: per otium autem, & cùm datur tibi cogitandi spatium, facile. Reprehensionum, quæ ante ex verbi multiplicitate, aut ex orationis ambiguitate ducuntur, duo sunt genera. Vnum earum, quæ in altera sumptionum eam habent ambiguitatẽ, vnde oritur captio. Alterum earum, quibus in cõclusione inest multiplicitas. Exempli causa, captio, qua σιγῶντα proloqui cõcluditur, ambiguam habet conclusionem: illa autẽ, qua efficitur, eum qui sciat, nescire tamen, quæ est huiusmodi: Quod quisque scit dicere aut facere, id ipsum ille scit atque intelligit: atqui iste scit dicere, hoc est recitare carmina iambica: iste igitur intelligit, scítq; iambica: illa inquam captio habet in altera sumptionum ambiguitatem. Ac duplex quidem verbũ in iis captionibus interdum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineſt reuera ac per ſe, interdum verò non eſt reuera duplex, ſed ipſa modò oratio eſt, quæ dupliciter accipi poteſt, & partim vera, partim falſa eſt. In quibus igitur eſt in concluſione multiplicitas, in iis nulla omnino eſt reprehenſio, niſi iam antè qui interrogat, ab aduerſario acceperit contradicentem eius, quam concludit. Veluti in ea captione, qua cæcum videre concluditur, quid quæſo niſi contrarium huius dixerit reſpondens, concludi poſſit, quod ad reprehenſionem valeat? Quæ verò ambiguas habent interrogationes, in iis non neceſſe eſt ipſius multiplicis diſparatũ ante acceptũ eſſe: quandoquidem non ad multiplex efficiendum pertineat argumẽtatio, ſed ex ipſo multiplici ducitur. Eſt igitur iam inde à principio multiplici, aut nomini, aut orationi ita occurrendum, vt partim id verũ eſſe quod interrogatur, partim falſum reſpõdeamus: Veluti σιγῶντα proloqui, vno quidem modo ſumptũ, verum eſt, altero non verum. Itémq; id faciẽdum eſſe, quod facere oportet, vna ſignificatione verum eſt, altera falſum. Oportet enim multiplex eſt. Quod ſi id nos à principio latuerit, hæc nobis ratio erit reliqua, vt ad extremum argumentationis, concluſioni ab aduerſario factæ præter ſimplicẽ reſponſionem aliquid addamus, quo vitium captionis indicemus. Verbi gratia, concludit aduerſarius: Accidit igitur σιγῶντα proloqui, tu cõtrà dicito, accidit verò, τὰ σιγῶντα proloqui, ſed τινὲς σιγῶντας non accidit. Quod idem erit in iis faciendum, quæ multiplicitatẽ habent in ſumptionibus. Exempli cauſa, cùm ad extremum concludetur, non igitur intelligimus quod ſcimus: certè, reſpondebis: verũtamen non concluſiſti, quæ nos hoc modo ſcimus, eo nos non intelligere. Neq; enim idẽ valet dicere, non intelligere omnino ſcientem,

quod intelligere eum qui hoc modo ſcit. Vtq; ego vnam quandam generalem rationẽ eludendi iſtas captiones ſubiiciam, illud ſemper nos contendere debemus, etiamſi reuera concluſerit aduerſarius, quod oportuit, illum tamen non eam rem, quam aſſerimus, ſed verba modò refutaſſe. Ex iis verò, quæ modò expoſuimus, iam propemodum perſpicuum eſt, quæ ſit ratio ſoluendarum captionum, quæ ex coniunctione & diſtinctione ducuntur. Cùm enim aliud coniuncta, aliud diſtincta ratio ſignificet, ad extremum quando vnum concludet aduerſarius, contrarium tibi erit ſubiiciẽdum. Sunt autem omnes iſtæ captiones ex compoſitione & diſtinctione. Nunquid quo tu illum percuſſum vidiſti, eo ille percuſſus eſt? Et nunquid quo is percuſſus eſt, id ipſum tu vidiſti? Atque iſtæ quidem captiones habent neſcio quid ambiguitatis, ſed tamen ad locum ex coniunctione referendæ ſunt. Neque enim duplex appellari poteſt, quod modò coniunctam, modò diuiſam habet ſententiam: quandoquidem oratio non maneat eadem, cùm diſtincta accipitur, quæ antè erat coniuncta. Niſi fortè dicamus ὄφος & ὄφος, cùm ſic accẽtibus diſtincta proferuntur, adhuc retinere multiplicitatem: quæ tamẽ, quod attinet ad ſcripturam, ſunt vnum idémque vocabulum, cùm & elementis eiſdem, & eodem modo ſcribantur: cæterum notæ accentuum illic appoſitæ efficiunt, ne, cùm pronunciantur, eadem ſint. Quocirca multiplex oratio non erit, quæ modò coniunctim, modò diuiſim accipi poteſt. Vnde etiam planum eſt, non verum eſſe, quod aliqui voluerunt, omnes reprehenſiones pertinere poſſe ad locum ex multiplici. Eſt igitur ad ſoluendas iſtas captiones reſpondenti adhibenda diſtinctio, non idem ſcilicet valere, ſi dicas vidiſſe te

oculis, percuſſum, ac ſi diceres vidiſſe te, oculis percuſſum. Quod idem in captione Euthydemi faciendum: quæ eſt huiuſmodi: Nunquid triremes, quæ in Piræo ſunt, nũc ſcis, cùm in Sicilia ſis? Itemq; in hac: Putáſne malum ſutorem bonum eſſe? atqui fieri poteſt, vt quis malus ſit, & bonus ſutor ſit: quidã igitur ſutor bonus erit. Item in hac: Nónne quorum bonæ ſunt ſcientiæ, ea ſunt bona μαθήματα? malorũ autem bonæ ſunt ſcientiæ: mala igitur ſunt bona μαθήματα: atqui mala & μαθήματα ſunt, & ſunt mala, quare neceſſe eſt, vt ſint mala μαθήματα. Et putáſne verum eſſe dicere modò te natum eſſe? tu igitur modò natus es. An aliud coniuncta, aliud diſtincta ſignificat hæc oratio? Certè: Verum enim eſt nunc, te natum eſſe: ſed falſum eſt, te nunc natum eſſe. Quæ tu facere potes, & vti potes, ea nónne tu & eo modo reddere effecta poſſis? tu verò non pulſans citharam, pulſare illam potes: tu igitur hoc efficere poteris, vt non pulſans citharam pulſes tamen. At enim quod poſſe ſe alius dicit, non ſic accipiendum eſt, quaſi non pulſans poſſit pulſare, ſed quaſi poſſit, cùm deſinet vnum facere, alterum ſtatim effectum reddere. Porrò autem aliter hanc captionẽ diſſoluere aliqui conãtur, dicentes, quanquam id conceſſum ſit, poſſe me quo modo poſſum aliquid, eo modo illud effectum reddere, non tamen rectè concludi, poſſe me non pulſando citharam pulſare: quia non ſit conceſſum, omni modo quo poſſum, ſed incertè quomodo poßum, ita me facturum: nunc autem certum eſt, idem non valere, quomodo poßum, ita faciã, & quocũq; modo poßũ, illo omni modo faciam. Verùm quàm illi malè ſoluant, hinc poteſt facilè intelligi, quòd cùm neceſſe ſit omnes captiones ex eodẽ loco ductas, vno eodémque modo diſſolui, iſta diſſolutio non poßit ad omnes huius generis accommodari: quinetiam illo modo occurri non poßit omnibus, qui eandẽ iſtam captionem alio quouis modo proponerent: ſed ad eum modò, qui ita proponit hanc captionem, non etiam ad ipſam argumentationem, eſt accommodata hæc ſolutio. Ab accentu captiones nullæ ſunt, nec in ſcripto, nec in voce, aut certè admodum paucæ ſunt: qualis eſt iſta, Nónne οὐ habitas, domus eſt? certa. at nónne illud, οὐ habitas, eſt negatio huius verbi, habitas? dixiſti autem, οὐ habitas domum eſſe: domus igitur negatio quædam eſt. Quæ captio quomodo ſit diſſoluenda, non eſt difficile videre. Non idem ſignificat illud οὐ tono acuto prolatum οὔ, & circunflexo οὖ. Noſſe etiam rationem occurrendi captionibus, quæ ducũtur ex eo, quòd verbum ſpecie falſi pro iiſdem accipimus, quæ non ſunt eadem, non eſt difficile, quando genera categoriarum quot & quæ ſint intelligimus. Nã quod iſte interrogatus negauit in verbo, quid eſt ſubſtantiámque ſignificãte, id alius vt affirmet, traducit ad id, quod in genere quantorum continetur, aut eorum, quæ ad aliquid dicuntur, quæ tamen ſi formam verborum ſpectes, ſpeciem quandam præ ſe ferunt eorum quæ quid, hoc eſt ſubſtantiam, ſignificant. Veluti in hac captione: Putáſne fieri poſſe, vt tu eandem rem ſimul facias & feceris? At videre tu idem potes & vidiſſe, idque eadem ratione. Et illa: Putáſne fieri poſſe, vt aliquid ſit actio & paßio? Quid verò, nunquid ſecari, cremari, operari, genere dicendi conueniunt, & pati omnia ſignificant? Illa verò, dicere, currere, videre, nunquid eodem modo dicuntur? Atqui videre eſt operari: quare pati ſignificat: quod tu tamen idem actionem ſignificare dixiſti. Quòd ſi quis fieri non poſſe dixerit, vt idem ſimul facias &

Universidad de Deusto
Biblioteca

feceris,idq́ postea admittat,posse euenire,vt idem videas & videris,nondum erit hac ratione reprehensus,modò non dixerit videre,actionem significare,sed potius pati.Nam vt reprehensio fieret,id quoque fuit præter illa interrogandum.Illud tamẽ videtur auditoribus iam esse concessum,quia admissum est,secare,esse agere,& secuisse,egisse,& huius generis alia,quæ genere dicẽdi illis sunt similia.Nam quod deest argumento, ipse per se auditor supplet, quasi dicendi genere hoc non differat ab illis.Reuera autem hæc eodem genere dicendi non continentur, sed propter verbi similitudinem ita secus quàm est videtur.Atque ita in iis captionibus idẽ vsuenit, quod in iis,quæ ducuntur ex homonymia: in quibus si quis verborum vim ignorat,putat respondentem non modò in nomine,sed etiam in re eadem, quod affirmauerat, negare:cùm tamen ei qui contra disputat,necesse sit vt aduersarium coarguat, interrogare præterea,an eadem semper significatione accipiat,quod dicit: quo certè concesso, vera sequitur reprehensio. Sunt autem & quæ sequuntur captiones superioribus similes:ex eodemq́ loco ductæ. Si quis quod habuit,iam non habet,nónne illud amisit? At enim qui vnũ modò ex decẽ calculis amisit,iam non habet decem calculos. An verũ est eum amisisse, qui non habet, quod habuit,illud autẽ non verũ,si tantũ non habet,quantũ prius,aut tot,quot antè habuit,propterea tantum aut tot amisisse? Ergo quod primum in substantia interrogauerat,id trãsfert in conclusione ad numerũ:decem enim non substãtiam, sed numerum significãt. Quòd si initio ita interrogauisset: Si quis modò nõ habet tot calculos,quot antè habuit,nónne tot omnino amisit, quot habuit? nemo id concessisset, sed dixisset, vel ex iis

aliquot vel illa omnia amisisse.Huius quoque generis est captio,qua concluditur dare aliquẽ quod non habet:quia cùm non habeat vnum solum calculum,vnum solum det alteri. Atqui hoc non est dare quod non habes,sed quatenus tu vnũ solum non habes. Nam hoc verbum,solũ,non substantiam, aut qualitatem,aut quantitatem significat,sed in comparatione ad alterum cernitur, vt significet non habere te illud cum alio.Habet igitur illa captio eandem vim,ac si quispiã ita interrogaret, nunquid dare quispiam potest quod non habet?idque negante altero,subiiceret: Quid verò,nunquid dare citò potest,quod citò non habuit?quo ab aduersario concesso,concluderet,potest igitur dare quispiam quod non habet.Nam quid apertius est,quàm eum qui ita sit argumentatus,nil necessariò confecisse?Etenim citò dare,nõ est quippiam dare,sed hoc modo.Illud verò nemo negauerit fieri posse,vt alio modo des quippiam quàm habeas: veluti quod cũ voluptate habes,id ægrè & cum molestia dederis. Ad hunc eundem locum istæ quoque superioribus persimiles captiones pertinent: Potéstne aliquis ferire alterum manu quam non habet? aut videre oculo quem non habet? Neque enim vnum tantum oculum habet. Huiusmodi autem captionibus ita occurrunt quidam, vt eum dicant vnum modò aut oculum,aut aliud quiduis habere,qui plura habet. Alij verò dicunt id ipsum omnino hunc accipere, quod alius dat, quippe cùm vnum modò det iste calculum, aliúsque non plusquam vnum ab altero accipiat. Alij item aiunt fieri posse,vt quis id habeat quod non accepit.Veluti si quis dulce vinum accipiat,eo inter accipiẽdum corrupto, acetum quod non accepit habere. At illi quidem certè omnes illo modo ca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptionem non dissoluunt, sed (quod etiam paulò antè diximus) homini non argumento occurrunt. Nam si esset hæc vera solutio, qui contrarium eius quod illi volunt faceret, non posset omnino istas captiones (quod idem profectò in aliis omnibus vsuuenit) dissoluere. Vt si vera solutio est in distinctione multiplicis, dicendo in vna quidem significatione verum esse, in altera non verum, quicunque simpliciter dici conceserit, is necessariò conuincetur, eritque id necessariò confectum, quod voluit aduersarius. Sin qui hoc fecerit, non conuincatur necessaria conclusione, non erat profectò vera illa solutio. Atqui in iis de quibus agitur captionibus, concessis omnibus contrà quàm illi volunt, nil necessariò concluditur. Præter illas autem, quas proposuimus, istæ etiam, quas modò subiiciam, ex eodem loco ducuntur. Nónne quod scriptum est, id scripsit aliquis? scripta autem est hæc oratio, quæ te ait sedere, nunc falsa, quæ tamen erat vera quando scribebatur: Ergo simul & vera & falsa scribebatur. Etenim veram aut falsam dicere orationem aut opionem, non hoc, id est substantiam, sed tale aliquid, id est qualitatem declarat. Dixi autem opinionem, quia eadem est ratio illius, atque orationis. Ad hoc etiam genus ista pertinent: Nónne quod quisque discit, illud verum est esse quod discit? discit autem quispiam celerius, quod tardius est. Hìc enim non assumptum est, quod discit quispiam, sed quo modo discit. Item ista: Quod quisque perambulat, nónne id pedibus calcal? perambulat autẽ aliquis totum diem. Profectò hîc non assumptum est, quod, quis perambulat, sed tempus in quo ambulat. Itémque cùm calicem bibisse alterum dicimus, hoc ipsum quod bibit, non dicimus, sed vnde bibit. Est etiam

in hoc genere ista: Nónne quod scit quisque, id aut ab altero didicit, aut ipse per se inuenit? At duobus sumptis, quorum vnum didiceris, alterum inueneris, in illa ambo neutrum eorum cadere potest. Nam quod singulatim sumptis rebus prius interrogabatur, id paulò pòst coniunctis simul multis accipitur. Illa etiam, qua ostenditur esse aliquem tertium hominem, præter ideam & præter singulos homines. Homo enim & omne vniuersale, non hoc aliquid, sed tale aliquid, aut cõparationem quandam ad aliud, aut affectionẽ quandam & modum, aut aliud huius generis significat. Eadem autem est huius ratio atque illius, qua quæritur, an Coriscus, & Coriscus musicus, idem sint, an verò diuersi. Nam ille hoc aliquid, hic quale aliquid significat. Itaque non est eadem vnius atque alterius expositio. Neque verò ab expositione vim habet ista captio, qua esse aliquem tertium hominem concluditur: sed ex eo quòd conceditur, esse id ipsum quod illud, idem valere, quod esse hoc aliquid. Neque enim esse id ipsum quod Callias, aut id ipsum quod homo, idem semper significabit, quod esse hoc aliquid. Quòd si in exponendo dicas, non significari hoc esse idipsum quod illud, sed potius esse tale quippiam, omnino nil intererit: quandoquidem vt hoc dixeris, nihilominus relinquatur vniuersale quoddam, non illud quidem separatum, sed in singulis rebus cohærens, quale est homo. Perspicuum igitur est, non esse admittendum, verba quæ de multis dicuntur, hoc aliquid significare, sed aut quantum, aut quale, aut relatum quippiam, aut aliquid quiduis huius generis. Omnibus autẽ captionibus, quæ in verbo sunt (vt rem semel complectar) hoc commune est, vt per contrarium eius, vnde ducitur captio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

semper dissoluantur: Verbi gratia, si ex coniunctione captio existat, dissoluetur per diuisionem: sin ex distinctione, per coniunctionem. Rursum si in accentu acuto posita sit captio, per grauem dissoluitur: sin ex graui orta sit, per acutum. Si verò multiplex nomen eam effecerit, ita dissoluetur, si contrarium illius nominis, quod concludit alius, ponas: veluti si ita eueniat, vt tu interrogatus, de animato dixeris, ille contrà negationem concludere conetur: tibi ad extremum dicendum erit de animato te intellexisse. Sin dederis esse inanimatum aliquid, contrà autem ille animatum aliquid concludat, tibi dicẽdum erit, in re inanimata te intellexisse. Eadémque est ratio in amphibolia. Si autem ducta sit ex verborum simili forma, à contrario petenda est solutio. Veluti ad illam captionem, nónne dare quispiam potest quod non habet? dicendum est, non dare quidem eum quod non habet, sed alio modo quàm habet: nempe quia non habet vnum solum calculum. Ad istam quoque: Nunquid quod scit quisque, id dicit, aut per se ipse excogitauit? respondendum est, verum quidem esse, quod scit, horum altero modo id accepisse: sed non esse necesse, multis simul iunctis, quæ scit, ea altero modo assecutum fuisse. Huic quoque: Nónne quod perambulas, id pedibus calcas? sic occurrendum, id quidem quod perambulo me calcare, sed non tẽpus quo perambulo. & sic alia. Captiones autem accidentis, omnes vna ratione dissolui possunt. Quia enim incertum est, quando rei attribuenda sunt quæ accidẽtibus conueniunt, atque illud quidẽ in quibusdam verum videtur, idq; ita fieri interdum necessarium esse aiunt, in aliis verò negant id esse necessarium: illud profectò nobis statuendum est, atque ita debemus ad-

uersus huius generis omnes captiones esse confirmari, vt omnino illas vllam habere necessitatem negemus. In quo videndum est, vt paratam nos semper habeamus apertè captiosam ex hoc genere conclusionem, cui simile esse dicamus eam quam adfert aduersarius. Sunt autem ex accidente omnes quæ sequuntur captiones: Scísne quid ego te rogaturus sum? Nostin' eum qui huc ad nos venit, aut eum qui hîc absconsus est? Estne hæc statua opus tuum, aut hic canis tuus pater? nunquid haud multoties pauca, sunt pauca? Ptrspicuum enim est in iis omnibus non esse necesse, vt eadem quæ accidentibus conueniunt, rebus subiectis attribuãtur. Nam in iis solis quæ natura & substantia non differunt, sed vnũ quippiã sunt, id vsuuenit, vt quæ vni attribuuntur, eadem alteri omnia conueniant. Iam autem non idem est bonũ esse bonum, & esse id quod ego te volo interrogare: neque idem valet veniẽtem aut absconsum, esse venientem aut absconsum, atque esse Coriscum. Itaque non rectè efficitur, si Coriscum nouerim, aduenientem autem non nouerim, eundem me nosse, & nõ nosse. Neque valet cõclusio. Hoc opus quoddam est, idq; meum est, hoc igitur est meum opus: sed concludendum est meam esse hanc possessionem, aut rem aut aliud quippiã huiusmodi. Nec dissimilis est in aliis ratio. Cæterum istas captiones dissoluere nonnulli conãtur adhibita distinctione ad postremam interrogationẽ. Aiunt enim fieri posse vt idẽ nos cognoscamus & nõ cognoscamur, sed non eadem ratione. Eum igitur qui venit, se fatentur non nosse, Coriscũ autem se nosse aiunt: & conclusionem qua efficitur eundem illos nosse & non nosse, ad extremum concedunt, sed tamen non eadem ratione. Atque illud primum vt vera sit dissolu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio,neceſſe eſt(quod etiam nos paulò antè diximus) vt ad omnes eiuſdem generis captiones diluendas ſit accommodata,quod in hanc cadere non poteſt: quandoquidem ſi non ex verbo noſſe, ſed ex verbo eſſe,aut certo quodam modo affectum eſſe,pronunciatum illud conſtaret,non haberet locum illa ſolutio.Verbi gratia,in illa captione: Hic pater eſt, & eſt tuus:quid quæſo loci habeat illa ſolutio? Vt enim in quibuſdã id verum ſit,fieri poſſe,vt idẽ tu ſcias & neſcias: at certè hæc captio nil habet cum illa commune. Porrò autem nil vetat,quo minus multis modis ſit vitioſa & fallax eadẽ captio: attamen non omnis vitij explicatio eſt vera captionis illius ſolutio:quippe cũ fieri poßit,vt falſum eſſe id quod concluditur dicas, & tamen vnde oriatur falſa illa concluſio non oſtendas. Qualiter vſuuenire poteſt in argumentatione Zenonis, qua nil poſſe moueri oſtendere conabatur. Quapropter ſi quis reſpondẽs cõtrà argumentari conetur,vt id abſurdum eſſe doceat quod alius concluſit,abſurdè faciet, tametſi verè ac neceſſariò id conficiat. Neque enim hoc eſt argumentum diſſoluere, præſertim cũ verã ſolutionẽ appellauerimus,talẽ falſi ſyllogiſmi explicationẽ,vt quare ſit vitioſus, oſtendatur.Itaq; ſi quãdo argumentũ nil neceſſariò cõcludit, huius ipſius rei declaratio erit ſolutio,ídque dico ſiue verũ, ſiue falſum aliquid illud argumentũ concludat. His accedit, quòd poſſit illa quidẽ fortaſſe ſolutio ad quaſdam captiones valere, at in iis certè, ad quas modò adhibetur, vix locum habere poſſe videatur. Nouit enim ille Coriſcum hoc ipſo quòd Coriſcus,& venientem hoc ipſo quòd venit:at noſſe idẽ & non noſſe, eſt tale aliquid,quale vſuueniret, ſi tu quòd albus quidem ſit quiſpiam, noſſes:eundem autem muſicum

eſſe ignorares: ſic enim tu idem ſcires & ignorares, ſed non habita ratione eiuſdem rei. Hic verò vtrũque nouit, & Coriſcum quòd ſit Coriſcus, & venientem quòd veniat. In eodem errore,in quo ij quos modò diximus,verſantur,qui concedendo omnẽ numerum eſſe multum & paucum,captionẽ ſe putant diſſoluiſſe.Cum enim nil neceſſariò iſta captio concludat,hoc prætermiſſo,ad id ſe conferunt,vt veram eſſe concluſionem dicant: omnem enim numerum & multum & paucum eſſe magno ſuo errore fatentur. Sunt etiam qui dicẽtes multiplicitatem ineſſe in iis verbis, eſt pater tuus, aut filius,aut ſeruus,captioſas illas concluſiones diſſoluunt. Atqui vt dicatur ad multiplicitatem pertinere reprehenſio, perſpicuũ eſt oportere,vt aut nomen, aut oratio, multa propriè ſignificet: hunc verò huius eſſe filium propriè dici nemo affirmare audeat, ſi hac oratione ſignificetur, hunc eſſe dominum huius qui alicuius eſt filius: ſed fortè,temerè,& (vt ſic dicam) per accidens factum eſt, vt iſta ad extremum coniunctа ſumerentur, in hunc modum: Nónne hic tuus eſt? etiam. At iſte eſt filius:eſt igitur hic filius tuus: quia ſcilicet ita fortè accidit,vt idem & tuus eſſet, & filius, non quidem tuus, ſed alicuius. Quod idem dicendum de captione quà è genere τῶν κακῶν eſſe aliquod bonum concluditur, quia prudentia ſit malorum ſcientia. Nam aliquid eſſe aliquorum non dicitur multipliciter: ſed poſſeßionem modò hoc ſignificat: aut ſi fortè multipliciter dicatur(vt certè videtur dici, quandoquidẽ homo τῶν ζώων eſſe dicitur,nec tamen hîc poſſeßio vlla ſignificatur) nil tamen ad iſtam captionẽ pertinet. Etenim ſi ita aliquid ad mala affectum ſit, vt illa affectio in genitiuo caſu exprimatur, dicetur quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud cũ aliqua adiectione, & hac ex parte esse πῶς κακῶς. omnino autem & simpliciter nõ dicetur esse τῶν κακῶν. Vnde efficitur, vt potius illa captio sit referenda ad locum ex eo quod quadã ex parte & simpliciter dicitur, quàm ad locum ex multiplici. Quanquam illud fortasse possit accidere, vt illa oratio, aliquod bonũ esse πῶς κακῶς, dupliciter accipiatur, licet in ea de qua agitur captione non sit multiplex: Verbi gratia, si seruus aliquis bonus, sit mali domini. Nisi fortè ne hac quidẽ ratione possit illa multiplex appellari. Neque enim si separatim verum sit, hoc esse bonum, idq; esse illius, rectè coniunctim efficietur hoc esse bonum illius. Quin ne illud quidẽ, hominem esse πῶς ζῷον multiplex est, quando ne alibi quidẽ, si quid dicamus suppressa aliqua particula, quæ ad plenam sentẽtiam desideretur, rectè diximus multiplicẽ esse orationem, quippe cùm rectè ac sine vlla multiplicitate dari mihi. Iliadẽ iussero, si pronũciato dimidio versu ita dixerim, da mihi μῆνιν ἄειδε θεά. Captiones etiam quæ ducuntur ex eo quod quasi omnino ac simpliciter verum sit, tale quippiam esse dicitur, aut ex aliqua parte, aut alicubi, aut quodãmodo, aut facta ad aliquid collatione, non autẽ simpliciter ac citra vllam adiectionem, captiones inquam illæ hac demũ ratione rectè dissoluentur, si ad conclusionem diligenter aduertas, num contradictio horũ aliquod vitium habeat. Aduersa enim omninoq; contraria, & aientia & negantia omnino quidem ac simpliciter in re vna dici non possunt, at quadam ex parte, aut facta ad aliquid comparatione, aut quodammodo si pars vtraque sumatur, in re vna dici possunt: aut etiam si pars vna citra vllam adiectionem, altera cũ adiectione alicuius partis sumatur. Itaque si pars

vna simpliciter dicat, pars altera quadã ex parte neget, non poterit esse ista ratione reprehensio: id quod in contradictione quæ ad extremum quasi reprehensionis causa concluditur, nobis est spectandũ. Ad hoc autem genus captionum omnes pertinent quæ sequuntur: Fieríne potest vt sit aliquid quod non est? at verum est dicere rem quæ non est, tale aliquid esse. Nec dissimili modo, non esse aliquid quod est, ostendetur: quia de re quæ sit, verum sit dicere non esse hoc vel illud: Fieríne potest, vt sanctè iuret quispiã simul & peieret? Fieríne potest, vt idẽ eidem simul credat & non credat? At illæ certè eo sunt captiosæ, quia plurimũ interest inter esse omnino, & esse hoc vel illud: quo fit, vt malè efficiatur, si res aliqua quæ nõ sit, est hoc vel illud, omnino illam ac simpliciter esse. Itemq; licet hanc quidẽ rem, & illa ex parte, sanctè iuret quispiam, non tamẽ rectè cõcluditur omni ex parte sanctè iurare. Nam qui se peieraturum iurauit, & peierat, is sanctè quidem quod ad hoc pertinet, & hac modò ex parte, iurauit, omnino autẽ ac simpliciter non rectè. Is quoque qui non credit alteri, non simul illi omnino credit, sed quædã credit. Similis etiã iis est illa captio, qua simul aliquem posse mentiri & verum dicere ostenditur. Verùm quia difficile est statuere, vtrum ei quod est veracem esse, tribuendum sit illud simpliciter, an ei quod est esse mendacem, propterea difficilis videtur huius captionis explicatio. Atqui nil incommodi est, si dicamus eundem hominem simpliciter quidem mentiri, ex aliqua tamen parte verum dicere: aut ex parte aliqua verum dicere, qui omnino tamen mentiatur. Nec secus profectò iudicandũ est de iis, in quibus quod dicitur, facta modò ad aliquid comparatione verum sit, aut ex aliqua parte

Universidad de Deusto
Biblioteca

insit,aut ad certum quoddã tempus. Nã ex hac eadem causa omnes huiusmodi captiones proficiscuntur. Nónne sanitas bona,aut diuitiæ bonæ? At iis qui parũ prudentes sunt, quiq; iis vti rectè nõ possunt, non sunt bonæ: sunt igitur hæc bona & non bona. Nunquid bene valere,aut in sua ciuitate potentem esse bonum est? Atqui euenire tẽpus potest,cum id non sit bonũ: idẽ igitur eidem bonum & non bonum. At hoc certè non est incommodum,quod omnino ac simpliciter bonum est,huic aut illi id non esse bonum. Nónne id malum est quod non vult sibi vir prudens? bonum autem vir prudẽs non vult amittere: bonum igitur est malum,non rectè efficitur. Plurimũ enim interest,dicas bonum esse malum,an bonum amittere,esse malũ. Huic similis est captio, quæ de fure fieri solet. Neque enim si fur est malus, propterea oportet vt eum capere sit malũ: non igitur qui eum vult capere,malum vult, sed potius bonum,quippe cum bonum sit illum capere. Nam morbus quoque malum est: sed eo liberari non est malũ. Nónne iusta iniustis,& quæ iure fiunt,iis quæ iniuria optabiliora sunt? At optabilius est iniuria mori,quàm iure. Nónne æquum est sua quẽque habere? Quæ verò tibi adiudicata sunt falsò iudicio, sed tamen vt putauit iudex esse æquissimum,ea legibus rata esse debent. Est igitur idẽ æquũ & iniquum. Estne is condẽnandus qui æqua profert in iudicio,an qui iniqua? Atqui æquum est eum,cui facta est iniuria, omnia proferre, quæ suo cum damno pertulit: erant autem illa iniusta. Hæc omnia sunt captiosa & fallacia argumẽta. Neque enim si iniuria pati aliquid optabile est, statim existimandum est, omnino id magis expetendum esse, quod cum iniuria coniunctum est,quàm quod iuri cõsenta-

neũ. Sed omnino quidẽ ac simpliciter ius est iniuria optabilius,nil tamen vetat quo minus iniuria, quod ad hoc vel illud attinet, sit magis expetenda. Itemq; sua quenque habere æquum est,aliena iniquum: & tamen iudicium hoc iustum esse nil prohibet,nimirũ quia vt æquissimum esse existimauit iudex,ita iudicauit. neque enim oportet, si quid quod ad hanc quidem rem attinet, aut hoc modo iustum est, omnino esse iustũ. Simili modo vt sint aliqua per se iniusta, fieri tamen potest, vt illa recitare & in iudicio edere,iustũ sit. neque enim rectè efficies iustũ esse quippiã, si illud exponere iustum sit: sicuti non est necesse id esse vtile,cuius narratio vtilis est. quod idẽ de rebus iustis sentiẽdum est. Illud itaque non rectè concludebatur,quia iniqua erant quæ edidit is qui passus est iniuriã, propterea eũ vincere qui iniqua in iudicio protulit. nã illa protulit quæ edere quidẽ æquũ erat,simpliciter autẽ, & ad ferendum iniqua. Captionibus autem quæ ex definitione reprehensionis existunt, ea ratione occurrendum est, quã in superiore loco subiecimus,exquirẽdo, an contradictio quæ ad extremum in conclusione proponitur,iisdem omnino verbis rebusq; constet,an in eadẽ re pars vtraque sumatur, & ad idem,& eodem modo,& in eodem tempore. Quòd si iam inde à principio disparata interroget alius,non est fatendum fieri non posse vt idem sit duplum & nõ duplum: quin potius concedendum est fieri posse, nõ eadem tamen ratione. Id enim esset sine vlla controuersia reprehendi & conuinci. Ducũtur autem omnes istæ captiones ex hoc loco: Nunquid quanquerẽ nouit aut ignorat,qui nouit aut ignorat quænã & qualis sit res quæque? Atqui idem qui nouit Coriscum quòd Coriscus sit,eundem quòd sit musicus ignorat: eandem

Universidad de Deusto
Biblioteca

itaque rem ſcit quiſpiã & ignorat. Et rurſus,nónne maius quod quatuor cubitorum magnitudinem habet,quàm quod triũ? At fieri poteſt vt ex tricubito fiat magnitudo,quatuor cubitos in longũ producta.Et neceſſe eſt vt omne quod maius eſt,minore ſit maius:poteſt igitur fieri vt idem ſeipſo ſit maius & minus. His verò quæ ducuntur ex eo quod id ipſum de quo à principio ſuſcepta eſt diſputatio, ſumitur, ita occurrendum eſt,vt ille quidẽ qui reſpõdet, ſi talia ſumere aduerſarium perſpiciat,nil eorũ admittat, ne ſi illa quidẽ ſint probabilia: ita tamen vt interim vera eſſe dicat illa quæ nõ admittit.Sin ille non perſpiciat à principio talia eſſe quæ ſumit aduerſarius,ignorationem ſuã in aduerſarium propter huiuſmodi argumentorũ vitium reiiciet :dicens nil eum tãdem confeciſſe,nec bene diſputaſſe. Debet enim vt ſit repræenſio, abeſſe petitio principij. Deinde verò dicet reſpondens ſe illa admiſiſſe, non vt iis aduerſarius contra ſe vteretur, ſed vt aduerſus illa diſputaret, eúſque contrarium concluderet, quod captioſa ſua reprehenſione confecit. Quod verò attinet ad eas quæ ex conſequentibus eruuntur, in eo ipſo vnde vim habere argumentum videtur, vitium indicandum eſt.cum enim duplex ſit argumentum à conſequentibus,vnum in quo ex parte vniuerſum genus concluditur, vt ex homine animal: alterum in quo inter contraria tractatur, conſecutio: in priore genere dicendum nobis eſt, eo aduerſarium peccare, quia velit, vt ex hoc illud ſequitur, ita viciſſim ex illo hoc concludi, quod minimè neceſſe eſt: in poſteriore autem quia velit, ſi ex hoc antecedente illud conſequens efficitur, ex contrario antecedentis omnino ac ſemper confici contrarium conſequentis. Cuius generis eſt argumẽtatio Meliſſi.nam ſi quod generatum eſt,principium habet, ex eo confici rectè exiſtimat, quod non eſt generatum,nõ habere principium. Itaque ſi ingenitum eſt cælum,nõ habere principium,adeoq; eſſe infinitum. Atqui non ita res habet: quãdoquidem inter diſparata conſecutio conuerſo ordine tractanda ſit. In iis autem captionibus quæ oriũtur ex eo,quòd amplius aliquid adiectũ eſt,quàm ex quo ducendum fuit argumentum ad conuincendum alterũ, videndũ eſt, ſi eo quod dixiſti ſublato, nihilominus ſequatur idem incommodũ. Quod vbi ita eſſe compereris, tum id tibi eſt planũ faciendum,dicendúmque omnes propoſitiones te non eo admiſiſſe,quòd veras illas eſſe putares, ſed vt videres quid tandem ad rem facerent:iam autẽ omnino ad rem nil pertinere quæ ipſe ſumpſerat. Captionibus verò quæ plures interrogationes quaſi vnã accipiunt, iam inde ab initio occurrendum eſt, idq; adhibita diſtinctione. Eſt enim vna interrogatio,ad quã ſimplex rectè adhibetur reſponſio. Itaque nec plura de vno, nec vnũ de pluribus affirmandum eſt aut negandum.Porrò autem ſicut in homonymis interdum euenit vt vtraque, interdum vt neutra ſignificatione verum ſit quod interrogatur, eóque accidit,vt qui quaſi ad ſimplicem interrogationem vnam dedit reſponſionem, nullo inde poſſit vrgeri incommodo: ita in iis de quibus agitur vſuenit, vt quando plura de vno, aut vnum de pluribus verè affirmatur, aut negatur, qui ſimplicem ad illa dederit reſpõſionem, quanquam in eo, vitio non careat, nulla tamen hinc ducta ratione cõuinci reprehendiq; poſſit. Quando verò illa partim verè,partim falſo dicuntur,aut etiam quando plura de pluribus ita enunciãtur, vt vno quodã modo vtraque vtriſque

Universidad de Deusto
Biblioteca

conueniant,alio quodã modo non conueniant,tum verò maximè nobis cauendum est. Exempli causa: Acceptis duobus quorũ vnum bonũ sit,alterum malum,nónne illa verum est vno modo dicere esse bona & mala, & rursus altero nec bona nec mala?neque enim vtraque attributa vtrisque subiectis inesse possunt: Idẽ igitur bonũ & malum est,& rursus nec bonũ nec malũ. Itẽ si quæque res secum est eadem,& ab aliis diuersa, sumptis duobus diuersis,in hũc modum fiet captio. Hæc ad se comparata nõ ad alia,sunt eadẽ. Hæc eadem ad se cõparata sunt diuersa. Sunt igitur eædem res à se inuicem diuersæ,& eædem tamen. Itẽ si bonus quispiam malus fiat,& malus quispiã,bonus,hic etiã ex simplici responsione efficietur, vnum ex iis duobus, simul duo cõtraria effici. Itẽ acceptis duobus inter se æqualibus, verum est dicere illa ad seipsa comparata esse æqualia, erunt igitur eadem aliqua inter se æqualia & inæqualia. Neque verò ego illud negauerim,posse in has captiones aliam solutionem cadere: præsertim cùm illud verbum,vtraque,itemq; illud omnia,multis modis dicantur. Vnde fit vt non idem affirmetur & negetur nisi nomine tenus: quam veram esse reprehensionẽ suprà negauimus. Cæterùm illud planum est,nũquam illa incommoda sequi potuisse,nisi ex multis interrogationibus vna facta esset: etsi vnum vni attributum fuisset affirmando aut negando. Quod verò attinet ad eas captiones,quæ eò spectant, vt ad ineptam eiusdem verbi repetitionem aduersariũ perducant,hac ratione perspicuum est omnes dissolui posse, si negemus attributa quæ ad aliquid sunt, separatim sumpta, præter se quicquam significare. Exempli causa, si solum ac per se duplũ dicas sine adiectione simpli: tametsi verum sit in

duplo simplũ quodam modo appellari. Etenim in hac oratione,vno minus decem,verbum illud,decem, acceptum est, nec decem tamẽ illa oratione significantur. Itemq; in hac negatione, non facere,inest verbum facere,atque adeò in omni negatione inest affirmatio: neque tamen verum est eum qui dicit,hoc non esse album,significare albũ esse. Duplum igitur nil quicquam fortasse præter se significat, sicut nec simplum significat id quod in ipso intelligitur,aut si significat,non eodem certè modo separatim atque coniunctim significat. Neque etiã scientia in specie sumpta: veluti si medicina est scientia,idipsum significat quod cũ in genere sumitur, quod quidem erat scientia ad id quod sub scientiam cadit comparata. De iis autem attributis quæ per ea subiecta definiuntur, de quibus ipsa dicuntur,illud primum nobis dicendum est,non idem significare verbum aliquod seorsum,atque in oratione acceptum. Curuum enim si communiter ac per se sumatur, idem significat in simo & in varo: at coniunctum illac cum naso,hac cũ cruribus, nil prohibet aliud atque aliud significare: præsertim cùm idem sit nasum curuũ & nasum simũ appellare. Deinde verò non est permittendum aduersario, vt in recto casu subiectum, cum ista verba desinit,accipiat: quandoquidem falsa illo modo fiat oratio: neque enim verum est in recto, Simum est nasus curuus, sed in obliquo dicendum, simum est nasi talis affectio. Quocirca nil absurdũ sequitur,si in alio casu verbum illud nasus repetatur,dicendo nasum simum esse nasum habentem nasi curuitatem. Quod autem ad solœcismos attinet,vnde illi quidem ducantur, suprà exposuimus: quomodo autem iis occurrẽdum sit, ex ipsis captionibus intelligemus. Nam istæ,quas subijciam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad ſolæciſmum efficiendum omnes pertinent: Nónne quod verè dicis, hoc reuera eſt? dicis autẽ aliquid eſſe lapidem, eſt igitur aliquid lapidem. At enim qui lapidem non neutrum, ſed maſculinum, nõ nominatiuum, ſed accuſatiuum dicit. Quocirca ſi hunc in modum interrogaſſet alius, nónne quem tu eſſe verè dicis, eſt illud? ſtatim apparuiſſet illum nõ Latinè loqui: quemadmodum ne is quidem Latinè loqueretur, qui interrogaret, nónne hic eſt quã tu eſſe dicis? Lignum verò & alia quæuis nomina, quæ nec maſculina nec fœminina ſunt, an in illo modo mutatis caſibus interroges, nil refert: vnde etiam fit, vt ſi illam captionẽ ad neutrũ accommodes, nõ fiat ſolæciſmus: Nónne quod tu eſſe dicis, illud eſt? lignum autem tu eſſe dicis, lignũ igitur eſt. Lapis autẽ & articulus, hic, maſculinorũ habet inflexionem. At verò ſi interrogauerit quiſpiam, ſitne iſte illa? tum ſubiecerit, nónne iſte eſt Coriſcus? & ad extremũ cõcluſerit, eſt igitur iſte illa: nõ erit profectò hoc modo concluſus ſolæciſmus: ne ſi Coriſcus quidem reuera idem ſignificet cum aliqua re quæ eſt fœminini genèris, illud autem ita eſſe non admiſerit reſpondens. Nam vt aliquid tandem conficiatur, illud præterea ad ſuperiores interrogationes adijci debet. Quòd ſi neque ita eſt, neque ita eſſe admiſerit reſpondens, omnino nulla fiet ratiocinatio, nec reuera, nec quod ad hunc quidem attinet qui interrogatur. Simili igitur modo & hic quoque oporteret verbũ illud, lapidem nominatiuũ ſignificare. Quòd ſi nec ita ſit, neque ita eſſe dederit reſpondens, omnino illi concluſioni nullus eſt locus: ſpeciem autem aliquã ex eo accipit, quòd qui ſunt re ipſa diſſimiles nominis caſus, ſimiles eſſe videntur. Quid? nónne hæc verè dicetur eſſe illud ipſum quod tu eam eſſe dicis?

Atqui tu hanc parmam eſſe dicis: eſt igitur hæc parmã. An hoc modo nil confectum eſt? Certe. Nã, hæc, nõ parmã, in accuſatiuo ſibi iũgit: ſed in nominatiuo parma. hãc autẽ, parmã, indicat in accuſatiuo. In hac quoque ſimile vitium eſt: Nónne hic eſt illud ipſum quod tu eum eſſe dicis? tu autem Cleonẽ eſſe dicis. Eſt igitur hic Cleonem. Neque enim articulus hic, Cleonẽ in accuſatiuo ſibi iungere debuit, quippe cùm in prima interrogatione dictum ſit, quem tu eſſe dicis, hic eſt, non autem hunc eſt. Neque enim qui hoc modo dixiſſet, latinè fuiſſet locutus. Nónne ſcis tu illud? Eſt autem illud lapis, ſcis igitur lapis. An pronomen, illud, nõ eodẽ modo ſumitur in priore propoſitione, ſcíſne illud? atque in poſteriori, Eſt autem illud lapis? profectò in priore accuſatiuus erat, in poſteriore nominatiuus. Nónne hoc ſcis cuius tu habes ſcientiã? Habes autẽ lapidis ſcientiã, ſcis igitur lapidis. An illud, hoc demonſtrat lapidem in accuſatiuo, huius autem lapidis in genitiuo? Atqui conceſſum eſt cuius habes ſcientiam, hoc te ſcire, in accuſatiuo, non huius in genitiuo. Quare concludendũ fuit, ſcis igitur lapidem, non lapidis. Quòd igitur huiuſmodi captionibus non concludatur ſolæciſmus, ſed videatur modo concludi, & quomodo iis occurrendum ſit, ex iis quæ ſunt à nobis expoſita, planè intelligi poteſt. Illud autem hoc loco nobis intelligendum eſt, non eſſe vnius generis omnes captiones, ſed nonnullas eſſe in quibus facilè ſit cauſam captiones perſpicere, nõnullas in quibus difficile: idq; dico vſuenire etiam in iis, quæ ſunt eiuſdem generis: nam eiuſdem generis appellendæ ſunt, quæ ex eodem loco ducuntur. Ac eadem quidem captio aliis ex genere earum eſſe videtur quæ ex verbis ducuntur, aliis ex alio genere. Id quod propterea fit,

quia vt quæque res variè commutatur, ita non æquè semper solet esse perspicua. Quemadmodum igitur inter eas quæ ex homonymia ducuntur (qui certè locus est omniũ, vnde oriũtur fallaces conclusiones, vulgatissimus) quædam sunt quæ cuiuis etiã imperito sunt apertæ, adeóque ridiculæ & leues captiones, ex verbo propemodum omnes eruũtur, cuiusmodi sunt istæ: Vir ferebat per scalas δίφρον. &, Quò properatis? πρὸς τὸν κεφαλίαν. Et, vtra boũ antè parietẽ neutra, sed retro vtraque. Nũquid purus est Boreas? nõ, sed impurus, qui mẽdicos æquè & mercatores interficit. Nunquid ἄναρχος ille est? non, sed Apollonides. Eodem planè modo ex aliis locis huiusmodi nõnullæ perfaciles ducuntur cõclusiunculæ. Sed etiã sunt aliæ, quæ vel doctissimos quosque impediũt. Id quod eo argumento intelligi potest, quòd inter se de nominum significationibus sæpe dissentire docti homines cõspiciuntur. Verbi gratia, vtrum eodem semper modo accipiãtur vnum, & ens, an alio atque alio, parũ inter doctos conuenit. Quibusdã enim visum est, nullam inesse in iis verbis vnũ & ens, ambiguitatẽ. Alij ex eo dissoluũt rationes Parmenidis & Zenonis, quòd ens & vnum multipliciter dicuntur. Nec secus fit in captionibus quæ ex accidente aliúsque locis eruũtur: nã in iis quoq; aliæ facilè, aliæ difficilè perspiciũtur. Atque nosse ex quo genere sit quæque, & vtriũ reprehẽsionis vim habeat an minus, non est pariter in omnibus manifestũ. Porrò autẽ acuta argutáque captio appellari solet, quæ multum in animo relinquit dubitationis. Ea enim est quæ acrius pungit mordétque. Ambigendi autem duplex est causa. Vna, quæ locum habet in iis quæ concludendi vim necessariam habẽt, cùm dubitatur vtra sumptionum neganda sit. Altera, quæ

propria est fallacium contentiosarúmque conclusionum, cùm de ratione indicandi vitij, eiúsque quod plus acceptum est, quàm oportuit ad necessariam conclusionẽ, ambigitur. Itaq; inter eas quæ necessariò concludunt, vt quæque est acutissima, ita plurimum adfert dubitationis. Est autem illa acutissima ratiocinatio, quæ ex iis quæ sunt, quàm maximè probabilia, aliquid aut probat, aut refutat, quod est maximè probabile. Nam cùm illa vna sit ratiocinatio, accepto disparato conclusionis cum altera sumptionũ, semper necessariò quod volet concludet: quandoquidem necesse sit, vt ex æquè probabilibus, hac ratione, semper quod æquè probabile est, aut confirmetur, aut refutetur: qua ratione efficitur, vt ambigere hoc in loco necesse sit. Est igitur illa imprimis & maximè arguta, quæ pariter à cõclusione & à sumptionibus adfert dubitationem. Secundo loco, quæ ab vtrisque sumptionibus æqualem relinquit, vtra neganda sit, dubitationem. Cùm enim sit altera neganda, vtra tandem ea sit, non est facile decernere. Inter eas autem quæ fallaces & contentiosæ sunt, illa primo loco acuta censenda est, in qua non statim apparet, sitne consecutio necessaria nécne: & vtrum sit ea dissoluenda negando falsam aliquam quæ sumpta sit, propositionem, an distinguendo. Secundo loco numerabitur, quæ id quidem minimè habet dubium, vtrum sit negando, an distinguendo soluenda, sed tamen quænam ex omnibus interrogationibus sit neganda, & quæ distinguenda, an scilicet quæ complexionis loco accipitur, an ex sumptionibus aliqua, non satis intelligitur. Interdum igitur argumentatio forma vitiosa, inepta est ac ridicula, nimirum quando sumptiones valde incredibiles sunt, aut falsæ: in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

terdum minimè contemnenda est. Quando enim in argumentatione desideratur talis aliqua interrogatio, ex qua potissimùm argumenti vis duci debuit, qui illam non sumpsit, rem tamen quasi ratiocinatione concludit, is ineptam omnino ratiocinationem facit. Sin quod prætermissum est, ex genere est eorum, quæ extrinsecus ad rem valent, non continuò illa argumentatio aspernanda est: quin argumentatio bona est, culpa autem omnis est penes eum qui non rectè interrogauit. Sicut autem argumenta variis modis dissoluuntur: vno modo, vt ad ipsam argumentationem pertineat solutio: altero, vt ad interrogantem, atque adeò ad ipsam interrogandi rationem: tertio, vt ad neutrum conferatur: ita etiam tribus modis tractantur interrogationibus argumenta: vno modo, vt ad id quod propositum est, omnes tuas rationes conferas: altero, vt respondentem persequaris: tertio, vt disputando rationem habeas temporis: quod postremum tum euenit, cùm plus temporis desideratur ad refutandam solutionem, quam dedit aduersarius, quàm patitur spatium temporis, quod ad disputandum concessum est. Atque illa quidem omnia hactenus exposita sunt, ex quot, quibúsque locis ducuntur omnes captiosæ conclusiones, quæ solent inter disputandum incidere: deinde quomodo sit mendacij arguendus aduersarius, & quibus rationibus eò perducendus, vt paradoxa aliqua dicere videatur: tum quibus ex causis potissimum nascatur solœcismus: mox quo modo interrogandum esset, quæque esset interrogationum collocatio: deinde quisnam esset vsus tractationis huiusmodi sophisticarum captionum: postremò quæ in vniuersum esset ratio respondendi, & quomodo singulæ rationes & syllo-

gismi dissoluendi essent. Nunc reliquum est, vt postquã à capite repetierimus institutũ nostrum, de eóque pauca dixerimus, finem huic disputationi imponamus. Hoc igitur à principio diximus, fuisse nostrum institutum, vt inueniremus facultatem quandam disserendi de quacunque re proposita ex iis, quæ essent in re proposita quàm maximè probabilia. Est enim hoc officium dialectices, tum eius, quæ per se dicitur: tum eius, quæ in tentando & experiundo cernitur. Sed quoniam par est, sic esse hac arte instructum dialecticum (ne qua in re hæc ars Sophistica, cui finitima est, cedat) vt non modò experiundi causa probabiliter alterum interrogare possit, sed etiam vt scientiam rei præ se ferat: propterea non tantùm illud, quod modò dictum est, posuimus huius artis officium, quod in exigenda ab altero ratione cernitur, sed etiam in eo, vt si quando à nobis exigatur ratio de eo, quod defendendum in disputatione suscepimus, constantissimè ac sine vlla repugnantia tueamur: idque ex iis, quæ sunt quàm maximè probabilia. Cur autem id etiam partem muneris dialectici fecerim, paulò antè rationem subieci: ob quam etiam causam Socrates interrogabat semper, respondebat nunquam: quia se nil quicquam scire profitebatur. Illud porrò in superioribus libris explicatum est, quæ, & quot sint quæstionum genera, in quibus hæc ars versatur: & quæ essent, & in quo numero ea, ex quibus ipsa constaret disputatio: tum quomodo earum rerum magna copia nobis suppetere posset: postremò de ratione interrogandi, omninóque de collocatione, quæ sit interroganti obseruanda: itémque de responsione & ratione dissoluẽdorum argumentorum diximus: omninóque exposui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus cætera omnia, quæ visa sunt ad illã dissẽdi rationem pertinere. Post hæc autẽ docuimus de fallacibus & captiosis cõclusionibus, quemadmodũ etiam paulò antè dictum est. Quæ cũ ita sint, profectò iã dubitari nõ potest, quin satis commodè ad exitũ à nobis id perductũ sit, quod instituerámus. Iã verò ne quis ignoret, quid nobis in explicatione huius artis vsuuenerit, illud intelligẽdũ est, eorũ omniũ quæ inueniũtur, aliqua esse, quæ iã antè ab aliis aliqua ex parte comprehensa, subtilius postea, & quasi particulatim elaborata opera tãdem eorũ qui illa postea accipiunt, longius progrediuntur, magnumq; incremẽtum capiũt: Alia autẽ à prima origine inuẽta, nõ ita multũ à principio progrediuntur: sed tamen multò plus vtilitatis habẽt illa initia, quàm reliqua omnis, quæ ex iis proficiscitur, accessio. Est enim (vt dici solet) principiũ maxima pars totius: ideoq; difficillimum. Quantò enim vi & facultate maiore est, tantò minore est magnitudine: eaq; de causa difficillimè perspicitur: eo autem inuento, nõ est difficile cõferre & adijcere reliqua. Porrò autem illud, quod dixi, cũ in aliis ferè omnibus artibus, tum in arte oratoria vsuuenisse maximè conspicitur. Qui enim huius artis principia inuenêre, parũ admodũ progressi sunt. Qui autem nunc sunt in eo genere illustres & probati, acceptis iis, quæ à multis tractata quasi per successionẽ paulatim processerãt, in eos fines, quos nunc habet, artẽ protulerunt. Tisias quidẽ primus addere cœpit iis initiis, quæ à primis inuentoribus profecta erant. Hunc Trasymachus secutus est: cui deinde successit Theodorus, aliiq; permulti, qui singuli suas quasdam prrticulas adiecerunt: vt iam nõ sit mirum in tantam magnitudinẽ eam tandem excreuisse. At verò huius artis, in

cuius explicatione versamur, nõ pars quædam iam antè inuenta & elaborata erat, pars altera minus explanata: sed omnino nil in eo genere adhuc ab aliis traditũ extabat. Nã qui adhuc mercede conducti natã ad contentiones disserendi rationem docuerũt, idem ferè quod Gorgias sequuti sunt in docendo institutum. Vt enim hic ad dicendum, ita illi ad disputãdum, orationes ediscendas discipulis tradebant de iis rebus, in quas sæpius suos vtrique sermones inducebãt. Vnde efficiebatur, vt discipuli celeriter illi quidem, sed citra vllam artem, quæ ab illis tradebantur, discerent. Illi enim ita demum se rectè docere existimabant, si omissa arte, ipsum artis opus proponerent. Vt si quis se profiteatur artem traditurum, qua ne pedes postea vllius offendat, effecturus sit, ac postea nõ sutoriam ille quidem doceat, neque vnde parari possint, quæ ad eam rem sunt necessaria, ostendat: sed magnã calceorum omnis generis multitudinem proferat. Sanè qui hoc fecerit, ad vsum quidem profuit, artem autem non attigit. Ac de arte quidẽ rhetorica satis multa à veteribus tradita habuimus: de hac autẽ disserendi ratione nil planè habuimus, quod aliis acceptũ referamus: sed nos longo vsu singula inquirendo, multũ tẽporis magno cum labore consumpsimus. Si igitur vobis ea considerantibus videatur hæc ars illis, quæ nos tradidimus, initiis satis accuratè explicata, præ aliis disciplinis, quæ ex longa successione in tãtam excreuerunt amplitudinem, hæ profectò vestræ sunt auditorúmue partes, vt si qua prætermissa sint in tractatione huius artis, ea nobis bona cum venia condonetis: & si qua rectè inuenta, magnas eo nomine nobis gratias habeatis.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca